Prov. Calif.

348.71

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/institutionumiur0000caro

INSTITUTIONUM
IURIS CANONICI
COMMUNIS ET NEAPOLITANI

AUCTORE

CAROLO GAGLIARDO

OLIM IN REGIO ARCHI-GYMNASIO NEAPOLITANO

PROFESSORE IN CATHEDRA DECRETI

DEIN EPISCOPO MURANO

LIBER III.

IN HAC NOVISSIMA EDITIONE ACCESSERUNT

ANIMADVERSIONES ET ADDITIONES

IOSEPHI ROMANI

EPISCOPI S. ANGELI LOMBARDORUM ET BISACCIEN

TOMUS III.

ALMA COLLEGE
348.71
LIBRARY
G121
Alma, California

NEAPOLI

EX TYPOGRAPHEO AD SIGNUM ANCORÆ

MDCCCXLVIII

3091

INSTITUTIONUM

IURIS CANONICI

LIBER III.

In omnes generatim personas, res, actiones communi bono constituta iura, et eo simul conspirantia, ut socialis vita mortalium in tranquillo sit, iura inquam ipsa postulant, suum ut quisque ius obtineat speciatim in iudicio externo, vim iniustam vi non privata, sed publica iudicis legitimi repulsurus. *Parum est*, Iureconsultus ait (1), *ius in civitate esse, nisi sint qui iura reddere possint.* Enimvero ea summa ratio mentibus insita, commendatrix virtutum, vitiorumque emendatrix, quamvis homines a malis avocet intrinsecus, atque ad bona flectat lenissime : tamen laetifera collapsae Naturae aegritudo transversos ab aequo, et bono agit ad explendas impotentis animi cupidines, praecipitesque rapit ad scelera. Ex quo primi parentes imperio Dei detrectato, proclivem ad deteriora sobolem suam fecerunt, et primordia orbis fratricida primus foedavit ; quis alieno fidus invenietur, si fratri frater hostis initio fuit ? Cuinam satis tuta per sese ipsa probitas erit ? Quotus profecto quisque hominum purus, vitaeque integer sit, qui omnia praecepta Iuris quum affirmantia, tum negantia servet semper sponte sua ? Quotus, iudice silente, suo in officio, et hominis, et civis continebitur ? Ad depellendos vitiorum morbos remedia legibus inventa, quae in mutis codicibus, velut pharmacorum officinis delitescunt, aegro, invitoque animo vix accipiunt improbi, armatum magis lictorem prope urgentem, quam Deum e coelo tonantem formidantes. Tanta quum sit iudiciorum necessitas humano generi, reique publicae

(1) Pompon. in *l. necessarium* 2. *§. ita in civitate D. de orig. Iur.*

utilitas: eia nunc agite, optimi Iurisprudentiae candidati, ad *iudicia* referte animum alacriorem.

Ea in primis, quae attinent ad fori sacri Ius peculiare, disserenda proposui; originem ipsius, et discrimen a profano laicorum, variam vicissitudinem, statumque antiquum, et novum, tum personas, et causas eidem obnoxias: deinde quo ritu quum solemni, tum breviori iudicia civilia pro diversis earumdem qualitatibus pertractentur. Posterior idcirco huiusce libri pars in plano versabitur, at prior in salebris, in quas a primis pacatae Ecclesiae temporibus quum sacri, profanique magistratus incidissent: factum est, ut saepe manus inter se utrique ipsi consererent de limitibus inter Sacerdotium, et Imperium acriter dimicando. Sed procul omnino a me, vobisque sit consilium limites utriusque forsan controversos, litesque de iisdem, adhuc nescio, an integras, vel conquiescentes, vel iniuria temporum, utinam numquam exorituras, inter Pontifices, ac Reges definiendi, vel concitandi. Ecquis hominum sane iudicem, aut divisorem agere inter eos audeat, qui vel clavibus, vel gladio a D. O. M. acceptis praesident Orbi universo? qui neminem supra se in terris habent? quique suis quibuslibet placitis dant legis vigorem? Hanc pro meo ipse munere perarduam rem sic Deo propitio exequar. Placita utriusque Potestatis sincere tradam non partium, sed veritatis studio, hinc exponens canones, decretales, constitutionesque pontificias, illinc leges regias: hinc rursus communem Ecclesiae, Curiaeque Romanae disciplinam, illinc municipalem, Ecclesiarum regni mores (ut nunc sunt), nostrorumque magistratuum res iudicatas. Itaque alter remus aquas, alter mihi radat arenas. Quid vero in singulis casibus agendum, prudentia cuique sua dictabit, inspectis rerum, personarumque, loci, et temporis conditionibus: dum ecclesiasticis sententiis leges civiles adversentur, et ubi hodiernae cum vetustis dissideant.

TIT. I.

De origine iurisdictionis ecclesiasticae forique sacri.

I. Ex Iure divino spiritualis iurisdictio, ex humano temporalis ecclesiastica ortum habuit.

II. Utramque potestatem a Deo in terris institutam docet Apostolus.

III. Legem regiam pro imperio Caesarum a Romano populo latam fuisse negant doctiores.

IV. Ante Mosaycam legem coaevae, coniunctaeque fuerunt ambae Potestates.

V. Patres enim familias, Regesque sacra etiam munia simul obibant.

VI. Lex vero Mosayca stirpem Aaron, et Levi sacris obeundis mancipavit, politicum regimen Moysi, et subsecutis usque ad

Samuelem Ducibus administrandum in theocratiae statu dimisit.

VII. Interea in synedrio ex Levitis, et laicis coacto iudicia hebraeorum fiebant. Inde ad Saulem, et reliquos Iudaeorum Reges Deus ipse ab se transtulit potestatem regiam.

VIII. Post captivitatem Babilonicam Pontifices Machabaeorum utramque potestatem summi et Ducis, et Pontificis obtinuere.

IX. Christus Dominus regnum terrenum Haerodi, et Caesari dimisit, ab suo coeleste, atque spirituale omnino divisum.

X. Sacerdotium, et Imperium a Deo simul instituta ab initio steterunt vel coniunctim, vel divisim.

XI. Varios errores de Christi regno externo qua praeterito, qua futuro sacrae Litterae adimunt palam.

XII. Spiritalem dumtaxat potestatem Christus dedit Petro, et Apostolis, eorumque Successoribus.

XIII. Temporalem Regibus, et Ducibus sartam, tectamque reliquit, eisque omnes in rebus temporalibus animas subiecit.

XIV. Summa Principatus potestas Iure divino instituta non obstat, quin humano Iure constituantur singulatim Duces, ac Principes.

XV. Sicuti sacerdotali Potestati cuncta de sacris rebus iudicia, ita regiae, ac temporali subsunt vicissim cuncta de profanis.

XVI. Priscus Pontificis maximi titulus, quem Constantinus, et subsecuti Caesares diu retinuere, nullum iis de sacra pontificia potestate ius tribuit.

XVII. Nullamque sacerdotalis ordinis potestatem Reges, et Imperatores accipiunt ex sacra ipsorum unctione.

XVIII. Langobardi Principes hoc in regno, tum Rogerius I., et subsecuti Reges consueverunt oleo sacro, dum coronarentur, inungi.

XIX. Nimirum Regis brachium, et humerus oleo catechumenorum inungitur, sacerdotes autem oleo chrismatis in capite, ac manibus.

XX. Utriusque Siciliae Regum sacrae unctioni, et coronationi superaddita Diaconi, et Episcopi ornamenta fuere.

XXI. Qui unctos Reges opinantur Sacerdotii participes, aberrant longissime.

XXII. Ut anima, et corpus hominem, ita sacerdotalis, et regia potestas humanum genus regit.

XXIII. Una utriusque Potestatis origo ad communem Ecclesiae, et Imperii salutem, felicitatemque tendit.

XXIV. Earum alteram debet altera adiuvare, et brachium impertiri vicissim.

XXV. Hac ratione factum est, ut plura temporalia indulserint Reges Ecclesiis, Episcopis, et Sacerdotibus.

XXVI. Multaque spiritualia vicissim Regibus largiti Pontifices fuerunt.

XXVII. Donationes mutuae, remunerationesque fere sunt irrevocabiles.

XXVIII. In rebus temporalibus perinde Potestas regia, atque in spiritualibus pontificia praestantior est.

XXIX. De indirecta Ecclesiae potestate in temporalibus omnino silere, quam loqui satius erit.

I. Duplex iurisdictionis ecclesiasticae natura duplicem nacta est originem. Prior enim mere spiritualis, quae internam solummodo salutem animarum spectat, ab Iure divino profluxit: posterior autem temporalis externam tangens disciplinam, et negotia temporalia Ecclesiarum, et clericorum ab humano Iure, et constitutionibus ecclesiasticis dimanavit. Mixturam hanc rerum spiritualium, ac temporalium in Sacerdotio patefaciunt quum origo utriusque Potestatis sacerdotalis, et regiae, tum variantia hinc Principum placita, et studia erga religionem; hinc Patrum, Episcoporum officia erga Reges, eorumque imperium.

II. Divinam institutionem, originemque perinde sacerdotalis, ac regia potestas procul dubio sortita est in terris. *Non est enim potestas, nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt*, ait Apostolus (1). Qui porro dominus Deus Regi gladium super bonos, et malos, ipse idem claves Pontifici dedit super omnium mortalium animas. Id vero praestitisse, ac praestare videtur populus, sese subiiciens, vel Imperatori, vel Regi, vel Principi, ac Duci ad statum vel monarchicum, vel aristocraticum, aut democraticum regendum idoneo, quod Clerus in eligendis Pontificibus, et Episcopis.

III. Ne dicas cum Ulpiano (2), et Iustiniano (3) populum Romanum cum *lege Regia*, quae de imperio Caesaris lata fertur, Imperatori omnem suam potestatem, et imperium ultro contulisse. Nec assentiare Antonio Augustino (4), Gothofredo (5), ceteris, ex fragmento legis Regiae in Lateranensium aede servato, opinantibus eiusmodi legem regiam reapse latam fuisse. Merum sane figmentum esse legem hanc regiam, agnoverunt iam recentiores emunctae naris viri (6). *Inde est Imperator*, Tertullianus docet, *unde et homo, antequam Impe*

(1) Ad Romanos *cap. 13. vers. 1.* (2) In *l. 1. D. constit. Princip.*
(3) §. *5. Institut. de Iure Natur. gent., et civili.*
(4) In *lib. de legibus.* (5) Ad dictam *l. 1. D. de constit. Princip.*
(6) Cronovius in *peculiari dissert.*, Vulteius ad *dict. 6. Instit. de Iur. natur. gent., et civ.*, et Schookius *diatriba de lege regia.* Liquet enim ex Romana historia, praesertim C. Taciti *annal. lib. 1.*, quod Augustus *cuncta discordiis civilibus fessa nomine* Principis *sub imperium accepit.* Quodque Bruto, et Cassio caesis, Pompeio apud Siciliam oppresso, exutoque Lepido, interfecto Antonio, *ne Iulianis quidem partibus, nisi Caesar ipse dux reliquus: posito* Triumviri *nomine*, Consulem *se ferens, et ad tuendam plebem Tribunicio iure contentum, ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere paulatim, munia Senatus, Magistratuum*, legum *in se trahere, nullo aversante.*

rator: inde potestas illi, unde et spiritus (1). S. Augustinus, *qui Augusto*, inquit, *imperium dedit, ipse et Neroni; qui Vespasianis vel patri, vel filio suavissimis Imperatoribus, ipse et Domitiano crudelissimo* (2). Et Ioannes Papa Imperatorem catholicum *divinitus* consecutum esse privilegia suae potestatis in administrandis legibus, perspicue fassus est (3).

IV. Si tempus ante legem scriptam spectetur, alteram non praecessit altera Potestas. Secus post Legem scriptam, sive Mosaycam sive Evangelicam. Reges, et flamines gentium, quas idolatriae tenebrae obcoecarunt, omitto.

V. Ab incunabulis mundi Deus O. M. cultum sibi a creaturis debitum, suorumque mandatorum observantiam exacturus, patresfamilias primum, deiu viros principes virtute, potentiaque praevalentes, Regesque praepositos voluit, qui nedum in maiestate divina sacrificiis, et holocaustis colenda, verum etiam in societate confovenda subditos homines continerent, vim apertam, et fraudes, et crimina cohibendo. Saeculis procedentibus Melchisedec Rex Salem, simul et Sacerdos Dei summi fuit, quemadmodum et Abraham, et ceteros Patriarchas quum Sacerdotio, tum politico regimine bene functos sacrae Litterae contestantur, quousque Domino placuit per Moysen, et Aaron sacerdotalem potestatem a politica, et civili secernere.

VI. Stirpem Aaronicam, et Leviticam praelegit pro sacris muniis obeundis, et holocaustis ipsi Creatori offerendis: regimen vero politicum populi Israelitici retinere sibimet ipse dignatus est, exercendo illud per Moysen, et sequentes viginti duos Duces usque ad Samuelem in theocratiae statu.

VII. Post legem Mosaycam Levitae de sanguine Aaron in iudiciis hebraeorum exercendis primum eorum Regem Saulem praecesserunt quatuor ferme saecula, seu 396. annos. In eo enim temporis decursu Tribus omnes parueruut Synedrio, puta Senatui LXX virorum e laicis simul et Levitis coacto, cui summus Pontifex praesidebat. Ne illud quidem dubium est, quin efflagitante Regem populo Dominus regnum Israel a semetipso in Saulem primum, deinde in Davidem, eiusque familiam transtulerit; reipsa ostendens suam ipsius Domini esse Terram; et plenitudinem eius, per eumque ipsum Reges regnare. Utque signo externo pateret divina regiae potestatis collatio: sacram unctionis coeremoniam imperavit solemnem in Regum electionibus. Samueli enim quum revelasset personam Saulis, *unge eum*, ait (4), *ducem super populum meum Israel*. Mox Samuel super caput eius effundens lenticulam olei: *ecce unxit te Dominus super haereditatem suam in principem. . . et hoc tibi signum*. Dein reprobato Saule iussit eidem Prophetae (5): *Imple cornu tuum oleo, ut mittam te ad Isai Bethleemitem. . . Tulit*

(1) Tertull. in *apologetico cap. 30.*
(2) S. Aug. *lib. 5. de Civit. Dei c. 5.*
(3) In *c. si Imperator 11. dist. 69.*
(4) I. Regum *cap. 9. vers. 26.*, et *cap. 10. vers. 10.*
(5) Ibidem *cap. 16. vers. 1.*, et *13.*

ergo Samuel olei cornu, et unxit David *in medio fratrum eius.* Salomonem unxit inspirato Davidi mandato Sadoc Sacerdos, et Nathan Propheta (1). Ad Eliam Dominus : *vade*, inquit, *in Damascum . . . unges Nazael Regem super Syriam, et Iehu filium Namsi unges Regem super Israel* (2). Ab Eliseo filius Prophetae missus ad Iehu cum lenticula olei est, ut funderet super caput eius inquiens : *Haec dicit Dominus : unxi te Regem super Israel* (3). Insuper vix proclamato in Regem Saule *legem regni* dedit a Samuele promulgatam, descriptamque in libro reposito coram Arca testamenti (4).

VIII. Per captivitatem babylonicam, extincto Iudaeae regno cum Sedecia ultimo Iudaeorum Rege captivo, Pontifices XXII. usque ad Christi nativitatem sacris praefuere, quorum aliquot dignitatem summi Ducis pontificiae adiunxerunt. Nam contra sacrilegum templi Hierosolymitani invasorem Syriae Regem Antiochum surrexit Matathias Assamonaeus Dei Sacerdos, et Princeps fidelium Iudaeorum, mox Iudas Machabaeus eius filius contra tyrannum arma sumpsit ; dein Ionathas Iudae germanus a transmigratione Babylonis Pontifex XV., simul et Dux summus Reipublicae (5) ; tum Aristobolus Pontifex XXIII. regiam quoque dignitatem resumpsit, eamque Sacerdotio adnexam ad successores Alexandrum Iannaeum, et Ircanum II. Pontifices transmisit. Demum Herodes Antipatri Idumaei filius, Iudaeorum Rex a Iulio Caesare creatus, Aristobulo Mariannae uxoris suae germano summum contulit pontificatum.

IX. In partu quidem virgineo ablatum iam erat sceptrum de Iuda, et Reges de foemore eius desiverant iuxta Iacobiticum praesagium : quum regnaret in Iudaea Herodes Idumaeus, et alienigena, quamvis proselythus, et circumcisus. Et quamvis Unigenito Filio suo Dominus Deus sedem David patris eius secundum carnem dedisset, ut regnaret in domo Iacob in aeternum, quemadmodum nuntiaverat per Gabrielem (6) : regnum nihilominus Christi non terrenum, non temporale, non externum fuit : sed coeleste, aeternum spirituale, internumque super

(1) III. Reg. *cap.* 1. *vers. 34.*
(2) Ibidem *cap. 19. vers. 19.* (3) IV. Regum *cap.* 19. *vers. 6.*
(4) I. Regum *cap. 10. vers. 25.* Hunc, qui desideratur, Samuelis librum de lege regni divina, regnandi mandata, et Regis iura singula continentem, frustra quaesiveris. Summarium vix illius videsis in Deuteronomio *cap. 17. vers. 16, et seq.* ibi *: Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus. Cumque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Aegyptum, equitatus numero sublevatus, praesertim cum Dominus praeceperit vobis, ut nequaquam amplius per eamdem viam revertamini. Non habebit uxores plurimas, quae alliciant animum eius, neque argenti, et auri immensa pondera. Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar a Sacerdotibus Leviticae Tribus, et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitae suae, ut discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba, et caeremonias eius, quae in Lege praecepta sunt. Nec elevetur cor eius in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram, vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, et filii eius super Israel.*
(5) I. Machabaeorum *cap.*, 2., 3., *et seq.*
(6) Lucae *cap. 1. vers. 33.*

animas fidelium, seu regnum sacerdotale. Surrexit enim e regia Davidis stirpe, in qua nihil de Sacerdotibus a Moyse dictum tradit Apostolus (1), Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, non secundum ordinem Aaron: quum e sanguine Aaron ortus Christus non sit. De synagoga hebraeorum in Ecclesiam quoque suam omnibus ex gentibus, et populis cogendam transtulit Sacerdotium, novamque cum Sacerdotio Legem evangelicam, ut idem Apostolus docuit (2), de spiritali coelorum regno dumtaxat disponentem: haudquaquam de huius mundi regno temporali. Nam regnum terrenum dimisit Principibus, et Regibus terrae, licet infidelibus, et paganis, qui Iure gentium, vel naturali, vel humano illud obtinerent ex aeterno Dei summi iudicio. Nec Iudaicum regnum sibimet ipse, ut filio David voluit unquam vindicare: sed Herodi, Caesaribusque Romanis reliquit. Populo enim acclamante, ac petente, ut facerent eum Regem, ipse abscondit, se ac fugit in montem (3). Regnum suum non de hoc mundo esse apertissime dixit Pilato eum interroganti, an Rex esset Iudaeorum (4). Sese ut hominem a nemine constitutum iudicem, aut divisorem inter discipulos suos fassus est (5). Nec potestati Herodianae, aut Romanae detrectavit umquam: sed immo desuper datam eis eamdem declaravit, et reddenda Caesari, quae Caesaris sunt, iussit (6).

X. Post imperium exin orta vulgo dicitur Ecclesia Christi (quam S. Augustinus (7) ab initio constitisse in Patriarcharum familiis Deum colentibus docet rectissime), eaque in terreno imperio excepta: tametsi Sacerdotium, et Imperium Deus utrumque fundaverit in terris, omnibusque temporibus voluerit utrumque consistere, modo coniunctim, modo divisim, ac alterutrum de una ad aliam gentem transferri.

XI. Eos longe aberrasse, qui opinati sunt Christum, ut Filium hominis fuisse Regem temporalem, animadvertit Cardinalis Bellarminus (8), ex eaque falsissima opinione duos contrarios errores profluxisse. Quidam enim exinde tamquam ex praecipuo fundamento deduxerunt Papam, qui est Christi Vicarius, esse Regem simul, et Pontificem. Ex adverso Wicleffistae ex eodem principio Reges esse Pontificibus maiores, et digniores. Ex hisce erroribus alterum confutavit Nicolaus I. (9), alterum Innocentius III (10). In Statu ecclesiastico iura Regis Romanum Pontificem nunc obtinere, quis ignorat? Sed Bellarminus loquitur de potestate pontificia in universo extra terras Ecclesiae Orbe catholico. Insa-

(1) Ad hebraeos *cap. 7. vers. 11.*
(2) Cit. *epist.* ad hebraeos *cap. 7. vers. 12., et sequ.*
(3) Ioannis *cap. 6. vers. 16.* (4) Ioann. *cap. 18. vers. 36.*
(5) Lucae *cap. 12. vers. 15.*
(6) Matth. *cap. 22. vers. 21.* Huc spectant, quae scripsit B. Ambrosius *epist. 33.* ad Marcellinam Sororem. *Veteri iure a sacerdotibus*, ait, *donata imperia, non usurpata, et vulgo dici, quod Imperatores Sacerdotium magis optaverint*, quam imperium Sacerdotes, Christus fugit, ne rex fieret.
(7) S. Augustinus, aliique Patres superius laudati *lib. II. tit. II. n. III.*
(8) Bellarm. *lib. 5. de Romano Pontifice cap. 4.*
(9) Nicolaus I. in *can. cum ad verum dist. 96.*
(10) Innoc. III. in *cap. solitae de maior., et obedien.*

nior Cerinthus aevo Apostolorum somniavit *post resurrectionem carnis humanae regnum Christi terrestre futurum, et apud Hierusalem homines in carne blanditiis cupiditatum, et voluptatum inservituros, addens numerum mille annorum in nuptiarum festis, et celebritate consumptum iri*, ex traditis ab Eusebio (1). Abutebatur infelix millenariorum dux eo potissimum Apocalypsis oraculo (2): *Beatus, et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt Sacerdotes Dei, et Christi, et regnabunt cum illo mille annis, et cum consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo.* Eam haeresim refellit apertissime illud Christi oraculum (3): *In resurrectione neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei.* Mox in extremo post resurrectionem iudicio haec sese ad electos alloeuturum praedixit: *venite . . . possidete paratum vobis regnum . . . et ibunt hi in vitam aeternam* (4). Gabriel quoque ad B. Virginem a Deo missus inter alia praenunciavit, quod *Filius Altissimi* ex ea nasciturus *regnabit in aeternum, et regni eius non erit finis* (5). Hanc ipsam Archangeli sententiam secunda Synodus oecumenica, Constantinopolitana. I, symbolo Nicaeno addidit, ut millenarios retunderet unanimi Patrum sensu (6).

XII. Quam itaque potestatem Petro, et Apostolis suis, eorumque Successoribus dedit Christus Dominus, ea mere spiritualis est. *Omnis enim Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum*, ait Apostolus (7): *nemo militans Deo negotiis se implicat saecularibus* (8). *Ex Scripturis nihil habemus*, inquit Bellarminus (9), *nisi datas Petro claves regni coelorum. De clavibus regni terrarum nulla mentio fit. Traditionem apostolicam nullam adversarii proferunt.* Huc etiam spectat illud Hieremiae (10):

(1) Euseb. *lib. 3. hist. eccl. cap.* 22., Dionys. Alexandrin. *lib. de promiss.* apud Euseb. *lib. 7. cap. 20.* (2) Matthaei *cap. 22. vers. 30.*
(3) Apocalypsis *cap. 20. vers. 6., et seq.*
(4) Matth. *cap. 25. vers. 34.*, et 45. (5) Lucae *cap. 1. vers. 33.*
(6) Dionys. Alexandrin. *de promissionib.* S. Hieronym. *praefat. lib. 18. comm. in Isaiam*, S. Epiphan. *haeres. 77.*, S. August. *lib. 20. de Civ. Dei cap. 7.*
(7) Ad hebraeos *cap. 5. vers. 1.*
(8) 2. ad Timoth. *cap.* 2. *vers. 4., cap. 1. et 4. ne clerici, vel monachi.*
(9) Bellarm. *loc. cit.*
(10) Hieremiae *cap. 1. vers. 10.* Origenes *hom. 1. in Ierem. to. 1.* recitata expendens verba, inquit: *Quas gentes eradicavit Hieremias? quae regna subvertit? ut merito ei dictum sit*: Ecce constitui te hodie . . . *Et quando data est ei aedificatio, atque plantatio? Haec ut diximus ad Salvatorem relata non coarctant interpretantem. Hieremias enim in eis Salvatoris figura est.* Mox addit: *Cuncta ad Hieremiam referre tentabimus.... Cum nominentur* gentes, et regna, *omnis, qui divina verba suscipit, nolo ipsum* corporaliter *intelligere* regna, et gentes: *sed considerans* animas *hominum regnatas a peccato. Videns quoque multas species delictorum*, allegorizet et regna, et gentes *per varia delicta, quae humanas animas possederunt: et haec erunt, quae evellentur, et suffodientur a sermonibus Dei, qui dati sunt sive Hieremiae, sive ceteris sanctis.* S. Hieronymus in *comm.* super Ierem. *Multi hunc locum*, docet, *super persona Christi intelligunt. Ieremias enim interpretatur* excelsus Domini, qui destruxit re-

Ecce constitui te super gentes, et regna, ut evellas, et dissipes: aedifices, et plantes. Ob spiritualem hanc potestatem clavium omnes christifideles, etiam mundi Principes, ac Reges, tanquam filii Ecclesiae Patribus, et Pontificibus subduntur: tanquam oves vocem pastorum suorum audire debent, atque ad pascua salutis ab eisdem conduci, legesque divinas, et ecclesiasticas quod ad spiritualia a Pontificibus accipere. Praestat inter innumera catholicorum Principum exempla illud Theodosii M. Imperatoris, qui ob publicum Thessalonicensis coecis crimen publicam a B. Ambrosio Mediolanensi Episcopo poenitentiam indictam octo menses peregit humiliter, Davidem secutus, et errantem et poenitentem (1). Alia id genus exempla sunt iam alibi enumerata (2). Valentinianus ad Mediolanenses, *talem*, scripsit, *in pontificali Sede constituere procuretis, cui et nos, qui gubernamus Imperium, sincere nostra capita submittamus, et eius monita, quum tanquam homines deliquerimus, suscipiamus necessaria, velut medicamenta curantis.* Hinc Theodosius iunior scite dictitabat: *didici differentiam inter Imperatorem, et Episcopum* (3).

XIII. Regia porro potestas gladii mere temporalis est, corpora, negotia, et bona temporalia spectans, quam ad sui praesidium implorat Ecclesia, et veretur ex apostolicis praeceptis. *Estote subditi*, ait D. Petrus (4), *dominis vestris, sive Regi quasi praecellenti, sive Ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* Pariter Apostolus ad Titum scribit: *admone illos Principibus, et Potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse* (5). Simul ad Romanos: *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim* Potestas, *nisi a Deo.*

gna diaboli . . . *Pro his evulsis, destructis, et perditis, et inferiora detractis aedificatur, atque plantatur Ecclesia Dei.* S. Greg. M. *par. 3. pastoralis admon. 35.*, ea ipsa verba Hieremiae ideo dicta exponit, *quia nisi prius perversa destrueret, aedificare recta utiliter non posset, nisi ab auditorum suorum cordibus spinas vani amoris evelleret, nimirum frustra in eis sanctae praedicationis verba plantaret.* Eo loco utitur Innoc. III. in *cap. solitae 6. de maior, et obedient.*, inquiens: *Praerogativam Sacerdotii possumus ex eo intelligere, quod dictum est non a quolibet, sed a Deo, non Regi, sed Sacerdoti, non de regia stirpe, sed de sacerdotali prosapia descendenti Ieremiae, de Sacerdotibus videlicet, qui erant in Anathot.* Ecce constitui te etc.

(1) *Can. duo sunt 10. dist. 96.*

(2) Videsis dicta *superiori lib. 1. tit. 1. num. VI.*

(3) Apud Theodoretum *lib. 5. hist. cap. 17.*

(4) Petrus sua *epist. cap. 1. vers. 13., et 18.*

(5) Ad Titum *cap. 3. vers. 1.*, Sunt qui putant Apostolum inibi loquutum de laica tantum Potestate ex eo, quod ab Ulpiano *Potestas* esse *merum imperium* dicta sit, quod gladii potestatem habet, *l. imperium 3. D. de iurisdict. omnium iudic.* At procul ii a veritate abeunt: non dixisset enim Apostolus plurale verbum *Potestatibus*, si de una tantum suprema, de qua ceteras pendent inferiores, intellexisset. De ambabus igitur Potestatibus pontificia, et regia inibi loquutum Apostolum scribit Regens de Ponte in *ms. de remediis. Regi competentibus adversus Praelatos iurisdictionem laicam turbantes.* Et Concordatorum lex an. 1741. *cap. 6.* speciatim soli *Potestati ecclesiasticae* caussas spirituales, et spiritualibus adnexas dimittit iudicandas.

Quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit Potestati, Dei ordinationi *resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem adquirunt. . . Non sine causa gladium portat*: *Dei enim* minister est, *vindex in iram ei, qui malum agit. Ideo enim et tributa praestatis*: Ministri *enim* Dei *sunt, in hoc ipsum servientes* (1). Hasce Apostolorum sententias collaudavit Gratianus noster (2). Genuinum Apostoli sensum a priscis Patribus audiamus. Tertullianus, *quod attinet*, ait (3), *ad honores Regum, vel Imperatorum, satis praescriptum habemus in omni obsequio esse nos oportere secundum Apostoli praeceptum subditos Magistratibus, et Principibus, et Potestatibus: sed intra limites disciplinae, quousque ab idololatria separamur. Propterea enim et illud exemplum trium fratrum praecucurrit, qui alias obsequentes erga Regem Nabuchodonosor honorem imaginis eius constantissime respuerunt. Sic et Daniel cetera Dario submissus, tamdiu vixit in officio, quamdiu a periculo disciplinae vacaret.* S. Gregorius Nazianzenus (4), *inter ceteras nostrae doctrinae leges*, ait, *hanc quoque habemus cumprimis laudandam, et a spiritu praeclare constitutum, qua ut servi heris suis, et uxores viris, et Ecclesia Christo, et discipuli Magistris, ac Pastoribus, dicto audientes esse, atque obtemperare iubentur, ita nobis etiam praescribitur, ut sublimioribus Potestatibus pareamus non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, ut qui reddendo tributo simus obnoxii.* S. Augustinus christianorum prudentiam sub Iuliano Apostata militantium collaudans, ait (5): *Milites christiani serviebant Imperatori infideli: ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant, nisi illum, qui in coelo erat. Quando volebat, ut idola colerent, ut thurificarent, proponebant illi Deum. Quando autem dicebat*: producite aciem, ite contra illam gentem: *statim obtemperabant, distinguebant Dominum aeternum a Domino temporali: tamen subditi erant propter Dominum aeternum Domino temporali.*

XIV. Si hac in re titubans quispiam dixerit. *Omnis ergo Princeps a Deo constitutus est?* Istud non dico, respondet B. Chrysostomus (6). *Neque enim de quovis Principum mihi sermo nunc est, sed de ipsa re. Quod enim Principatus sunt, quod hi quidem imperant, isti vero subiecti sunt: divinae Sapientiae opus esse dico. Propterea non dicit Apostolus:* Non enim Princeps est, nisi a Deo: *sed de re ipsa disserit, dicens*: Non enim Potestas est, nisi a Deo. Itaque sit iure sanguinis, vel suffragiis populi, vel armis victricibus Princeps constitutus: is continuo supremam Potestatem politicam soli Deo subiectam ab ipso Deo habet. *Christianus nullius hostis, nedum Imperatoris*, aiebat ad

(1) Ad Romanos *cap. 13. vers. 1. et seq.* Consonat illud Proverb. *cap. 8. vers. 15. Per me Reges regnant.* Et Matth. *cap. 19. vers. 11. Non haberes potestatem adversum me ullam.*

(2) Post *can. magnum quidem 18. C. 11. qu. 1.*

(3) Tertull. *de idolatria cap. 5.*

(4) S. Greg. Nazianz. *orat. 17. ad cives Nazianzenos timore perculsos, et Praefectum irascentem.* (5) S. August. in *psalm. 124.*

(6) S. Io. Chrysost. *hom. 23. in ep. ad Romanos.*

Scapulam Africae Praefectum Tertullianus, *quem sciens a Deo suo constitui, necesse est, ut et ipsum diligat, et revereatur, et honoret, et salvum velit. . . Colimus ergo et Imperatorem sic, quomodo, et nobis licet, et ipsi expedit, ut hominem a Deo secundum, et solo Deo minorem. Hoc et ipse volet. Sic enim omnibus maior est, dum solo vero Deo minor est.*

XV. Duas itaque summas Potestates ita generatim discrevit divina institutio, hierarchicam, et politicam, clavium, et gladii, pontificiam, et regiam, spiritualem, et temporalem, ut a duobus velut fontibus diversis, ad terras quaquaversus promanent cuncta quum sacra, tum profana iudicia, sive directo, et proximo, sive per subministrantes Praelatorum, et Magistratuum rivos. *Propterea Sacerdotium, et Imperium*, apposite inquit Iustinianus (1), *iisdem certe initiis divina institutio coniunxit, tametsi ea officiis distinxit, ut illud divinis, istud humanis praeesset.* S. Petrus Damianus *inter Regnum, et Sacerdotium*, ait (2), *propria cuiusque distinguuntur officia, ut et Rex armis utatur saeculi, et Sacerdos accingatur gladio spiritus, qui est verbum Dei.*

XVI. Duarum officia Potestatum a Deo distincta nefas est hominibus commiscere. Constantinum M., aliosque Principes christianos titulo Pontificis maximi usque ad Gratianum Imperatorem usos, tametsi nullam sibi sacram, et spiritualem potestatem attribuerent, ferunt monumenta vetustiora (3). Quotquot Romano imperio praefuere summi Principes idolatrae, Iulii Caesaris exemplum secuti, pontificatum suae falsae religionis maximum singuli usurparunt, ne quid umquam suis obstaret legibus ex superstitioso Pontificum auspicio : quum nullis cuiusque finibus suam circumscribi potestatem supremam paterentur (4). Mox ne quid sibi ex caesareis titulis deesset, ad ostentandum imperii fastigium Constantinus, et aliquot alii Fidem Christianam amplexi nomenclaturam eiusmodi retinuerunt, quamvis in gremio Ecclesiae christianae ipsi crederent Petro, eiusque successoribus a Christo collatum una cum clavibus Pontificatum maximum (5) : et summis honoribus prosequerentur Ecclesiae Patres, supremumque Pastorem, velut proprios animarum cu-

(1) Iustin. Imp. *Nov. 6.*

(2) S. Petr. Damian. *ep.* ad Oldericum Episc. Firmanum. Caesarius Cisterciensis *hom. 2.* in Dom. 2. Adv. *Unus gladius* spiritualis *est*, inquit, *qui Papae collatus est a Domino: alter* materialis, *quem tenet Imperator, similiter a Deo collatus. Hoc* duplici gladio *regitur, et defensatur Ecclesia Dei.*

(3) Id liquet ex priscis inscriptionibus, et numismatibus, et iis, quae iam memoravi superius *lib. 1. tit. XII. num. XII.* Zosimus *lib. 4. hist.* quantumvis ethnicus tradit repudiatum ab ipsomet Gratiano titulum eiusmodi, quemadmodum et a subsecutis Imperatoribus : at inani coniectura sua improbe addit, nil auspicatum deinceps Imperatoribus, tanquam profanis accidisse. Exin Iacobus Gothofr. in *opusc. de interdicta Christianis cum gentilibus communione* totus in eo est, ut probet christianos Imperatores Pontificatum maximum ultro dimisisse.

(4) Liquet ex numismatibus, et historia.

(5) Ex notatis a Baronio ad annum 312., et 383., Ioanne Morino *lib. 2. de eccl. libert. cap. 14.*, Emmanuel Gonzal. in *cap. decernimus 2. de iudiciis num. 9.*

ratores (1). Saeculo autem IX. quum Orientis Imperator Michael Scurra superbia elatus pontificalem, sacerdotalemque invadere Potestatem usque adeo attentasset, ut sacrificia etiam offerre non dubitaret, resumpto Pontificis Maximi titulo (2): Nicolaus I. eum graviter commonuit, ut ne Pontificis titulo, et potestate amplius abuteretur intra Ecclesiam, in qua Christus Dominus Caesaream Potestatem a pontificia palam discrevit (3). Et Gelasius exeunte saeculo V. Anastasium hortatus antea fuerat ad agnoscendos, custodiendosque utriusque Potestatis, pontificiae, ac regiae fines (4).

XVII. Sacro quamvis oleo inungi sua in coronatione Reges, et Imperatores inde a IV. usque saeculo consueverit ex divino veteris Testamenti ritu (5): nullum tamen Ordinem sacerdotalem iis conferri catholica tenet Ecclesia. S. Gregorius Nazianzenus Patriarcha Constantinopolitanus, qui post IV. saeculi medietatem floruit, sacrum habuisse unguentum ad Reges quoque inungendos tradit (6). Theodosium iuniorem saeculo V. a Proclo Patriarcha Constantinopolitano, Marcianum eius successorem ab Anatolio, ceteros Imperii successores ab iisdem Patriarchis coronatos, et rite inunctos fert historia (7). In occidentali Ecclesia Carolum M. Leo III. Romae inunxit, et coronavit, Ludovicum Pium Stephanus IV., Lotharium Paschalis I. Carolum Calvum Ioannes IX., ceteros alii quoque Romani Pontifices vel per sese in Urbe, vel per Legatos apostolicos alibi oleo sacro, coronaque inaugurarunt: Reges vero quoslibet Episcopi dioecesani (8).

(1) Ex infra dicendis *hoc tit. num. XXIV.*

(2) Balsamon id tradit in notis ad Synodum VI. *can. 69.*

(3) Nicol. I. ad Michaelem Imperat. in *can. quoniam 8. dist. 10., et can. cum ad verum 6. hist. 96.*

(4) Gelas. I. ad Anastas. Imp. in *can. duo sunt. dist. 96.* Huius decretalis verba iam exscripsi *lib. 1. num. VI.*

(5) Paullo superius exposito *num. VII.*

(6) S. Greg. Nazianz. *orat. 4. Unguentum ego quoque ipse quoddam habeo (sed quo Sacerdotes solum, et reges inungantur, eoque vario, et exquisito, et nostra causa effuso) magni unguentarii arte confectum, atque utinam mihi suavem eius odorem Deo offerre contingat.* De origine, et prisca ungendi Reges consuetudine fusius agit Rousselius *lib. 6. hist. Pontif. iurisd. cap. 2.*, et Martene *lib. 2. de antiq. Eccl. rit. cap. 10.*

(7) Theodorus Lector *lib. 2.* coronationem Theodosii iunioris memorat; Marciani, et Leonis Nicephorus *lib. 14. histor. cap. 58., et lib. 15. cap. 15.* Theophili Zonarae, et Alexii Comneni Nicetas Choniates *lib. 1.* Ritum eiusmodi coronationis, unctionisque imperialis describunt Godinus *de officiis Constantinop. Eccl. cap. 17.*, Goar in *euchologio*, Habertus in *pontificale graecorum*, Martene de *antiqu. Eccl. rit. lib. 2. cap. 9.*

(8) Hinc factum, ut ex tribus coronis imperialibus, primam argenteam Imperator, tamquam Rex Alemanniae acciperet, vel Aquisgrani a Coloniensi Archiepiscopo Dioecesano, vel Moguntiae ab Archiepiscopo Moguntino, vel alibi ab alterutro alternatim ex tradito more apud Dumontium, et Rousset *in Coeremoniali Imperii;* secundam ferream, ut Reges Langobardorum in Ecclesia Mediolanensi ab huius Archiepiscopo; tertiam auream ut Romanus Imperator ab ipso Romano Pontifice: Galliae Reges in Rhemensi Ecclesia ab Archiepiscopo Rhemensi, Hispani ab Archiepiscopo Toletano, Poloni ab Archiepiscopo Gne-

XVIII. Hoc in Regno Neapolitano Langobardi olim Principes cum episcopali unctione Coronam regiam sumpsisse leguntur, praesertim Arechis I. Beneventi Princeps (1) VIII. saeculo, eiusque successores, in his Sico (2). Sunt qui priscos Apuliae Duces inunctos, coronatosque Barii ferunt (3) sine fido aliquo monumento. Rogerium I. Siciliae Regem procul dubio in Ecclesia Panormitana quatuor Archiepiscopi Beneventanus, Capuanus, Salernitanus, et Panormitanus regio diademate quum coronassent anno 1129. idibus Maii (4), irrequisito, mox reclamante Innocentio II. Pontifice: Anacletus pseudo-Papa anno sequenti 1130. regiam eius dignitatem ratam habuit, inter alia indulgens, ut ab Archiepiscopis terrae suae, quos vellet, quum ipse, tum haeredes in Reges inungerentur, et statutis temporibus coronarentur (5).

snensi Regni Primate, Angli ab Archiepiscopo Cantuariensi, Scoti ab Episcopo Sanctandreano, alii pariter a Praesulibus locorum.

(1) Leo Ostiensis in *Chronico Casinensi lib. 1. cap. 9. Hic Arichis*, ait, *primus Beneventi Principem se appellari iussit, cum usque ad istum, qui Benevento praefuerant, Duces appellarentur. Nam et ab Episcopis* ungi *se fecit, et* Coronam *sibi imposuit.* Idem habet Erchempertus in *hist. Langobard. Benev. num. 3.*

(2) Ex ms. Codice Langobardo *de translatione S. Ianuarii*, quem edidit P. Antonius Caracciolo Teathinus *lib. de Sacr. Eccl. Neap. cap. 20. sect. 13.*, haec habentur. *Sacra vero corpora*, scilicet S. Ianuarii, Festi, et Desiderii, *in praedicto loco locata sunt, omnis Civitas ad illam locationem confluxit, etiam eximius Princeps Sico, qui* Coronam *auro optimo, excellentemque gemmis pretiosissimis de capite suis manibus deposuit, et super altarium B. Ianuarii martyris locavit.* Addit Martene *cit. lib. 2. cap. 11.*, Normannis quoque Ducibus exemplo Langobardorum Episcopos sacram benedictionem, unctionemque largiri consuevisse. Usitatas vero preces in coronatione Ducum Normannorum vulgavit Andraeas Chesnius.

(3) Beatillus *lib. 7. hist. Barii cap. 20.*, Normannos Apuliae Duces in Bariensi metropoli, in qua suam Graeci Catapani sedem Imperatori Constantinop. obtemperantem habere sueverant, inunctos, et coronatos enarrat; inibique addit Rogerio, tum Henrico VI., et Manfredo, tamquam Apuliae Ducibus susceptam ferream Coronam, antequam Panormi auream. At ex antiquis monumentis, et scriptoribus neminem suffragari Beatillo, iam observavit Auctor *hist. civ. Regn. Neap. lib. 11. cap. 4.*

(4) Ex ms. Chronico S. Stephani de Bosco apud Tutinum, et Pirrrhum in *chronologia Reg. Sicil. Ditionem habente Rogerio Apuliae, Calabriae, et Siciliae, Sergium Ducem Neapolis vicit, obtinuitque etiam Principatum Capuae, et nihil faciens Ducalem titulum, consilio, et sententia Satraporum, et Magistratus*, Regis *titulo nuncupari voluit . . . et decurrente anno 1129. indict. VIII. Kalendis Maii discessit . . . post tertium quoque diem iter habuerunt Panormum versus, ubi invenerunt apparatus quamplures occasione tantae solemnitatis, et Idibus Maii constituta die pro Rogerii coronatione . . . factis aliquibus caeremoniis a Praelatis, demum Beneventanus, Capuanus Salernitanus, et Panormitanus regale diademate variis contexto gemmis Rogerii caput ornarunt, eique sceptrum tradiderunt, et Regis titulo ab omnibus fuit acclamatus.*

(5) Anacleti bullam fert Baronius ad *an.* 1130., et Chiocc. *to. 1. Archivii*, in qua haec habentur. *Ut per manus Archiepiscoporum terrae tuae, quos volueris, iuxta tuam voluntatem, adsistentibus aliis Episcopis, quos volueris, tu et tui haeredes in Reges* inungamini, *et statutis temporibus coronemini.* Hac de ipsa re nonnihil dictum superiori *lib. 1. tit. XXII. num. XV.*

Mox die Nativitatis Domini eum Cardinalis de Comite legatus Anacleti iterum coronavit in Cathedrali Ecclesia Panormitana (1). Demum Innocentius, pace cum Rogerio inita, coronationem eius confirmavit anno 1139. (2). Exinde Guilielmus I. Rogerii filius ab Hugone, et Guilielmus II. a Romualdo Guarna Panosmitanis Archiepiscopis (3), aliique pariter Siculi, et Neapolitani Reges inuncti eadem in Ecclesia Panormitana saepe sunt, quemadmodum et Rex Carolus Hispaniarum Infans ab Archiepiscopo Fr. Iosepho Basile die 3. Iulii 1736. Andegavenses autem, et Aragonii Reges nostri aliquando Romae, vel Avenione, vel Neapoli sunt sacra unctione, et regia corona inaugurati (4).

(1) Falco Beneventanus in *chronico ad an.* 1130. scribit: *Anno igitur ipso praedictus Anacletus Cardinalem suum Comitem nomine ad Ducem illum direxit, quem die Nativitatis Domini in Civitate Panormitana in Regem coronavit Princeps vero Robertus Capuanus coronam in capite eius posuit.* Hanc ipsam coronationem fusius describit Alexander Abbas Telesinus *lib. 2. de gestis Rogerii.*

(2) Pirrhus in *chronolog. Reg. Siciliae*, et B. Chioccarellus *to. 1. Archivii* habet bullam ab Innocentio ad Rogerium datam anno 1139., hisce inter alia verbis: *Nos ergo eius* (sc. Honorii II.) *vestigiis inhaerentes, et de potentia tua ad decorem, et utilitatem S. Dei Ecclesiae spem, atque fiduciam obtinentes, Regnum Siciliae, quod utique* (*prout antiquis refertur historiis*) *Regnum fuisse non dubium est; tibi ab eodem antecessore nostro concessum cum integritate honoris regii, et dignitate Regibus pertinente excellentiae tuae concedimus, et apostolica auctoritate firmamus. Ducatum quoque Apuliae tibi ab eodem collatum, et insuper Principatum Capuanum integre nihilominus nostri favoris robore communimus, tibique concedimus.* Petrus Cluniacensis *lib. 4. ep. 54.*, et S. Bernardus *ep. 207., et 208.*, Rogerio gratulantes de Regia Corona, et conciliata Innocentii gratia scripsere: simul et suos in Siciliam monachos, S. Bernardus, postulante Rege, transmeare consensit.

(3) Petrus Blesensis *ep. 10.* ad Gualterium Regis Guil. II. Capellanum Maiorem haec de Regis unctione scribit: *Doleo, quod inter primitias dominationis suae, et initia* unctionis Regiae *hoc praesumit: virtus equidem consecrationis ab huiusmodi violentiis eum utinam temperasset. Magna enim est huius efficacia Sacramenti: nam de David, postquam a Samuele* unctus *est, scriptura testatur, quod directus est Spiritu Domini a die illa, et in reliquum. Saul quoque die illa, qua olei lenticula a Samuele perfusus est, mutatus est in virum alterum; et insiliente in eum Spiritu Domini, cum accessisset adcuneum Prophetarum, cum eis prophetare coepit.* S. Petrus Damianus *serm. 70.*, alias 1. *de dedicat. Eccl.* idipsum argumentum pertractat curatius.

(4) Carolum I. Andegavensem Romae in Basilica Lateranensi Legatus Clementis IV. inunxit, et coronavit in utriusque Siciliae Regem, Carolum II. Nicolaus IV. per sese, aut Perusii, ut ferunt Historici, Carolum III. Urbanus VI. Itidem Romae Robertum, et Sanciam eius coniugem a Clemente V. coronatos anno 1309. fert Mabillonius in Musaeo Italico *to. 2. num. 14.*, inter alias coeremonias tradens Regi communionem eucharisticam sub utraque specie, Reginae sub una tantum specie datam. Reginam Ioannam I., et Ludovicum solemni Pentecostes die Neapoli inunxit, Regesque proclamavit, Episcopus Bracarensis Apostolicus Clementis VII. Legatus in Ecclesia S. Mariae Coronatae prope arcem, seu castrum novum, quam ea ipsa Regina in honorem spinae Christi coronae fundaverat. Quemadmodum et Reginam Margaritam Caroli III. uxorem Cardinalis Gentilis de Sangro Urbani VI. Legatus, tum Ioannam de Aragonia Ferdinandi I. coniugem Cardinalis Rodericus Borgia, et Beatricem Ferdinandi

XIX. Quid vero discriminis regiam inter, ac sacerdotalem unctionem sit, edisserit Innocentius III., inquiens (1): *Ubi Iesus Nazarenus*), *quem unxit Deus Spiritu Sancto, sicut in Actis Apostolorum legimus*) *unctus est oleo pietatis prae consortibus suis: qui secundum Apostolum est caput Ecclesiae, quae est corpus ipsius: Principis unctio a capite ad brachium est translata, ut Princeps ex tunc non ungatur in capite, sed in brachio, sive humero, vel armo, in quibus principatus congrue designatur iuxta illud, quod legitur*: factus est principatus super humerum eius. *Ad quod etiam significandum Samuel fecit poni armum ante Saul, cui dederat locum in capite ante eos, qui fuerant invitati. In capite vero Pontificis sacramentalis est delibutio conservata, quia personam capitis in pontificali officio repraesentat. Refert autem inter Pontificis, et Principis unctionem: quia caput Pontificis chrismate consecratur, brachium vero Principis oleo* cathecumenorum *delinitur, ut ostendatur, quanta sit differentia inter auctoritatem Pontificis, et Principis potestatem.* Ritualem ungendi Imperatoris, et Regis formam huic Innocentianae consentaneam habet Pontificale Romanum, eaque Carolum Regem diu nostrum tunc Hispaniarum Monarcham fuisse Panormi inunctum, res est plane testibus superstitibus exploratissima.

XX. Sacram Regum utriusque Siciliae unctionem ornamenta episcopalia olim fecerunt augustiorem. Nam Lucius II., ab aliis Eugenius III. fertur concessisse Rogerio Regi virgam, annulum, dalmaticam, et sandalia (2), quibus inde usi etiam sunt successores eius (3). Ii praete-

I. filiam Matthiae Ungariae Regi desponsatam Cardinalis Caraffa Archiepiscopus Neapolitanus, uti Sedis Apostolicae Legatus: Ioannam vero II. a Cardinale Petro Mauroceno coronatam anno 1519. in Ecclesia ipsius regiae arcis, seu castri novi tradunt antiqua diaria Neapolitana a Ludovico Muratorio typis vulgata.

(1) Innoc. III. *ep.* ad Archiep. Trinonitanum Bulgariae Primatem in *cap. cum venisset* §. *unde de sacra unctione.* Gonzalez in *not. ad hocce cap. vers. brachium* cum Hallierio, et Menardo observat Carolum M. a capite ad pedes inunctum, et Carolum Calvum in fronte etiam, auriculis, et capite. Huiusmodi exempla, et si qua sunt alia extra ordinem abnormia esse patet ex recitata epistola Innocentiana.

(2) Epistola a Romanis data ad Conradum Imp. apud Othonem Frisingensem *lib.* 1. *cap.* 27. et Carolum Sigonium haec habet: *Concordiam autem inter Siculum, et Papam huiusmodi esse accepimus. Papa concessit Siculo* virgam, et annulum, et dalmaticam, et mitram, atque sandalia, *et ne ullum mittat in terram suam Legatum, nisi quem Siculus petierit. Et Siculus dedit ei multam pecuniam pro detrimento vestro, et Romani Imperii.* Amatus *lib. 10. de princip. templ. Panorm. cap. 1.*, tradit eam Rogerii vestem sacram ex auro, et serico contextam ad formam *dalmaticae* episcopalis, *pinolam* vulgo appellatam, servari in cathedrali Ecclesia Cephalaeditana.

(3) Apud Inveges *lib. 3. hist. Panorm.* numisma Guilielmi I. Regem repraesentat corona cinctum quatuor radiis fulgente, indutum dalmatica, et sandaliis, cum virga pastorali. At Thomassinus *de vet. nov. Eccl. discipl. par. 1. lib. 2. cap. 49.* dalmaticam fuisse unum ex priscis imperialibus indumentis insignius adstruit. Memorata ms. Diaria Neapolitana a Muratorio primum edita ferunt Carolum III. sacris Diaconi vestibus indutum, regiaque corona insignitum obviam Urbano VI. huc Neapolim advenienti processisse usque ad portam urbis.

terea Diaconi ministerium cum indumentis sacris non semel obivere (1),

XXI. Spiritualem inde Sacerdotii potestatem Reges participare, quisnam recte opinabitur? Ecquis Theodoro, Balsamoni, ceteris id opinatis (2) assentietur? Personam Regis procul dubio *sacram* efficit unctio religiosa, *unctos* Domini Reges ipsos divinae quoque Litterae appellant, et *pastores* populorum (3). At sacra unctione fortitudinem, quae Domini est (4), accipiunt ad regendos in statu politico populos, eosque potestate gladii continendos in officio: non Sacerdotium in statu hierarchico, nec sacerdotale ministerium, quod Petro, Apostolisque suis, non Regibus demandavit Christus Dominus. *Sanctum* nihilominus,

Brochartus pontificius coeremoniarum magister in sui *ms. diariis* coronationem Alphonsi II. describens ait: *Imponuntur Regi* caligae, et sandalia . . . . . *induntur* veste longa *de cremesino taffetà suffulta cum manicis strictis* . . . . rocchetto *longo usque ad collum pedis*: tunicella *alba de broccatello* . . . stola *rubea bruccati auri ricci in transversum ab humero sinistro sub brachio dextro coniuncta*: manipulo *de eodem broccato ad brachium sinistrum: veste regali in modum* dalmaticae *ex broccato auri riccio cremesino*. Et quamvis eiusmodi ornamenta Brochartus ipse innuisset Episcopo Tropeiensi Capellano Maiori, et ceteris ea curantibus extra ordinem esse frustra suadere id studuit, ut convenientiora adhiberentur. *Quia dictus Episcopus,* ait ibidem, *per Ecclesias perquirebat, ubi Reges sculpti, et depicti erant, et inde sumebat de paramentis exemplum. . . Aiebant enim Regem Ferdinandum defunctum similibus ornamentis in sua coronatione fuisse usum, et per quoddam extractum nullius approbationis ostendebant, quod in huiusmodi ornamentis Reges Aragoniae deberent coronari. Nonnulli etiam asseruerunt, quod idem Rex Ferdinandus in sua coronatione per latinum Cardinalem Ursinum sibi facta Evangelium Missae publice decantasse: quod si factum fuit, inconvenientissime.* Hucusque Brochartus. Id autem reapse factum, quod Alphonsus II. sua in coronatione Evangelium, quod incipit *Exiit edictum*, more Diaconorum in solemni Missa decantaverit narrat Summontius *in eius vita.*

(1) Liquet ex memorato Summontii testimonio, Reges nostros Andegavensem morem induxisse, ut in choro Ecclesiae S. Nicolai Bariensis una cum Canonicis adessent Reges ipsi instar Canonicorum induti, iam relatum est superiori *lib. 1. tit. XXVIII. num. X.* Alios quoque Reges, et Imperatores in die coronationis suae inter Canonicos in Romana Ecclesia S. Petri, vel S. Io. Lateranensis aliquando cooptatos, mox sacris officiis, et ministeriis cum Diaconi, aut Subdiaconi vestibus quum interfuissent, Evangelium, sacrasque lectiones rite cantasse, conscribunt Durandus *lib. 2. Ration. cap. 8.* Sigonius *de Regno Italiae lib. 7.*, Raynaldus *ad an.* 1311., *et* 1414., ceteri. Idipsum a Galliae Regibus usitatum fert Gonzalez in *not. ad cit. cap. un. de sacra unctione verb. refert ergo.*

(2) Theodor., et Balsamon in *Conc. Ancyran. can. 13.* Regens de Ponte in *ms. de Monarchiae Siciliae num. 1., et ms. de exempt. visitat. Hospital. n. 31.* Reges habere speciem Sacerdotii, nec mere laicos esse profert.

(3) I Paralipomenon. *cap. 11. vers. Congregatus est igitur omnis Israel ad David in Hebron, dicens. . . Tibi enim dixit Dominus Deus tuus: tu* pasces *populum meum Israel.* Isaiae *cap. 44. vers. 28. Ego sum Dominus . . . . qui dico Cyro*; Pastor *meus es, et omnem voluntatem meam complebis.* Profecto Cyrus Rex Persarum captivos Israelitas Babylone in Iudaeam redire iussit, 2. Paralipom. *cap. 36. vers. 22.*

(4) Proverb. *cap. 8. vers. 15: Mea est fortitudo: per me Reges regnant.*

et *regale Sacerdotium* esse populum adquisitionis, *spirituales hostias* offerentem, Apostolus translato per metaphoram sensu ideo dixit (1) : *quia in novo Testamento*, ait Innocentius III. (2), *non solum Reges, et Sacerdotes unguntur, sed etiam omnes christiani in Baptismo, et Confirmatione*, currentes in odorem unguentorum Christi Domini, cuius nomen propterea oleum effusum Prophetae nuncupant.

XXII. Utramque diversae naturae Potestatem id praestare simul humano generi, quod homini speciatim anima, et corpus, Patres condocent. *Ex Sacerdotio, et Regno*, scribit S. Isidorus Pelusiota (3), *rerum administratio conflata est, quamvis permagna utriusque differentia sit : illud enim velut* anima, *et hoc velut* corpus, *ad unum eumdem finem.* S. Ioannes Chrysostomus (4), duo isthaec Imperia, quorum alterum civilem hanc vitam moderatur, alterum salutem animarum, edisserens colligit : *quantum igitur distat inter corpus, et animam, tantum iste Principatus ab illo distat.* Divinus Plato iamdiu noverat *animam, ita differre a corpore, quod illa mentem habeat, hoc non habeat : illa dominetur, hoc subiiciatur* (5).

XXIII. Quandoquidem in homine unio mentis, et corporis efficit, ut ambo ad perfectam inter sese harmoniam operentur (6) : quum corporis commoda vel interna, vel externa gaudium, et voluptatem, incommoda dolorem, tristitiamque in animum influant, et vicissim ex diversis animi affectibus corpus insimul modo florescat, modo langueat : quamvis istud Creatoris arcanum, naturale spiritus cum corpore commercium quomodo fiat, dissentientes Philosophi definire non valeant (7) : ita duarum Potestatum ecclesiasticae, et laicae una eademque, origo, et germanitas in Ecclesia eo tendit ex divina institutione, ut communem felicitatem, salutemque participet Ecclesia Christi cum Imperio Principum, suaque commoda Imperium cum Ecclesia :

(1) Id quod exposui *lib. 1. tit. XXXI. de presbyteris num. II., et IV.*

(2) Inn. III. *in cit. cap. un.* §. *unde in veteri de sacra unctione.*

(3) S. Isidor. Pelusiota Aegyptius *lib. 3. epist. 249.*

(4) S. Io. Chrysost. *hom. 15. in ep. 2. ad. Corinth.* Inn. III. ad Alexium Comnenum rescribens in *cap. solitae 6. de maiorit. et obed. Non negamus*, ait, *quin praecellat Imperator in temporalibus illos, qui ab eo suscipiunt temporalia. Sed Pontifex in spiritualibus antecellit, quae tanto sunt temporalibus digniora, quanto* anima *praefertur* corpori.

(5) Plato *lib. 34. Epinomis*, seu *Philosophus* ex versione Ficini.

(6) *Praeterea pariter fungi cum corpore, et una*
Consentire animum nobis in corpore cernis.
Nec sine vi quidquam alterius sibi posse videtur
Corporis, atque animi seorsum sentire potestas ;
Sed communibus inter eos conflatur utrinque
Motibus accensus nobis per viscera sensus, canit Lucretius *lib. 3.* Pariter Horatius *lib. 2. sermonum. . . . . Corpus onustum*
Hesternis vitiis animum quoque praegravat una ;
Atque affigit humo divinae particulam aurae.

(7) S. Augustinus *lib. 21. de Civ. Dei cap. 10. Quia et iste alius modus*, ait, *quo corporibus adhaerent spiritus, et animalia fiunt, omnino mirus est, nec comprehendi ab homine potest.*

Nam communibus inter se radicibus haerent ,
Nec sine pernicie divelli posse videntur (1).

XXIV. Potestatem idcirco alteram debet altera iuvare mutuis officiis, et ambae velut germanae famulari Domino. *Quomodo ergo Reges*, ait S. Augustinus (2), *Domino serviunt in timore , nisi ea, quae contra iussa Domini fiunt, religiosa severitate prohibendo, atque plectendo. Alter enim servit, quia homo est, aliter , quia etiam Rex est. Quia homo est, ei servit vivendo fideliter. Quia vero etiam Rex est, servit leges iusta praecipientes, et contraria prohibentes convenienti vigore sanciendo.* S. Leo M. ad Leonem Imperatorem scribens, *debes* , inquit (3), *incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen , sed etiam maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam : ut ausus nefarios comprimendo, ea, quae bene sunt statuta, defendas, et veram pacem iis, quae sunt turbata , restituas.* S. Gregorius M. *potestatem* , ait (4) , *Imperatoribus , ac Regibus coelitus datam fatemur , ut qui bona appetunt , adiuventur , ut coelorum via largius pateat, ut terrestre regnum coelesti regno famuletur.* Aliquot alias huc alludentes Patrum sententias alibi iam recitavimus (5). Adde Tridentinam huiusmodi (6): *Principes catholicos Deus esse voluit sanctae fidei , Ecclesiaeque protectores.* Quum sancta Dei Ecclesia gladium ipsa per sese vibret spiritalem (7): necesse est, ut materialis brachio regio gladius exeratur ad Ecclesiae tutelam (8) , spiritalis autem auctoritate ecclesiastica ad Regni, reique publicae praesidium (9). Hinc

(1) Lucretius *cit. lib. 3.* haec itidem de consortio animi , et corporis canit. Cic. *lib. 2. de divinat.* necessitatem, utilitatemque Religionis in republica ostendens. *Retinetur* , ait , *et ad opinionem vulgi, et ad magnas utilitates Reipublicae mos , religio , disciplina , ius augurum , collegii auctoritas.*

(2) S. August. *ep. 50. ad Bonifacium Comitem.* Huc refert *can. 1. dist. 9.*

(3) S. Leo M. *ad Leonem Imp. epist. 81.*

(4) S. Greg. M. *lib. 2. epist. 61.*

(5) Praesertim S. Leonis M., et S. Isidori Hispalensis superiori *lib. 1. tit. II. num. VIII.*

(6) Trid. *sess. 25. de reform. cap. 20.*

(7) Nicol. I. in *can. inter haec 6. C. XXXIII. qu. 2.*, Coelestin. III. in *cap. cum non ab homine 10. de iudiciis*, et Luc. III. in *cap. ad abolendam 9. de haereticis.*

(8) Ad Eugenium III. haec S. Bernardus *lib. 4. de consid. cap. 4.* ad hanc ipsam rem scribit : *Quid tu denuo usurpare gladium tentas , quem semel iussus es ponere in vaginam? Tuus ergo, et ipse tuo forsitan nutu, etsi non tua manu evaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret et is , dicentibus Apostolis* : Ecce duo gladii heic : *non respondisset Dominus* : satis est : *sed nimis est. Uterque ergo Ecclesiae , et spiritualis scilicet gladius, et materialis : sed hic quidem pro Ecclesia , ille vero et ab Ecclesia exerendus est. Ille sacerdotis , hic militis manu, sed sane ad nutum sacerdotis , et iussum Imperatoris.* Istiusmodi verba usurpavit, et Bonifacius VIII. in *cap. unam sanctam 1. §. in hac de maiorit., et obed.* in *Extravag. comm.* probaturus duos Ecclesiae gladios esse , tam spiritalem , quam temporalem.

(9) Toletana Synodus IV. an. 633. perduelles , regnique hostes anathemate percelluit. *Quicumque ex vobis , vel totius Hispaniae populis* (decrevit *can.*

fit etiam, ut iudices ecclesiasticum brachium saeculare, magistratus laici auxilium ecclesiasticum in diem implorent, et mutuo impertiantur (1).

XXV. Isto Ecclesiae tuendae officio exciti Reges Christiani, aequo primum animo tulere, mox legibus quoque suis concessere, ut nedum bona temporalia plura Ecclesiae, clericique sibi haberent ad sarta tecta templa, et necessariam vitae sustentationem: sed etiam Episcopi iurisdictione simul potirentur in iis, quae aut res Ecclesiarum, clericorumque temporales, aut sacras ipsorum personas attinent. Id quod videntur et ratio naturalis, et Ius gentium conformibus tot exemplis populorum falsos Deos colentium, et divina potissimum auctoritas veteris Testamenti suasisse. Quod enim obveniente Sacerdotio profani iudices et arbitri caussas eorum non cognoscere amplius, nec iudicare debeant: *id non tantum honori personarum, sed et maiestati Dei indulgetur, cuius sacris vacare Sacerdotes oportet*, ex responso Pauli iureconsulti (2). Romani porro idolatrae iurisdictionem in flamines omnes, ac Vestales Collegio Pontificum dimittebant (3). *Quid ergo mirum*, ad Mauricium Imperatorem scribebat S. Gregorius M. (4), *si christianus Imperator veri Dei sacerdotes dignetur honorare: dum pagani, ut praediximus, principes honorem impendere Sacerdotibus noverunt, qui diis ligneis, et lapideis serviebant? Fas enim non est*, edixit consultissime Theodosius (5), *ut divini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.* Quandoquidem genus humanum quum sit plures in classes distributum: ipsa rei natura postulat, ut magistratus cuique ordini peculiaris praesideat, qui crebras hominum lites rite cognoturus dirimat ex iis, quae speciatim novit, institutis, et praeceptis. In quantam salus publica perniciem rueret, si navicularium alii, praeterquam nautae agerent, morbosque curarent non medici: in tanto versabitur excidio labens in diem disciplina morum, ubi disceptatio negotiorum alienis demandaretur. Itaque si milites nonnisi a ducibus, praefectisque legionum, Senatores a Senatoribus, caeteros a suis quosque

ult.) *qualibet coniuratione, vel studio sacramentum fidei suae, quod pro patriae, gentisque Gothorum statu, vel conservatione regiae salutis pollicitus est, temeraverit, aut Regem nece attrectaverit, aut potestate exuerit, aut praesumptione tyrannica regni fastigium usurpaverit, anathema sit.* Id quod firmavit Toletana item Synodus V. anno 633. *can. 2* Sua maximi quoque Pontifices arma spiritualia saepe conferre ad Principum tutelam consueverunt.

(1) Ex *can. cum ad verum dist. 69.*, *et can. administrationes XXII. qu. 5.*

(2) Paul. in *l. non distinguemus 37. D. de recept. arbit.*

(3) Ex traditis a C. Tacito *lib. 3. annal.* Plutarc. *in Numa*, I. Lypsi *de Vesta, et Vestalibus cap. 13.*, Alex. ab Alexandro *dier. genial. lib. 2. cap. 18.*

(4) S. Greg. in *can. sacerdotalibus autem 41. C. XI. qu. 1.* Tertullianus *lib. de fuga in princ.* Quid *enim iniquius est*, ait, *quam veri Dei Antistites nocentissimorum more tractari?* Ex decreto Synodi Matisconensis II. an. 589. *can. 13. Nefas est, quod illius manibus Episcopus, aut presbyter de Ecclesia trahatur, pro quo Deum semper exorat, et cui invocato nomine Domini ad salvationem corporis, et animae Eucharistiam saepe porrexit: idque ab his maxime, quibus humanis tantum rebus, non divinis praeesse concessum est.* Consonat Nicolaus I. in *can. denique 5. dist. 96.*

(5) Theod. iun., et Valentin. III. in *l. ult. C. Th. de Episcopis.*

magistratibus iudicari leges recte iubent: eo iustius constitutum, ut Sacerdotes congruo Episcoporum iudicio pareant, quum hierarchiae dignitas non patiatur ordinariam de sacris vel rebus, vel personis cognitionem ad profanos deferri.

XXVI. Regibus vicissim nonnulla spiritualia, et spiritualibus connexa largiti sunt Pontifices maximi: praesertim apostolicam legationem Monarchiae Regni Siciliae (1), Praelatum, et Clerum aulicum ab Episcopis dioecesanis exemptum (2), visitationem Ecclesiarum, quae immediata Regis protectione fruuntur (3), collationem beneficiorum aliquot ecclesiasticorum, cetera id genus, alibi edisserenda opportunius. Eiusmodi regias praerogativas, nedum expresso privilegio Sedis Apostolicae datas, verum diuturna etiam consuetudine subnixas, quae facit privilegii coniecturam, usu vigere monet Benedictus XIV. (4). Ea enim spiritualia, seu his adnexa Reges non proprio, sed alieno iure ab Ecclesia demandato: non uti Sacerdotes, sed tanquam Sedis Apostolicae delegati, seu instrumenta, et organa ministrant (5).

XXVII. Inter mutuas donationes locum esse compensationi, rescripsit Hadrianus Imperator (6). Non enim mera donatio est, quae mixtum negotium, vel officium remunerandi, aliamve causam onerosam habet, ex Iureconsultorum sententia (7). Irrevocabiles idcirco esse mutuas, quae memoratae iam sunt, concessiones, tanquam remuneratorias, contractusque onerosi naturam habentes; non semel Doctores hinc, et hinc contenderunt, ut spiritualia Principibus reique publicae, et temporalia vicissim Episcopis, Ecclesiaeque semel quaesita servarentur illaesa (8).

XXVIII. Ex dictis pronum est una cum divis Patribus Chrysostomo, et Thoma distinguere Potestatis alterutrius suo in officio praestantiam. *Duplex enim Imperii genus est*, ait Chrysostomus (9): *alterum, cuius opera homines, et populis, et urbibus imperant, ac civilem hanc vitam moderantur. Id quod Paulus indicabat, cum diceret*: omnis anima Potestatibus etc. *At vero hic aliud quoque imperii onus est, ac civili quidem sublimius. Quis igitur est ille? is qui in Ecclesia, cuius Paulus meminit, dicens*: Obedite Praepositis vestris, et subiacete: quia ipsi pervigilant pro animabus vestris rationem reddituri. *Hoc imperium tanto civili excellentius est, quantum coelo terra; immo etiam multo praestantius. In primis namque non hoc praecipuo studio spectat, ut patrata scelera vindicet, sed ut ne omnino quidem*

(1) De qua dictum superiori in *lib. 1. tit. XXII. num. XVI. ad XXIV.*

(2) De quo fusius eodem *lib. 1. tit. XXIII. de Capellano Maiori.*

(3) Videsis Trid. *sess. 22. de reform. cap. 8.*, Bellug. in *speculo rubr. 12. §. videndum*, et Reg. de Ponte in *ms. alleg. 13. de exempt. visitat. hospital.*

(4) Bened. XIV. *lib. 7. de Synod. Dioeces. cap. 35. num. 7.*

(5) Id quod observat Regens de Ponte *loc. cit. num. 33.*

(6) Ab Ulpiano laudatus in *l. quod autem 7. §. 2. D. de donat. int. vir., et uxor.*

(7) Ulp. in *l. Aristo ait 18.*, et Papin. in *l. Aquilius regulus 27. D. de donat.*

(8) Reg. de Ponte in *ms. alleg. 20. de immun. local. Eccles. num. 7.*, et *28.*

(9) S. Io. Chrysost. *hom. 15. in ep. 2. ad Corinth.*

perpetrentur. Deinde si perpetrata sint: non ut aegrotantem de medio tollat, sed ut ipsa deleantur... Qui externum imperium gerit, si adulterum arripuerit, protinus in eum animadvertit. Ecquid porro hinc commodi existit? hoc enim non est vitium de medio tollere, sed aegram, ac sauciam animam abigere . . . nam tu quidem perinde facis, ac si morbo aliquo in capite enato, non morbum comprimas, sed caput amputes. Ego vero non ita, sed morbum truncо, atque aegrum quidem a mysteriis, sacrisque septis arceo; eumdem postea excitatum, ac vitio liberatum, melioremque per poenitentiam effectum rursus assumo. S. Thomas haec habet (1): *Potestas spiritualis, et saecularis, utraque deducitur a Potestate divina. Et ideo in tantum saecularis Potestas est sub spirituali, in quantum est ei a Deo supposita, scilicet in iis, quae ad salutem animae pertinent; et ideo in his magis est obediendum Potestati spirituali, quam saeculari. In iis autem, quae ad bonum civile pertinent, est magis obediendum Potestati saeculari, quam spirituali, secundum illud Matthaei XXII.* Reddite, quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo. Consonat epistola Gelasii Papae ad Anastasium Imperatorem (2).

XXIX. Partium studio affectis integram relinquo disputationem de indirecta Ecclesiae potestate in temporalibus, incoeptu periculosam, et infaustam exitu. Qui porro ad hanc admovere manum, extrema experti siccum foedi belli fomitem inflammarunt, quo urente misceri omnia, et certamina irarum ad caedes nefarias verti, et imperium tristibus experimentis non semel deprehendit.

TIT. II.

De statu primaevo iurisdictionis ecclesiasticae.

I. Apostoli, et suppares Episcopi aevo martyrum spiritualem iurisdictionem quum exercerent, ipsi nihilominus cum primitivis fidelibus profanum gentium forum declinare nequiverunt.

II. Apostolus Corinthios hortatus ad lites suas coram sapientibus fidelibus deferendum, legitimam saecularis Potestatis iurisdictionem subvertere non intendit.

III. Is porro consilium fidelibus non praeceptum dedit declinandi iudices paganos, tum laicos potius, quam clericos ex fidelibus sapientibus eligendi sibi arbitros litium caducarum, futuramque amplam iurisdictionem Episcoporum praedixit.

(1) S. Thom. in *2. sent. dist. 44. qu. 2. art. 4.*

(2) Exscripta superius *lib. 1. tit. 1. n. VI.*, cuius fragmentum promit Gratianus in *can. duo sunt 10. dist. 96.*

IV. Apostolos stetisse iudicandos, non sedisse iudicantes de rebus profanis monet S. Bernardus.

V. At crimina coercere, et emendare censuris ecclesiasticis Apostoli, primique Episcopi aevo martyrum studuerunt.

VI. Apocryphae decretales Pontificum sanctorum ante Siricium, quae moribus apostolicis adversantur, sunt penitus contemnendae, praesertim B. Clementis ad B. Iacobum.

VII. Tum S. Alexandri I. ad omnes orthodoxos, et S. Pii I. ad Italicos fratres.

VIII. Praeterea S. Callixti ad Episcopos Galliae, S. Fabiani ad Orientales, S. Gaii ad Felicem, S. Marcellini ad Episcopos orientales.

I. Ab Ecclesiae primordiis ad tria ferme saecula spiritualem a Christo Domino mandatam iurisdictionem quum in ministerio Sacramentorum, sacrorumque rituum dispositione, tum in censura morum moderante poenitentiam, correctionemque peccantium, Apostoli, eorumque Successores procul dubio exercuerunt: quamvis saevientibus tyrannorum persecutionibus primitivi fideles, nedum laici, sed ipsimet Apostoli, Episcopique, sacerdotes, ac diaconi nullatenus possent profanum forum, laicosque magistratus in quibuslibet negotiis civilibus, et criminalibus declinare. Nam *distinctio fidelium, et infidelium*, ait S. Thomas (1), *secundum se considerata, non tollit dominium, et praelationem infidelium supra fideles.* Quandoquidem Christus Dominus diuturnam Imperii Romani, aliarumque gentium infidelitatem, suamque Ecclesiam fore persecutionibus trucissimis vexandam praesciens, a quodam de turba rogatus de iudicio divisionis haereditariae, nedum illud respuit, sed suis etiam discipulis exposuit officium subditi erga Principem, necessitatemque parendi Magistratui profano, debitores ad aeris alieni solutionem cogenti inquiens: *quum vadis cum adversario tuo ad Principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem: dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas* (2).

II. Si Corinthiis profana infidelium tribunalia quotidie adeuntibus Apostolus exprobavit, quod ultro apud paganos iudices suas ipsi controversias deferrent: cave, ne putes legitimam Principum potestatem ab Apostolo despectam, qui ad subiectionem, obedientiamque Potestatibus debitam Iure divino, ac naturali cunctos fideles iam dictis epistolis canonicis non semel cohortatus est. Aliud porro consilium Apostoli non fuit, nisi tunc impedire, quominus commercio infidelium coinquinarentur neophyti litibus in profano foro frequentioribus, et consilium evangelicum suadere de caducis huius mundi rebus parvi faciendis, de avaritia vitanda, mutuaque inter fideles charitate fovenda: dum christianos prohibuit iurgare coram paganis iudicibus, hortatus

(1) S. Thom. *2. 2. qu. 10. art. 10.* (2) Lucae *cap. 12. vers. ult.*

eosdem, ut coram aliquo sapiente christiano, tamquam arbitro, lites eiusmodi pacato animo componerent. Hanc Apostoli mentem noscere pronum est ex suamet ad Corinthios epistola (1). *Audet aliquis vestrum*, ait, *habens negotium adversus alterum iudicari apud iniquos, et non apud sanctos? An nescitis, quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis. Nescitis quoniam Angelos iudicabimus, quanto magis saecularia? Saecularia igitur iudicia si habueritis: contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum? sed frater cum fratre iudicio contendit, et hoc apud infideles. Iam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Sed vos iniuriam facitis, et fraudatis, et hoc fratribus. An nescitis, quoniam iniqui regnum Dei non possidebunt?*

III. Tria potissimum ex hisce verbis licet colligere. In primis consilium apostolicum, non praeceptum declinandi profana infidelium tribunalia, atque lites caducarum rerum subiiciendi iudicio, seu potius arbitrio sapientium christianorum, quoadusque suum Ecclesia forum publicum sortiretur: aliter isthaec Apostoli sententia laicos omnes christianorum iudices, legitimasque rerum publicarum, et Principum potestates inter laicos etiam fideles destitueret, quo nil absurdius. Secundo, quod sapiens christianus inter collitigantes fratres iudicaturus, e laicorum potius coetu, quam ex ordine clericorum sit accipiendus: laicos enim praesertim plebeios, et rudes, non Sacerdotes videtur Apostolus in Ecclesia *contemptibiles* appellare, dum sapientis attributum aeque laicis, ac clericis congruit. Tertio, quod vaticinatus Paullus sit futuram in Ecclesia episcopalem iurisdictionem in profanis etiam negotiis, et causis, dum ait: *Angelos, eoque magis saecularia iudicabimus.* Factum exinde liquet, ut collitigantes Christicolae qua laici, qua clerici suas olim causas arbitrio Episcoporum componendas libentius deferrent: Episcopi autem, vel ipsi eas re cognita dirimebant ex aequo, et bono, vel discutiendas, dirimendasque sapientibus, et idoneis, aut clericis, aut laicis demandabant (2). Hanc itaque Paulli epistolam corde sincero perscrutantibus videtur ea ipsa nec adstruere posse, nec destruere temporalem Ecclesiae, Episcoporumque iurisdictionem in Ecclesiarum temporalia, et personas clericorum.

IV. Civilium caussarum cognitionem aevo apostolico huc usque dicta spectant. Itaque *nemo monstrabit*, inquam cum divo Bernardo (3), *ubi*

(1) I. ad Corinth. *cap. 6. vers. 2., et seqq.*

(2) Socrates *lib. 7. hist. eccl. cap. 37.* narrat Silvanum Troadis Episcopum profanas fidelium controversias clericis primum suis componendas remisisse: tum comperta in clericis cognitoribus cupiditate lucri eas ad laicos prudentes iustitiae, pacisque studiosos transtulisse.

(3) S. Bernard. *lib. 1. de considerat. cap. 6.*

aliquando quisquam Apostolorum iudex sederit hominum , aut divisor terminorum , aut distributor terrarum. Stetisse Apostolos iudicandos , sedisse iudicantes non lego. Enimvero Paulus a Festo Iudaeae Praeside vinctus , instantibus Iudaeis, in eumque multa obiicientibus crimina per calumniam , ne ad hierosolymitanos iudices iniquiores remitteretur, ad Caesarem appellavit, atque ad Caesarem missus est (1). Petrum, ceteros item Apostolorum, ac Martyrum ob fidei causam in vincula coniectos, iudicium capitis apud tyrannos, paganosque magistratus subivisse , quis ignoraverit?

V. At apostolicis ex litteris , rebusque gestis liquet , quod Apostoli, successoresque Episcopi in omni patientia, et doctrina criminosos arguerint, et increparint, poenitentiaeque operibus , et censuris ecclesiasticis reducere ad meliorem frugem sategerint. Simul monimenta historiae sacrae , ac genuina Patrum scripta , qui primo Ecclesiae aevo cruentissimo floruere , moresque primitivi ex canonibus vulgo Apostolorum patefacti commonstrant ecclesiasticum iudicium tunc in eo versatum , ut Episcopi lapsos in fide, apostatas, criminosos post Baptismum laicos extra Ecclesiae gremium abiicerent e fidelium communione segregatos , et nonnisi post longam , probatamque poenitentiam reconciliarent ; clericos easdem ob causas suis ab ordinibus deponerent , atque ad laicam communionem redactos instar laicorum, quamvis poenitentium haberent. *Ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra*, colligens ad Eugenium, ait S. Bernardus ibidem: *quoniam propter illa, non propter has accepistis claves regni coelorum. . . Habent haec infirma , et terrena iudices suos , Reges , et Principes terrae. Quid falcem in alienam messem extenditis ?*

VI. Aevi Apostolorum, et martyrum disciplinam canonicis scripturis patefactam nefas est apocryphis decretalibus ante-siricianis foedare , quas pseudo-Isidorus inscripsit SS. Pontificibus Clementi , Alexandro , Pio , Callixto, Fabiano, Gaio , Marcellino , Marcello , et Bonifacio (2). Ut ne fucum faciant falsa veris commixta : operae pretium est eas non praeterire silentio, sed nunc, servato potius temporum , quam Gratiani ordine recensere. Occurrit primo epistola B. Clementis ad B. Iacobum fratrem Domini (3) , qua fertur divus Petrus Clementem admonuisse ,

(1) Actorum *cap. 25.*

(2) Apud Gratianum *can. 1., 3., 7., 8., 14., 18., 22., 29., 30., 31., et 32. C. XI. quaest. 1.*

(3) Eam Gratianus in plura fragmenta disiectam promit in *can. te quidem 29.*, *can. sicut enim 30.* , *et can. si qui ex fratribus 32. eadem C. et qu. Te quidem oportet* (verba sunt *can. 29.*) *irreprehensibiliter vivere, et summo studio niti , ut omnes vitae huius occupationes abiicias , ne fideiussor existas , ne advocatus litium fias , neve isti ulla aliqua occupatione prorsus inveniaris mundialis negotii occupatione perplexus. Neque enim iudicem, aut cognitorem saecularium negotiorum hodie te ordinare vult Christus, ne praefocatus praesentibus hominum curis non possis verbo Dei vacare, et secundum veritatis regulam secernere bonos a malis. Ista namque opera, quae tibi minus congruere superius exposuimus , exhibeant sibi invicem discentes , idest laici, et te nemo occupet ab his studiis , per quae salus omnibus datur. Sicut enim*

ut ab omni strepitu iudiciorum temporalium abstineret, Ecclesiaeque solummodo vacaturus : quum impietatis crimen esse diceret Episcopum, neglectis verbi Dei studiis, iudicem de caussis pecuniariis, et cognitorem negotiorum saecularium sedere; utque presbyteri tantum, non laici magistratus quaevis negotia fratrum dirimerent. At mirum, cur auctorem huiusce epistolae apocryphum non puduit pugnantes invicem propositiones in eo congerere. Quippe qui litium, et saecularium inter fratres negotiorum cognitionem modo laicis solis defert, presbyteros, et Episcopos praecipue excludens, modo sacerdotibus tantum. Simul adeo turpiter flectit genuinam Apostoli sententiam ad Corinthios datam, ut forum dumtaxat episcopalem instituere inter fideles collitigantes qua clericos, qua laicos, semotis omnino iudicibus, laicis etiam fidelibus, ipso reclamante Apostolo conetur. Inani exinde opera magister Gratianus studuit absurdas eiusmodi epistolae sententias conciliare (1).

VII. Ad secundum Ecclesiae saeculum pertinet S. Alexandri I. *epistola* etiam commentitia *ad omnes orthodoxos per diversas provincias Christo Domino famulantes* (2), quae vetat sacerdotes Dei apud pu-

tibi (haec alia verba leguntur sine interruptione in epistola integra, quae divisim exscripsit Gratianus in *can. 20.*) *impietatis crimen est, neglectis verbi Dei studiis, sollicitudines suscipere saeculares, ita et unicuique laicorum peccatum est, nisi invicem sibi etiam in his, quae ad communis vitae usum pertinent, operam fideliter dederint. Te vero securum facere ex his, quibus non debes instare, omnes communiter elaborant. Quod si forte a semetipsis hoc laici non intelligant, per diaconos edocendi sunt, ut sibi solius Ecclesiae sollicitudines derelinquant.* Ambo haec fragmenta prohibent Episcopo iudicium cognitionemque saecularium litium. At aliud eiusdem epistolae pseudo-Clementinae fragmentum in sequenti *can. 32.* id presbyteris, et ecclesiasticis iudicibus remittit, his verbis : *si qui ex fratribus negotia habent inter se apud cognitores saeculi non iudicentur, sed apud presbyteros Ecclesiae quidquid illud est dirimatur, et omnimodo obediant statutis eorum.* Tanta verborum, sententiarumque antynomia falsitatem epistolae satis detegit, aperte pugnantis cum canonica divi Pauli ad Corinthios, qui non presbyteros certe venerandos, sed *contemptibiles*, qui essent in Ecclesia, constitui ad iudicandum debere inter fratres plane scripsit.

(1) Gratianus post *can. clericum nullus 47. C. XI. q. 1.*, suis haec verbis ait : *prohibetur ergo clericus saecularibus negotiis occupari, non ad tempus sequester fieri. Vel saecularia iudicia non de rebus saecularium virorum intelligenda sunt.* Istam Gratiani concordiam, et inanem reddit falsitas epistolae, et alienam ab ipsius epistolae verbis, quae generatim loquitur de omnibus negotiis *fratrum*, idest omnium indistincte christianorum, etiam clericorum. Nam *fratrem in hoc loco omnem fidelem simpliciter intellige*, inquit S. Ioannes Chrysostomus in *can. ad mensam 24. hac eadem C. q. 3.*

(2) S. Alexand. I. in *can. relatum est ad huius sanctae, et Apostolicae Sedis apicem, cui summarum dispositiones causarum, et omnium negotia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad caput, ipso dicente Principi Apostolorum Petro.* Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. *Quod quidam aemuli Christi, eiusque sanctae Ecclesiae insidiatores sacerdotes Dei ad iudices publicos accusare praesumant, cum magis Apostolus christianorum caussas ad Ecclesias deferri, et ibidem terminari praecipiat.* Nota consularis erronea commentitiam detegit hanc epistolam. Ea enim data legitur Traiano, et Heliano Consulibus, quum tamen ultimus Traiani Consu-

blicos iudices accusari. Tum *secunda ad Italicos fratres epistola* S. Pii I. pontificiam Sedem adepti anno 155., sacerdotes criminosos, qui de inobedientia, insidiis, contumelia, calumnia, conviciis in Episcopum admissis convinci potuerint, deponendos, Curiaeque saeculari tradendos imperat (1).

VIII. S. Callixto, qui saeculo III. sedit, inscripta *epistola secunda ad Episcopos Galliae* (2), clericos in Episcopum conspirantes depositione, laicos excommunicatione, utrosque insuper infamia plectit. Mox S. Fabiani *epistola II. ad Episcopos Orientales* (3) sancitam fert poenam degradationis, ac traditionis Curiae saeculari, et infamiae contra clericum Episcopo suo infestum, vel insidias struentem, vel criminantem. Dein profertur S. Gaii *epistola ad Felicem Episcopum*, prohibens, ne quis umquam Episcopum apud iudicem saecula-

latus non Heliano, sed Africano collega incidat in annum Æ. V. 114. Helianus autem non cum Traiano, sed cum Vetere Consul fuit anno 118., at Alexander I. nonnisi anno 121. pontificatum inivit septimus a Petro. Id quod exploratum habent chronologi.

(1) S. Pius I. Hermae, seu Pastoris frater, Pontifex XI. an. 155., haec scripsisse dicitur in *can. si quis sacerdotum 18. ead. C.*, *et qu. Si quis sacerdotum*, *vel reliquorum clericorum suo Episcopo inobediens fuerit*, *aut insidias ei paraverit*, *aut contumeliam*, *aut calumniam*, *aut convicia*, *et convinci potuerit*: *mox depositus Curiae tradatur*, *et recipiat quod inique gessit.* Nemo tam hospes in ecclesiastica disciplina veteri, et nova erit, ut depositi sacerdotis traditionem Curiae saeculari nesciat esse a tribus martyrum saeculis alienissimam. Aliam falsitatis coniecturam facit consularis nota. Ea enim data fertur idibus Martii Claro, et Severo Consulibus, qui consulatum gessere anno 170., Aniceto Pontifice, quinque annos post martyrium Pii secutum anno 165. Callixtus, qui Pontificatum adivit anno 219., ad Episcopos Galliae secundam epistolam dedisse fertur, eaque in clericos contra Episcopum suum conspirantes sanxisse poenam depositionis, laicos *communione privari*, *et ab Ecclesia extorres fieri*, *omnesque simul utriusque ordinis viros infames fore.* Ut cetera omittam suppositionis indicia: poena infamiae quammaxime abhorret ab illius aevi moribus.

(2) S. Callixtus an. 219. Pontifex XVII., in *can. conspirationem 22. ead. C.*, *et qu.* haec scripsisse fingitur: *Antecessores nostri*, *cum plurima turba Episcoporum. . . . . clericos honore*, *quo utuntur*, *cadere praeceperunt*, *ceteros vero communione privari*, *et ab Ecclesia extorres fieri*: *omnesque simul utriusque ordinis viros infames esse censuerunt*, *et non solum facientes*, *sed et eis consentientes.* Probl poena infamiae quantum a saeculi tertii moribus abhorret. Hanc simul et priorem alteram Callixti epistolam a Romanis etiam Correctoribus abiectas inter putidas pseudo-Isidori merces, monet Antonius Augustinus *lib. 2. de emendat. Gratiani.*

(3) S. Fabian. Pontifex XXI., an. 136., in *can. statuimus 31. ead. C.*, *et qu. statuimus*, *ut si quis clericorum suis Episcopis infestus*, *aut insidiator fuerit*, *mox ante examinatum iudicium submotus a Clero Curiae tradatur*, *cui diebus vitae suae deserviat*, *et infamis absque ulla restitutionis spe permaneat.* Tres omnes Fabiano inscriptas epistolas eodem suppositionis vitio laborare commonent doctores, Possevinus in *apparatu sacro*, Antonius Augustinus *l. 1.*, ceteri ex apertissima poenarum externarum dissonantia sub persecutoribus Ecclesiae.

rem, aut alios clericos accusare praesumat (1). S. Marcellini *epistola II. ad Episcopos Orientales* vetat clericum sine permissu Episcopi ad forum laicum trahi, atque a laico accusari (2); simul statuit quaslibet christianorum lites ab ecclesiasticis viris determinari (3). Ut cetera omittantur indicia falsitatis istarum decretalium: sat erit animadvertere hasce ipsarum sententias moribus, et disciplinae martyrum nullo pacto esse consentaneas. Nam fieri non potuit, ut Christi confessores, et martyres externa iura immunitatis ecclesiasticae, exemptionem clericorum e foro laico, eorumque subiectionem foro episcopali, formam iudicii solemnem, degradationis etiam, et traditionis Curiae saeculari, tunc tuerentur, et imperarent: quum iidem ipsi de una in aliam civitatem fugientes persecutionem, divinaque sacrificia, et officia persolventes in subterraneis et abditis locis studerent semetipsos abscondere, ne sponte sua provocarent persecutionem in sese acerbiorem.

(1) S. Gaius Pontifex XXX. ab anno 283. ad 296., in *can. nemo 1. ead. C.*, *et qu.* Si apud pseudo-Isidorum integram istam epistolam perlegeris, eam ex suo ipsius tenore a moribus illius aevi prorsus dissentaneo falsam facile dignosces. Inter alia porro formam iudicii episcopalis, et probationem documentorum in foro ecclesiastico imperat, his post recitatum fragmentum continuo subnexis: *Et si quis Episcopus, presbyter, aut diaconus, vel quilibet clericus apud Episcopos* (quia alibi non oportet a qualibet persona, quae rite recipienda est) *fuerint accusati, quicumque fuerit, sive ille sit sublimis vir honoris, sive ullius alterius dignitatis, qui hoc genus illaudabilis intentionis arripuerit: noverit probationis documenta se debere inferre.* Quis enim sibi persuadeat Romanum episcopatum, quamvis ex Imperatoris Diocletiani genere ortum, sub ipsius Diocletiani persecutione trucissima legem huiusmodi edixisse? eumque de propaganda religione, Evangelioque praedicando sollicitum cogitasse de iurisdictione, ac forma clericalis fori externa, et temporali?

(2) S. Marcellinus Pontifex XXXI. anno 296. in *can. clericum 3. ead. C. et q.* haec locutus inducitur: *clericum cuiuslibet ordinis absque Pontificis sui permissu nullus praesumat ad saecularem iudicem attrahere: nec laico quemlibet clericum liceat accusare.* Tametsi haec epistola data fertur Diocletiano septimum, et Maximiano sextum Consulibus, anno scilicet Æ. V. 299., Pontificatum Marcellini non excurrente, indicia falsitatis adhuc praesefert. Romani Correctores observant eiusmodi verba extare in *can. 38. Concilii Aurelianensis III. an. 538.*, variata solum sententia posterioris clausulae, his verbis in eodem Concilio conceptae: ut nec *clerico laicum, neque laico clericum, inconsulto Episcopo in saeculare iudicium liceat exhibere.* Quantum ab isto Patrum Aurelianensium decreto dissonet littera Gratiani, facile noverit quispiam ex sese.

(3) Alterum eiusdem Marcellini epistolae fragmentum in *can. quaecumque 7. ead. C. et q.* haec habet: *quaecumque contentiones inter Christianos ortae fuerint, ad Ecclesiam deferantur, et si obedire* (isthaec sequentia verba non leguntur apud Isidorum in epistola integra) *noluerint, quousque obediant, a liminibus Ecclesiae excludantur.* Paleae inscribit hunc ipsum *can. 7.* Gratianus, eumque Correctores monent in nonnullis olim codicibus Bonifacio fuisse falso inscriptum.

TIT. III.

De progressu iurisdictionis ecclesiasticae varioque fato ex antiquis novisque legibus et canonibus.

I. Constantinus M. caussas clericorum etiam profanas qua civiles, qua criminales primus omnium iudicio Episcoporum dimisit.

II. Earum aliquas tamen graviores ad laicum iudicem suevit quandoque arbitratu suo remittere.

III. Laicorum quoque lites civiles iussit deferri ad iudicium episcopalem, quoties altera partium illud postularet.

IV. Quarto hinc saeculo caussas clericorum civiles, et ecclesiasticas a dioecesanis Episcopis in primo gradu, a Synodis provinciarum in secundo diiudicatas liquet.

V. Imperator Constantinus, et Constans Episcopos in foro laico accusari prohibuerunt. Synodus Carthaginensis I. ad presbyteros, et diaconos videtur id extendisse.

VI. Valens, Gratianus, et Valentinus clericos in iudicio criminum graviorum dumtaxat foro laico parere, in ceteris causis exemptos ab eo maluerunt.

VII. Eadem distinctio causarum viguit sub Valentiniano II., Theodosio M., et Arcadio.

VIII. Honorius Imperator generatim edixit clericos apud Episcopos tantum accusari, caussas vero pecuniarias etiam laicis licere ad episcopale arbitrium, appellatione remota deferre. Clericos exinde vetarunt sacri canones ad forum laicum transire.

IX. Innocentius I. causas clericorum in synodo provinciae definiendas in gradu appellationis constituit. Mox variae leges Ioannis tyranni, Theodosii iunioris, Valentiniani III. et Maiorani editae de caussis clericorum a foro laico exemptis.

X. Synodus IV. Chalcedonensis imperavit clericis, ne forum episcopalem suis in caussis umquam relinquerent: in eoque potius, quam alibi, ut poenitentes quoque laici agerent, S. Leo M. rescripsit.

XI. Marcianus Imperator arbitrium perinde laicis, ac clericis concessit caussas clericorum deferendi, aut in episcopali, aut in laico foro: exceptis clericis Constantinop. coram Praefecto Praetorio tantum conveniendis: mox Leo, et Anthemius Imperatores eas coram solis cuiusque Provinciae Rectoribus agendas iusserunt.

XII. Basilisci tyranni litteras contra iura ecclesiastica rescidit Leo II. Imperator. Mox edictum enoticon Zenonis Imperatoris Felix Papa III. damnavit.

XIII. Gelasius Papa Anastasio imperante forum episcopalem studuit in causis clericorum vindicare.

XIV. Fata legum Romanarum quinto saeculo subivit forus ecclesiasticus in Ecclesiis occidentalibus.

XV. Theodoricus Italiae Rex iudicio Episcoporum dimisit personales clericorum causas, et civiles, et criminales: at reales civiliter motae, ut in foro laico dirimerentur, saepe rescripsit.

XVI. Theodorici, aliorumque Principum leges pro iudicio episcopali fere omnes innovavit Iustinianus Imperator.

XVII. Novellae Iustiniani sententiam pseudo-Isidorus mutilavit.

XVIII. Pelagius I. regulam, ut actor generatim rei forum sequatur, primus plane invexit.

XIX. Eamdem canonicis sanctionibus, et poenis communivere synodi Gallorum, Hispanorumque Patrum.

XX. S. Gregorius M. exemptionem clericorum in caussis passivis etiam vindicavit, et Episcopi Galliae censuras fulminarunt in iudices laicos eam violantes.

XXI. Langobardi Principes eamdem firmarunt amplius.

XXII. Pseudo-Isidorus vigentem VIII. saeculo forum ecclesiasticum in causis clericorum studuit apocryphis decretalibus comprobare.

XXIII. Carolus M. quoslibet actores ad forum rei ecclesiasticum sequendum adegit, sublato eis arbitrio legis Constantinianae.

XXIV. Ludovicus Pius paternas Caroli M. leges executus est.

XXV. Lotharius arbitrium populo Romano indulsit profitendi legem, qua vivere mallet, ac iudicari.

XXVI. Carolus Calvus episcopalem iurisdictionem in clericos firmavit.

XXVII. Simul et Basilius Orientis Imperator.

XXVIII. Hoc etiam in regno Langobardi Principes eam foverunt.

XXIX. Frequentibus exinde conciliorum decretis ipsa communita est, nec non lege S. Canuti Danorum, Anglorumque Regis.

XXX. Laicorum crimina graviora censuris ecclesiasticis coercita in sacris conciliis fuere saeculo XI.

XXXI. Sub Alexandro III., et deinceps eam Iuris regulam, quae adigit actorem sequi forum sacrum clerici cuiuslibet rei, exceptis causis feudalibus, obfirmarunt iura decretalium censuris, et nullitate actorum.

XXXII. Passivas quoque laicorum causas ad episcopale forum detulere sacrilegium, pietas erga viduas, et miserabiles, iuramentum in contractibus, negligentia iudicis laici, res ecclesiastica, et mutuus partium consensus.

XXXIII. Friderici II. Imperatoris lex foro episcopali favit maxime, et Innocentii III. auctoritas.

XXXIV. Viennense Concilium sub Clemente V. indulsit Episcopis caussas subditorum extra suam quoque dioecesim duas intra dietas iudicare, tum Synodi Galliae, Hispaniaeque episcopalem iurisdictionem anathemate reservato vindicarunt.

XXXV. Constantiense Concilium, ut lex Friderici II. servaretur, edixit.

XXXVI. Lateranense V. sub Leone X. turbantes ecclesiasticam iurisdictionem anathemate coercuit ipso facto.

XXXVII. Tridentinum Principes Ecclesiae protectores censuit admonendos, ut immunitatem personarum ecclesiasticarum, et sanctiones pro ea editas tuerentur.

XXXVIII. Clericalem, et ecclesiasticam immunitatem in spiritualibus iure divino, in temporalibus iure humano constitutam sensisse Patres Tridentini videntur.

XXXIX. Northmanni Principes hoc in regno canones, et leges pro ecclesiastica iurisdictione latas executi sunt.

XL. Concordata inter Hadrianum IV., et Guilielmum Regem appellationes a foro dioecesano ad Curiam Romanam in caussis ecclesiasticis aperte indulserunt.

XLI. Svevi Reges ecclesiasticae iurisdictioni primum favere, mox adversati sunt.

XLII. Andegavenses eam secundum canones, et leges instaurarunt.

XLIII. Simul et Aragonenses.

XLIV. Pactis, praesertim investiturarum Sedis Apostolicae.

XLV. Interea plures invicem turbae, et concertationes, et querelae inter laicam, et ecclesiasticam Potestatem, quas lex Concordatorum novissima an. 1741. quoad fieri potuit, sedavit.

I. Quo primum tempore Constantinus M. christianam Fidem felici omine amplexus, Ecclesiam cum Imperio sociavit, eamque pacatam protexit, Episcopis ecclesiasticam iurisdictionem in causis, nedum spiritualibus, atque ad Religionem pertinentibus dimisit: sed in nonnullis etiam temporalibus negotiis tam civilibus, quam criminalibus indulsit. Is enim, Nicephoro teste (1), *clericos omnes constitutione lata immunes, liberosque esse permisit*, iudiciumque, et iurisdictionem *in eos Episcopis, si quidem civilium iudicum cognitionem declinare vellent, mandavit.* Quandoquidem coacta iam Nicaena Synodo anno 325. ad haeresim Arii refellendam quum Episcopi, et sacerdotes accusationum libellos unus in alium Imperatori detulissent: eos coram comburendos iussit iudicio ipsis Episcopis remisso, inquiens: *vos dii estis a vero Deo constituti. Ite et inter vos causas vestras discutite: quia di-*

(1) Nicephor. *lib. 7. hist. eccl. cap. 46.*

gnum non est, ut iudicemus Deos (1). Censuit enim sana mente Princeps religiosissimus christianae Reipublicae non expedire, quod in publico saecularium foro lites, rixae, simultates sacerdotum evulgarentur eo potissimum tempore, quo ipsi ad Fidei dogmata, et christianae sapientiae canones definiendum una convenerant.

II. Sunt, qui putant Constantinum episcopali iudicio caussas ecclesiasticas Religionem tangentes, necnon civilium inter clericos litium, leviorumque tantummodo delictorum cognitionem tunc dimisisse: non item de gravioribus clericorum criminibus potestate gladii, et capitali poena coercendis. Consuevit porro Constantinus arbitratu suo recurrentes ad imperialem thronum sacerdotes pro qualitate causarum, et postulationum modo ad ecclesiasticum, et praesertim synodicum iudicium remittere, modo ad laicum iudicem. Id quod colligunt ex actis in causa Caeciliani Episcopi Carthaginensis, et Felicis Aptungitani (2), et S. Athanasii Alexandrini (3).

(1) Huius rei testimonium ferunt indubium Eusebius Caesaraeae Episcopus scriptor coaevus *lib. 3. de vita Constantini cap. 10.*, et Rufinus Eusebianae historiae continuator *lib. 1. cap. 2.*, apud Gratianum in *can. continua lege. 5. C. XI. q. 1.* S. Gregor. M. ad Mauricium Imperatorem scribens, *ecclesiastica quoque historia testatur*, ait, *quia cum piae mem. Constantino Principi oblatae scripto accusationes contra Episcopos fuissent, libellos quidem accusationis accepit, et eosdem, qui accusati fuerant, Episcopos convocans in eorum conspectu libellos, quos acceperat, incendit, dicens.* Vos dii estis. . . *in qua tamen sententia sibi magis ex humilitate, quam illis aliquid praestitit ex reverentia impensa, can. sacerdotibus 45. ead. C. et qu.*

(2) Causam Caeciliani Episcopi Carthaginensis contra Donatistas synodico Episcoporum iudicio pluries definiendam demandasse Constantinum, contestantur Optatus Milevitanus *lib. 1. collat. cum Donatistis*, et Eusebius *lib. 10. hist. cap. 5.*, ubi refertur epistolae Constantini ad Miltiadem Papam de Caeciliano, quem Anilinus Africae Proconsul, a collegis reprehensum, et accusatum Constantino pluries nunciaverat: quumque Constantinus ipse Romam navigio misit una cum decem Episcopis accusatoribus, et decem aliis per Caecilianum electis, ut de eo Pontifex cognosceret. Pontifex autem in Synodo Romana (quam celebravit anno 312.) damnavit Donatistas falso insimulantes Felicem Episcopum Aptungitanum in Africa de traditis, et exustis in persecutione Diocletiani, et Maximiani sacris voluminibus, et Caecilianum ab eo ordinatum Episcopum Carthaginensem impugnantes. Cumque damnati haeretici ad eumdem Imperatorem provocassent, coactum est de imperiali iussu Concilium Arelatense I. quasi oecumenicum anno 314. sub S. Silvestro Papa, quo iterum damnati fuere, absoluto Caeciliano, sicuti tradunt S. Augustinus *lib. 3.* contra Crescentium Nicephorus Callixtus *lib. 7. hist. cap. 3.*, et Eusebius *d. lib. 10.* Tandem postulantibus etiam Donatistes, quum Constantinus ad Ælianum Proconsulem Africae rescripsisset, ut remotis necessitatibus publicis de vita Felicis Aptungitani Episcopi publice inquireret: is quoque Felicem a delato crimine traditionis, et exustionis sacrorum codicum absolvit, atque innocentem pronunciavit, ut refert Optatus Milevitanus *cit. lib. 1.* Haereticis, ac rebellibus itaque subterfugientibus iudicium Conciliorum Ecclesiae, summique Pontificis, quum rebelles contundendi necessitas tulisset, suam Constantinus regiam potestatem interposuit in recensitis ecclesiasticorum causis. Inde Balduinus *lib. 1. de legib. Constant. pag. 58.* contendit causas ecclesiasticas extra ordinem, exceptis fidei dogmatibus, potestati Caesarum attribuere.

(3) S. Athanasio Episcopo Alexandrino variis criminibus et profanis, et ec-

III. Fertur praeterea Constantinus laicos etiam collitigantes iudicio, seu arbitrio episcopali subiecisse, dum facultatem cuilibet litigantium dedit declinandi forum iudicis laici proprium, atque ad Episcopi dioecesani iudicium trahendi collitigatorem licet invitum, qui cogeretur episcopali sententiae omnino parere. Sic enim ad Ablavium Ducem P. P. rescripsit Imperator (1). *Quicumque itaque litem habens, sive possessor, sive petitor fuerit, inter initia litis, vel decursis temporum curriculis, sive cum negotium peroratur, sive cum iam coeperit promi sententia, iudicium eligit sacrosanctae legis Antistitis; illico sine aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refragatur, ad Episcopum cum sermone litigantium dirigatur. Multa enim, quae in iudicio captiosa praescriptionis vincula promi non patiuntur, investigat, et promit sacrosanctae Religionis auctoritas. Omnes itaque causae, quae vel praetorio Iure, vel Civili tractantur, Episcoporum sententiis terminatae perpetuo stabilitatis iure firmentur: nec liceat ulterius retractari negotium, quod Episcoporum sententia deciderit. Testimonium etiam ab uno licet Episcopo perhibitum omnes iudices indubitanter accipiant, nec alius audiatur: cum testi-*

clesiasticis impetito, nimirum de vectigali vestis lineae in commodum Alexandrinae Ecclesiae imposito Ægyptiis, de consiliis cum Philomeno quodam perduelle initis, et auro eidem misso, de nece Arsenii, de comminuto sacro calice, de stupro virgini illato, de laesa Maiestate, Constantinus Imperator ad Censorem Dalmatium, sororis filium Antiochiae Syriae commorantem litteras dedit, ut eos omnes, qui essent in crimen vocati sistendos coram se curaret, causam cognosceret, criminis convictos supplicio afficeret. Verum Athanasius (qui adhuc Diaconus in Synodo Nicaena strenue contra Arium dimicaverat, et religiosas, canonicasque Constantini sententias probe noverat, *apolog. 2. de fuga*) non omisit conqueri, quod contra semetipsum de causa mere ecclesiastica, de calice nimirum fracto, actum esset coram iudice laico, quem *externum* nuncupavit, asseverans ea de re oportuisse in Ecclesia sub legitimis clericis inquiri. Hinc Imperator mutato consilio illud idem iudicium a Censore avocavit, remisitque ad Synodum Episcoporum Tyri ob id indictam anno 335., quae in conciliabulum versa est. In qua stetit Athanasius, et per summam iniuriam damnatus obtentu sedandae multitudinis Treveros exulavit an. 336.; deinde a Constantino iuniore restitutus an. 338.; iterum ab Eusebianis absens damnatus; ac depositus in Synodo Antiochena an. 341., ad extremum absolutus est a Iulio I. summo Pontifice, Sedisque Apostolicae auctoritate sublevatus, ut narrat Socrates *lib. 1. cap. 20., et sequ.* Baronius ad ann. 329., et 339., Dadinus Altaserra *lib. 4. de iurisd. eccles. cap. 2.*

(1) Constantin. Imp. in *l. 1. C. Th. de episcopali iudicio.* Hanc legem revera ne tulerit Constantinus, dubitant Sozomenus *lib. 1. hist. Eccl. cap. 9.*, et Niceph. Callixtus *lib. 7. hist. cap. 46.*, Gothofredus autem negat omnimodis. Nihilominus *etsi demus Gothofredo* (inquit scitissime Benedictus XIV. *lib. 7. de Syn. Dioec. cap. 35. num. 9.*) *eam legem non esse Constantini M., cuius nomen praesefert: nemo tamen inficiabitur editam saltem fuisse a Theodosio* in Cod. Theod. *sub cuius nomine citatur a Carolo M., a quo est renovata, suisque Capitularibus inserta lib. 6. cap. 366. Eidemque Theodosio adscribitur ab Inn. III. eam approbante in cap. 13. de iudiciis.* Theodosio itidem eam inscribit Gratianus in *can. 35., et 36. C. XI. qu. 1.* Gratianum idcirco, et Innocentium ea de re carpit Franciscus Florens *to. 2. in comm. ad eamdem C. XI. in can. 35., 36., et 37.*

monium Episcopi a qualibet parte fuerit repromissum. Sirmondus (1) observat id etiam in hac ipsa lege cautum a Constantino, ut Episcopus non una solum partium informante, sed utraque audita, et rebus hinc, et hinc probatis, ac discussis ferret sententiam.

IV. Prima etiam Synodo Nicaena constitutum fert Gratianus (2) in causis clericorum alios esse iudices non debere, nisi quos ipse in ius vocatus clericus elegerit, aut sancta Sedes eo consentiente delegaverit. At Romani Correctores in genuinis canonibus Nicaenis istud non reperiri decretum probe notant. Id vero liquet ex hucusque dictis compertisque saeculi IV. moribus, Constantino M. imperante causas clericorum civiles, et ecclesiasticas ab Episcopo dioecesano cognitas in primo gradu: tum in gradu appellationis a Synodis cuiusque Provinciae, quae bis quotannis ex Nicaeno *can. V.* congregabantur ante quadragesimam, et autumnali tempore.

V. Paterna Constantini M. vestigia ingressi Constantius, et Constans rescripserunt Episcopos non esse coram publicis, h. e. laicis iudicibus accusandos: sed querelas eorum apud Coepiscopos deferendas (3). *Si quis est igitur querelarum*, ait lex imperialis, *quod quisquam defert, apud alios potissimum Episcopos convenit explorari, ut opportuna, atque commoda cunctorum quaestionibus audientia commodetur.* De sacerdotum vero, clericorum accusationibus nullum ii verbum. Concilium inde Carthaginense I. sub Iulio Papa iussu Constantis Imperatoris contra Donatistas habitum anno 358. decrevit clericos contumaces, et maioribus natu iniurios, et contumeliosos coercendos, eorumque causas fore a tribus Episcopis vicinis si diaconi essent: a sex, si presbyteri, a duodecim, si Episcopi, iudicandas (4).

VI. Mox placuit Valenti Gratiano, et Valentiniano I. Augustis constituere (5), ut clericorum ecclesiastica negotia, tum delicta circa re-

(1) Sirmondus in *append. ad Cod. Theod. ord. 17.*, hanc in textu Theodosiano desiderari clausulam: *sed omnibus accepto latis pronunciet:* eamque a Constantino explicite addictam affirmat.

(2) In *can. iudices 4. C. XI. qu. 1.*, ibi: *Iudices autem alii esse non debent, quam quos ipse, qui impetitur, elegerit, aut quos suo cum consensu haec S. Sedes, aut eius Primates auctoritate huius S. Sedis delegaverint.* Canonem huiusmodi non habent quum graeci, tum latini codices Nicaenae Synodi. Verumtamen Iulius Papa hunc in rescripto *contra Orientales* laudavit ex vetusto forsan Codice Armeno, seu Ægyptio, in quo septuaginta canones Nicaenos numeravit S. Athanasius Marco Papae scribens in *can. septuaginta 12. dist. 16.*, et notant Correctores Gratiani. Franciscus Florens in *comm. ad Causam X.*, putat a pseudo-Isidoro conflatum ex priscis Ecclesiarum Africae moribus iudiciariis.

(3) Constantinus, et Constans in *l. 12. C. Th. de Episc., et clericis* ad Severum P. P. Hinc Stephanus Patriarcha Antiochenus de insidiis contra Episcopos Euphratem, ac Vincentium legatos a Constante ad Constantinum missos, deque submissa noctu meretricula in eorum hospitium accusatus quum postulasset iudicium in Concilio Episcoporum: Constantius extra ordinem ea de re cognitionem habuisse fertur a Nicephoro *lib. 9. cap. 23.*

(4) Conc. Carthag. I. *an. 348. can. 11.*

(5) Valens., Grat., et Valent. I. in *l. qui mos 23. C. Th. de Episc. et cler.*

ligionis sanctitatem, observantiamque leviora, et civiles ipsorum causas Episcopi cognoscerent: dimisso ad laicos vel ordinarios, vel extraordinarios magistratus iudicio criminum graviorum. *Qui mos est*, inquiunt, *causarum civilium, idem in negotiis ecclesiasticis obtinendus est, ut si qua sunt ex quibusdam dissensionibus, levibusque delictis ad Religionis observantiam pertinentia, in locis suis, et a suae dioeceseos Synodis audiantur: exceptis, quae actio criminalis ab ordinariis, et extraordinariis iudicibus, aut illustribus Potestatibus audienda constituit.* Pecuniarias autem lites inter laicum, et clericum eo saeculo ab Episcopis more arbitrorum compositas, finitasque sat liquet ex S. Ambrosii (1), et Sidonii Apollinaris (2) epistolis.

VII. Eadem causarum distinctio viguit imperantibus (3) Valentiniano II., Theodosio M., et Arcadio. Hi enim, ut quaestiones ecclesiasticae iudicio Timothei Alexandrini Episcopi (4) definirentur; profana vero tum Episcopi, tum clericorum negotia Praefectus Augustalis in tota Ægypto cognosceret, sanxerunt: adempta magistratibus inferioribus iurisdictione, quae iis extra Ægyptum integra permansit (5). In Con-

(1) De praedio quum contenderent Marcellus Episcopus, eiusque frater, ac soror, probo consilio ad iudicium B. Ambrosii Mediolanensis declinarunt, ne in saeculari Praetorio negotium Episcopi ageretur. Quid arbiter Ambrosius definiverit, ipsemet scribit *ep. 24.*, aiens: *Tantus erat ardor christianis viris, ne Praefectus de Episcopi iudicaret negotio. Recepi cognitionem, qua me induit, et beatissimi Apostoli auctoritas. . . . ita tamen, ut compositionis essem arbiter. Malui iurgium compositione sedare, quam pronunciatione acerbare. Illud sequendum putavi, ut neminem vinci vellem, et omnes vincere. Nec fefellit sententia: vicistis enim omnes. Nemo plenius, Marcelle, nemo gloriosius, quam tu vicisti. Nam et fratri concessisti proprietatem, et sorori usumfructum: nihil autem admittur Ecclesiae, quod pietati adquiritur. Sed putas te gravari iactura iuris, damno pecuniae? meliora utique Sacerdotibus damna, quam lucra saeculi sunt... Haec transactio apostolicam decet normam.*

(2) Inter viduam, et presbyterum quod litem diremerit Alvernorum Episcopus Sidonius Apollinaris, idem ipse narrat *lib. 6. cap. 2.*

(3) Hanc legem a Valentiniano II. Gratiani filio latam memorat S. Ambrosius *lib. 3. ep. 23.* scribens: *Nec quisquam contumacem me iudicare debet in eo, quod augustae me: pater tuus non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit: in causa fidei, vel ecclesiastici alicuius ordinis eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis. Haec enim verba rescripti sunt, h. e. sacerdotes voluit de sacerdotibus iudicare. Quin etiamsi alias quoque argueretur Episcopus, et morum esset examinanda causa: etiam hanc voluit ad episcopale iudicium pertinere.*

(4) Timotheus sedit ab anno 380. annos quinque.

(5) Valent. II., Theod., et Arcad. in *l. graviter 3. C. Th. de Episc., et cleric.* Optato Praefecto Augustali haec rescripserunt: *Continua lege sancimus, ut nullus Episcoporum, vel eorum, qui Ecclesiae necessitatibus serviunt, ad iudicia sive ordinariorum, sive extraordinariorum iudicum pertrahatur. Habent illi suos iudices, nec quidquam his commune est cum legibus publicis: quantum tamen ad causas ecclesiasticas pertinet, quas decet auctoritate episcopali decidi. Quibuscumque igitur mota fuerit quaestio, quae ad christianam pertinet sanctitatem, eos decebit sub eo iudice litigare, qui Praesul est in suis partibus omnium Sacerdotum, idest per Ægypti dioecesim, Optate carissime, ac iucundissime. Quare laudabilis auctoritas tua arbitrio temperato quidquid*

cilio autem Carthaginensi II. anno 390. poenae sancitae in eos, qui suis ab Episcopis damnatos, vel regulare iudicium fugientes receperint: criminosi ab accusandis presbyteris exclusi, querimoniae, appellationesque subditorum ad vicinos Episcopos remissae, forma iudiciorum episcopalium praescripta.

VIII. Honorius autem Occidentis Imperator exeunte IV. saeculo edixit *clericos, nonnisi apud Episcopos accusari, eorumque causas dumtaxat Episcopi sub testificatione multorum audirent* (1). Praeterea eodem imperante constitutum, ut Episcopi de communi litigantium consensu, perinde atque arbitri voluntarii, remota appellatione iudicarent pecuniarias, et civiles dumtaxat causas et clericorum, et laicorum. *Si quis ex consensu apud sacrae legis Antistitem litigare voluerint, non vetabuntur: sed experientur illius in civili dumtaxat negotio, more arbitri sponte residentis iudicium*, lex ait (2). Et rursus (3) addit: *episcopale iudicium ratum sit omnibus, qui se audiri a Sacerdotibus elegerint, eamque illorum iudicationi adhibendam esse reverentiam iubemus, quam vestris deferri necesse est potestatibus P. P., a quibus non licet provocare. Per iudicum quoque officia, ne sit cassa episcopalis cognitio, definitioni executio tribuatur.* Praecipua hinc differentia arbitrii episcopalis a ceteris arbitrorum, et iudicum sententiis in eo tunc versabatur, quod sine scripto utriusque partis compromisso, alterutra earum postulante, posset arbiter Episcopus inter laicos iudicare, ab eiusque sententia nec provocare, neque adpellare liceret ad forum laicum. Exin Concilio Carthaginensi III. anno 397. placuit decernere, ut *quisquis clericorum derelicto ecclesiastico iudicio* ad publica iudicia transierit *in criminali actione, locum suum amittat: in civili vero perdat, quod evicit, si locum suum obtinere maluerit* (4).

IX. Quinto saeculo ineunte Innocentius I. Pontifex censuit causas, contentionesque inter clericos, aut laicos inter, et clericos tam superioris, quam inferioris ordinis in synodo provinciae fore diiudicandas (5)

negotiorum aliunde incidet, terminabit, habituro pontificium sacrae disceptationis Timotheo Episcopo, quem sibi omnes tuo etiam iudicio praetulere. Priorem huius legis partem adeo mutilavit, et mancam exscripsit Gratianus usque ad ea verba *cum legibus publicis*, in *can. continua lege 5. C. XI. qu. 1.*, ut hunc in sensum eam flecteret, nullo casu Episcopos vel clericos posse ad publicos, nimirum saeculares iudices trahi. Praeterea in eodemmet *can. 5.* subtexuit ex historia Rufini sententiam Constantini M. coram Patribus Nicaenis probatam, quae paulo superius dicta est.

(1) Honor. in *l. clericos 41. C. Theod. de Episc., et clericis ad Melitium PP.*

(2) Arcad., et Honor. ad Eutichianum P. P. anno 398. in *can. si quis 7. C. de episcop. aud.*

(3) Arcad., Honor., et Theod. anno 408. in *l. episcopale 8. C. eod. tit.*

(4) Conc. Carthag. III. in *can. placuit 43. C. XI. qu. 1.* sub Siricio Papa, Impp. Arcadio, et Honorio.

(5) Innoc. I. ad Victricium Rothomagensem Episcopum in *can. si quae causae 26. C. XI. q. 1.* haec rescribit: *si quae causae vel contentiones inter clericos, vel inter laicos, et clericos tam superioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exortae: placuit, ut secundum Synodum Nicaenam congrega-*

in gradu scilicet appellationis. Paulo post Ioannis tyranni edictum de clericis indistincte ad forum laicum pro qualibet causa trahendis, et cuncta illius acta Theodosius iunior, et Valentinianus III. post annum 424. quum rescidissent: privilegia Ecclesiarum antiqua instaurando, clericorum causas ad episcopalem audientiam primum restituerunt. *Fas enim non esse*, dicebant, *ut divini muneris ministri temporalium Potestatum subdantur arbitrio* (1). Mox idem Valentinianus III. edixit anno 452., Episcopis licere, nonnisi praeeunte compromissi vinculo, profanas causas quum inter clericos, tum inter laicos iudicare; easque deficiente ambarum partium compromisso, esse coram publicis iudicibus, ventilandas, etiamsi persona Episcopi in ius vocaretur: asserens *Episcopos, et presbyteros forum legibus non habere* (2). At Maiorianus illius in occidentali Imperio successor legibus antiquioribus inhaerens necessitatem compromissi pro firmando episcopali iudicio in profanis clericorum causis obliteravit anno 457. (3).

X. Interea Synodus IV. oecumenica, Chalcedonensis anno 451. sub S. Leone M. celebrata, cui adfuit Marcianus Orientis Imperator, hunc inter alios canones sanxit (4). *Si clericus adversus clericum habeat negotium, non relinquat suum Episcopum, et ad saecularia iudicia*

tis omnibus eiusdem Provinciae Episcopis iudicium terminetur. Sunt, qui opinantur hanc Innocentii epistolam de iudicio appellationis in Synodo Episcoporum provinciae locutam; non de foro dioecesani in primo gradu. Utcumque se res habuit, Innocentiana decretalis ista generatim firmasse videtur disciplinam fori ecclesiastici praeviis legibus, et canonibus consentaneam in primo, et secundo gradu.

(1) Theod., et Valentin. III. in *l. 37., seu fin. C. Th. de Episc., et cler.*

(2) Valentin. III. ad Firmianum P. P., et Patritium in Novella *de episcopali iudicio*, ita rescripsit. *Quum inter clericos iurgium vertitur, et ipsis litigatoribus convenit, habeat Episcopus licentiam iudicandi, praeeunte tamen vinculo* compromissi. *Quod et laicis, si consentiant, auctoritas nostra permittit. Aliter eos iudices esse non patimur, nisi voluntas iurgantium interposita, sicut dictum est, conditione praecedat. Quoniam constat* Episcopos, et presbyteros forum legibus non habere: *nec de aliis causis secundum Arcadii, et Honorii divalia constituta, quae Theodosianum Corpus ostendit, praeter religionem posse cognoscere. Si ambo eiusdem officii litigatores nolint, vel alteruter: agant publicis legibus, et Iure communi. Sin vero petitor laicus, seu in civili, seu criminali causa cuiushbet loci clericum adversarium suum, si id magis eligat, per auctoritatem legitimam in publico iudicio respondere compellat. Quam formam etiam circa Episcoporum personam observari oportere censemus.*

(3) Id notat glossa ad *cit.* Valentiniani Novellam in *append. Cod. Theod.* probatque Baronius *ad annum 451. num. 52.*

(4) Chalcedonens. Synod. in *can. si clericus 46. C. XI. qu. 1.*, et in *cap. 1. de foro compet.* Posteriorem huius decreti Chalcedonensis partem, quae agit de iudicio appellationis, et ultimo gradu Patriarchae Constantinopolitani, non habet textus Decretalium Gregorianus. Eamque monent Correctores Romani apud Gratianum redundare mendosa clausula huiusmodi: *vel certe si fuerit negotium ipsius Episcopi; apud arbitros audiatur negotium.* Nam ex graeco textu, latinaque Dionysii Exigui versione liquet, quod Patres Chalcedonenses voluntariam arbitrorum electionem cum Episcopi consilio in causis inter subditos dumtaxat decreverint, non inter subditum, et Episcopum.

non concurrat? sed prius negotium agitetur apud proprium Episcopum, vel certe ipsius Episcopi sententia apud arbitros ex utraque parte electos audiatur negotium. Si quis vero contra haec fecerit, canonum subiaceat correptionibus. Et si clericus adversus suum, vel alium Episcopum habeat causam, apud audientiam Synodi Provinciae eius conqueratur. Si vero contra ipsius Provinciae Metropolitanum Episcopus, sive clericus habet controversiam, pergat ad ipsius dioecesis Primatem, aut certe ad constantinopolitanae regiae civitatis Sedem, ut eorum ibi negotium terminetur. Quod ergo arbitrium leges imperatoriae clericis, et laicis tunc indulgebant declinandi a foro laico ad iudicium ecclesiasticum in causis profanis: id clericis sanctione synodica imperarunt Patres Chalcedonenses. De laicis vero collitigantibus ita rescripsit S. Leo M.: *Si quis poenitens habet causam, quam negligere forte non debeat: melius expetit* ecclesiasticum, *quam* forense *iudicium* (1).

XI. Marcianus Imperator anno 456. idemmet arbitrium perinde clericis, ac laicis actoribus confirmavit conveniendi clericos alternatim, vel coram ecclesiastico, vel laico iudice (2). Simul indulsit clericis Constantinopolitani Patriarchae subditis, ut solum apud Praefectum Orientis Praetorio causae omnes ipsorum qua civiles, qua criminales disceptarentur, quoties adire Archiepiscopum suum nollent (3). Omnes alios ceterarum ubique dioecesum clericos, et monachos fore pro causis civilibus in ius coram solis suae Provinciae Rectoribus vocandos, ne ad peregrina iudicia cogerentur extra Provinciam exire, constituerunt Leo Marciani successor, et Anthemius (4).

(1) S. Leo M. ad Rusticum Episc. Narbonens. in *can. aliud quidem est 34. C. XI. qu. 1.*

(2) Marcianus in *l. decernimus 13. C. de episcopali audientia,* ad Constantinum P. P.: *Decernimus*, ait, *ut quicumque catholicarum Ecclesiarum, quae sub viro religioso Archiepiscopo huius almae urbis sunt, reverendissimum Oeconomum sive de ecclesiasticis, sive de propriis, et ad ipsum solum pertinentibus causis, vel quemcumque alterum earumdem Ecclesiarum clericum aliqua voluerit lite pulsare: apud memoratum beatissimum Archiepiscopum causam dicat, in negotiis audiendis fidem, et sinceritatem geminam praebiturum, et sacerdotis et iudicis; volentibus tamen actoribus pateat episcopale iudicium; ac nullus, qui huiuscemodi intendit in sacrosanctas Ecclesias, vel in praedictos clericos actionem, ad religiosissimum Antistitem ducatur invitus.*

(3) Idem Imp. ad eumdem Praef. Praet. eodem die 8. Aprilis 456; in *l. cum clericis 25. C. de Episcopis, et clericis*, haec rescripsit: *Cum clericis in iudicium vocatis pateat episcopalis audientia, volentibus tamen actoribus: si actor disceptationem sanctissimi Archiepiscopi noluerit experiri, eminentissimae tuae sedis examen contra catholicos sub viro reverendissimo Archiepiscopo huius urbis clericos constitutos, vel contra reverendissimum Oeconomum tam de suis, quam de ecclesiasticis negotiis, sibimet noverit expetendum; qui in nullo alio foro, vel apud quemquam alterum iudicem eosdem clericos litium negotiis tentet innectere.*

(4) Leo, et Anthemius ad Eutropium P. P. in *l. omnes 33. C. de Episc., et clericis: Omnes, qui ubique sunt, vel posthac fuerint orthodoxae Fidei sacerdotes, et clerici, cuiuscumque gradus sint, monachi quoque in causis civilibus ex nullius penitus maioris, minorisque sententia iudicis commonitoria*

XII. Sub tyranno Basilisco per biennium iura ecclesiastica in Oriente deminuta litteris eius encyclicis acta Concilii Chalcedonensis temerantibus (1), in integrum restituit Leo II. iunior (2). Tum Zeno (3) Eutychianorum fautor, suadente Acacio Patriarcha Constantinopolitano quaestiones fidei primus omnium attrectare (4) ausus est, dum anno 482. edictum *enoticon*, seu decretum unionis catholicorum cum Eutychianis, posthabita Chalcedonensium canonum definitione tulit (5): quod tamen Felix Papa III. iure meritissimo damnavit.

XIII. Eodem quinto saeculo exeunte Gelasius, imperante Anastasio Zenonis successore, forum episcopalem clericis vindicávit in causis civilibus. Nam Silvestrum, et Faustinum Ecclesiae Grumentinae clericos, quaedam Theodora quum spreta paterna manumissione postulasset in foro laico Moderatoris, seu Correctoris Provinciae Lucaniae in servitutem redigi tamquam fugitivos, et Archidiaconus Grumentinus promisisset eos iudicio Moderatoris obsecuturos: Papa Gelasius rescripsit, Episcopos Crispinum, et Sabinum ea de re iudicaturos, *ut Ecclesiae iura*, quae vetusti Principes assidua sanctione firmaverunt, impetitis clericis *non negentur* (6): *quum constet eum, qui coelestem militem pulsat, nonnisi eius forum debere sectari* (7).

XIV. Conicere hinc licet forum ecclesiasticum in Ecclesiis occidentalibus quinto saeculo fata legum Romanarum subivisse: dum occidentali everso imperio per Alaricum Gothorum Regem anno 410., mox per Odoacrem Erulorum, Turingiorumque Ducem, qui anno 475. Romulum Augustolum in castro Lucullano ad necem interclusit; exortoque Italiae regno, Theodoricus M. mandante, vel annuente Zenone Orientis Imperatore, Odoacrem debellavit anno 493. Sane Theodoricus

ad extranea iudicia pertrahantur; aut provinciam, aut locum, aut regionem, quam habitant, exire cogantur. Nullus eorum Ecclesias, vel monasteria propria, quae religionis intuitu habitant, relinquere miserabili necessitate iubeatur: sed apud suos iudices Ordinarios, *idest* provinciarum Rectores, *in quibus locis degunt, Ecclesiarum ministeriis obsecundent, omniumque contra se agentium excipiant actiones . . . In hac autem regia urbe, si quando cuiusque rei causa Episcopos, vel presbyteros, ceterosque clericos, sive monachos ex aliis quibuscumque provinciis contigerit reperiri, quos tamen in litem quisquam vocare voluerit, in nullo alio sit licitum memoratis cuiquam pulsare iudicio, nisi in tuae sublimitatis dumtaxat examine.*

(1) Eas ab Evagrio, et Nicephoro memoratas Basilisci litteras encyclicas fert Gothofredus ad *l. 16. C. de sacros. Eccles. ver. tyrannidis.* Sacrilega Basilisci acta recenset Baronius *ad an. 472. to. 6. annal.*

(2) Leo II. Imp. in *l. decernimus 16. C. de sacros. Eccles.* ad Sebastianum Pr. Pr. *an. 476.*

(3) Hic Leonem II. veneno regnandi causa interemisse fertur.

(4) Id quod observat Iac. Benign. Bossuet in *disc. hist. univers. ad an. 482.*

(5) De quo nonnihil delibatum superiori *lib. 1. tit. V. num. XV.*

(6) Gelasius *ep.* ad Crispinum, et Sabinum Episcopos in *can. silvester 13. C. XI. qu. 1.*

(7) Idem *ep.* ad Ezechiam, seu Zeiam Comitem in *can. Christianis 12. eadem C. et qu.* Grumenti urbs prope Saponariam hoc in regno Neapolitano sita, cuius episcopatum Marsicensi Ecclesiae unitum fert Miraeus in *politia, et geographia ecclesiastica.*

iussit generatim Romanas leges servari adamussim (1) : easque eo imperante nedum in profanis laicorum , sed Ecclesiarum etiam , clericorumque negotiis reapse observatas commonstrat Ludovicus Muratorius (2).

XV. Synodo Palmari , seu Romanae IV. a Symmacho celebratae anno 502. , postulanti , quid agendum Rex vellet in causa Symmachi Papae , puta de ipsius electione , quam schismatici per calumniam exagitabant : Theodoricus respondit *in Synodi esse arbitrio tantum negotium definire , quidque agi deberet , praescribere* (3). Criminales quidem , civilesque personales clericorum causas iudicio Episcoporum in Italia speciatim remissas a Theodorico patefaciunt plures ipsius Regis epistolae apud Cassiodorum (4). Reales vero civiliter in clericos motae lites, ut a publicis, laicisque iudicibus dirimerentur , non semel rescripsit idemmet Theodoricus (5).

(1) Marc. Aurel. Cassiodorus , Theodorici Consiliarius , *lib. 1. cap. 27.* , *et lib. 3. cap. 43.* , enarrat haec Theodoricum dictitare consuevisse : *Iura veterum ad nostram cupimus reverentiam custodiri. Delectamur iure Romano vivere.*

(2) Murator. *in annal. Italiae ad an.* 513., Gratianus ex epistola Gelasii Papae ad Theodoricum promit hocce fragmentum in *can. certum est 12. dist. 10. Certum est magnificentiam vestram leges Romanorum Principum , quas in negotiis hominum custodiendos esse praecepit , multo magis circa reverentiam B. Petri Apostoli pro suae felicitatis augmento velle servari.* Hunc canonem Gelasio inscribit etiam Gothofr. *in prolog.* ex Gelasii Papae epistolis in Decreto Ivonis *part. 1. cap. 18.* At Symmaco Gelasii successori addicit Altaserra *lib. 3. rer. antiq. cap. 14.*

(3) Id liquet ex actis Synodi Palmaris , cui porticus basilicae S. Petri , *Palmaria* dictus , nomen dedit , in *collection. Concil.*

(4) Cassiodorus *lib. 1. variar. ep. 9.* promit epistolam Theodorici ad Eustorgium Episcopum Mediolanensem , qua ei Rex rescripsit , ut quosdam clericos Augustanae dioecesis de falsis proprii Episcopi accusationibus reos iam convictos in episcopali foro iudicaret, adempta publicis iudicibus cognitione. *Voluimus* , ait , *impugnatores eius legitima poena percellere. Sed quoniam et ipsi clericatus nomine fungebantur : ad sanctitatis vestrae iudicium cuncta transmittimus ordinanda , cuius est et aequitatem moribus talibus imponere , quam novimus traditionem ecclesiasticam custodire.* Presbyter quum reus argueretur de violato , expilatoque sepulcro , et thesauro effosso , ac contrectato : Rex Comiti iussit , ut re cognita thesaurum sequestro daret, suo obnoxium iudicio ; dimissa presbyteri persona , quam laico coercere, aut damnare non permisit apud *cit.* Cassiodor. *lib. 4. ep. 18. Hominis ambitum* , ait , *eo tantum fine concludas , ne possit supprimere , quod eum non licuit invenire. Scelus enim , quod nos pro sacerdotali honore relinquimus impunitum , maiori pondere credimus vindicandum.*

(5) Clero cathedralis Ecclesiae incolas oppidoli vindicante Rex Episcopo rescripsit , ut procuratorem designaret in Regia Curia tuiturum iura Ecclesiae , Cassiodor. *lib. 2. ep. 18. Clero vestro* , inquit , *creditis in eis aliquid rationabiliter suffragari , ad nostrum Comitatum instructam personam modis omnibus destinante , quae adversariorum debeat intentionibus obviare. Quod si de negotii qualitate dubitatis: convenit sacerdotalibus institutis , ut ante controversiam magis ipse iustitiam cognoscas , quam de iudicio victus discedas. Talem siquidem non oportet publice superari, quem amatorem aequitatis con-*

XVI. Ab his Theodorici, aliorumque Principum sententiis fere non abludunt leges Iustiniani. Imperator enim ad Iulianum P. P. an. 539. rescripsit (1), ut Episcoporum, clericorumque caussas in ecclesiastico foro cognoscendas Episcopi primum, dein Metropolitanus, aut Synodus Provinciae, ad extremum Patriarcha iudicarent eo pacto, ut ecclesiasticas, et spirituales nunquam posset laicus examinare; pecuniarias vero, et profanas criminum quoque communium, ubi actores, accusatoresque ab episcopali iudicio declinassent, laicus magistratus rite cognosceret. Post Codicem editum, emendatumque anno 534., idemmet Imperator Italiam fere totam, Regnumque Neapolitanum ducibus Bellisario, et Narsete iam adeptus, edixit Novellam LXXIX. anno 539., eaque iussit apud solos Episcopos monachorum, et monialium causas ita fore diiudicandas, ut nullam publici iudices iurisdictionem in eis haberent (2). Mox alia Novella LXXXIII. maluit clericos in pecuniaria caussa in ius coram Episcopo vocari, et nonnisi eo impedito, vel nolente coram iudice laico. In criminalibus vero caussis crimina ecclesiastica tantum, Religionemque spectantia ad Episcopos deferrentur: quod ad civilia, seu communia crimina homicidii, ex. gr. furti, adulterii, in clericos Constantinopolitanos extra ordinem Praefectus urbi, in ceteros provinciarum Praesidens cuiusque provinciae animadverteret, eosque post degradationem episcopalem legitimis poenis plecteret (3).

venit inveniri. Idipsum imperavit in controversia domus, quam occupaverant Ecclesiae Polanae ministri, quidam vero laicus vindicabat iure paternae successionis, inquiens apud Cassiod. *lib. 4. ep. 44. Instructam legibus ad Comitatum nostrum destinate personam, ubi qualitas negotii agnosci debeat, et finiri, tractato prius diligenter, inspectoque negotio, quia sacerdotem non decet protendere improbam litem. Pola* urbs, Istriae a Colchis condita, post coloniam illuc a Iulio Caesare deductam, *Iulia pietas* adpellata, ex Plinio *lib. 3. cap. 19.* Petrum quoque Episcopum de restituenda hereditatis portione a laico impetitum Rex admonuit, suo ut aequo arbitrio litem finiret: aliter ad regiam audientiam actoris querela deferretur, Cassiod. *lib. 3. ep. 3. Si in alienis causis*, ait, *beatitudinem vestram convenit adhiberi, ut per vos iurgantium strepitus conquiescat: quanto magis ad vos remitti debet, quod vos spectat actores . . . Quoniam causarum vestrarum qualitas vobis debet iudicibus terminari, a quo est expectanda magis, quam imponenda iustitia. Quod si hanc causam sub aequitate vestrum minime definiet arbitrium; noveritis supplicis querelam ad nostram audientiam perducendam. Vos enim docetis, voces pauperum non debere negligi, quas potest iustitia comitari.*

(1) Iustinian. in *l. sancimus 29. C. de episcopali audientia §. 4. Has autem actiones*, ait, *siquidem ad* ecclesiastica *negotia pertinent, necesse fore iubemus, ut a solis religiosissimis Episcopis, aut Metropolitanis, aut a sacris Synodis, aut sanctissimis Patriarchis cognoscantur. Si vero* civilium *rerum controversia sit, volentes quaestionem apud Antistites instituere, patiemur: invitos tamen non cogemus, quum iudicia civilia sint, si ea adire malint, apud quae licet etiam de* criminibus *agnoscere.*

(2) Nov. *79. cap. 1. et 2.*

(3) Hanc novell. 83. postulante Menna Constantinop. Patriarcha edidisse Iustinianus ipse in ea proloquitur, ne impunita clericorum crimina gliscerent ex negligentia iudicum ecclesiasticorum; sed coercerentur extra ordinem a laicis magistratibus duos intra menses ex praescripto canonum. Hinc favorem

Tum (1) Novella CXXIII. paulo amplius favit clericali foro, dum in causis mere ecclesiasticis, et religiosis omnibus cunctos clericos, eoque magis

potius ecclesiasticae immunitati, quam odiosam putat constitutionem hanc Emmanuel Gonzalez in *comm. ad cap. 8. de iudiciis num. 9.*

(1) Novell. 123. § 8; unde sumpta est Auth. *nullus Episcopus C. de Epis. et cleric. Sed neque pro qualibet pecuniaria caussa*, Imperator ait, *vel criminali Episcopum ad iudicem civilem, aut militarem* invitum *producere, aut exhibere* citra imperialem iussionem *permittimus: sed iudicem, qui tale aliquid sive ex scripto, sive ex non scripto praesumpserit imperare, post cinguli privationem viginti librarum auri poenam exolvere iubemus Ecclesiae, cuius Episcopus produci, aut exhiberi iussus est, executorem similiter post cinguli privationem, et verberibus subdendum, et in exilium deportandum.* De clericis autem conveniendis ita loquitur Iustinianus eadem *Nov. 123. cap. 21. Si quis contra aliquem clericum, aut monachum, aut diaconum, aut monastriam aut ascetriam habeat aliquam actionem, adeat prius sanctissimum Episcopum, cui horum unusquisque subiacet: ille vero caussam inter eos iudicet, et si quidem utraque pars iis, quae iudicata sunt, adquieverit; iubemus per loci iudicem hoc executioni perfecte contradi. Si quis autem litigantium intra decem dies contradicat iis, quae iudicata sunt, tunc locorum iudex caussam examinet; et si invenerit iudicium recte factum, etiam per sententiam propriam hoc confirmet, et executioni propriae tradat, quae iudicata sunt, et non liceat secundo in tali caussa victo appellare. Si vero iudicis sententia contraria fuerit iis, quae a Deo amabili Episcopo iudicata sunt: tunc locum habere appellationem contra sententiam iudicis, et hanc secundum legum ordinem referri, et exerceri. Si tamen ex imperiali iussione, aut iudiciali praecepto Episcopus iudicat inter quascumque personas: appellatio ad imperium, aut ad eum, qui transmisit negotium, referatur. Si vero crimen fuerit, quod adversus quamlibet memoratarum reverendissimarum personarum inferatur, siquidem apud Episcopum aliquis accusatur, et ipse veritatem invenire potuit, ab honore, et gradu hunc secundum ecclesiasticas regulas deiiciat, et tunc competens iudex hunc comprehendat, et secundum leges litem examinans, caussae finem imponat. Si vero prius civilem iudicem adeat accusator, et crimen per legitimam examinationem potuerit approbare, tunc Episcopo loci gesta monumentorum palam faciat: et si ex his agnoscatur proposita crimina commisisse eum, tunc ipse Episcopus hunc secundum regulas ab honore, sive gradu, quem habet, separet, iudex autem ultionem ei inferat legibus congruentem. Si vero Episcopus putaverit gesta non iuste confecta: tunc liceat ei deferre, et nudare honore, seu gradu accusatam personam: ita tamen, ut huiusmodi persona sub legitima cautela fiat, et ita ad nos negotium tam ab Episcopo, quam a iudice referatur, ut nos hoc cognoscentes, quae nobis videntur, iubeamus. Si quis autem pro pecuniaria caussa contra aliquem omnium memoratarum personarum habuerit actionem aliquam, et Episcopus distulerit inter eas iudicare: licentiam habeat actor civilem iudicem adire; ita tamen, ut accusata persona nullo modo cogatur fideiussorem dare, sed solam cautionem sine iureiurando cum hypotheca suarum rerum exponere. Si vero pro criminali caussa accusatio contra aliquam memoratarum personarum proponatur, sub legitima cautela accusata fiat persona. Si autem ecclesiastica caussa est, nullam communionem habeant civiles iudices circa talem examinationem, sed sanctissimus Episcopus secundum sacras regulas caussae finem imponat.* Deinde *sequ. cap. 22.* gradus iudicum appellationis in causis ecclesiasticis definivit Iustinianus, ut a dubio Synodorum iudicio ad Metropolitam, tum ad Patriarcham cognitio devolveretur. Demum in *seqq. capp.* varios iudiciorum ecclesiasticorum articulos praescribit.

Episcopos iudicio episcopali subiectos, atque a laicali foro prorsus immunes maluit: in caussis autem profanis ampliorem Episcopis, quam inferioribus hierarchiae personis exemptionem indulsit. Porro Episcopos vel invitos, vel sine iussione imperiali vetuit coram laicis iudicibus pulsari: reliquos clericos pro civilibus, seu pecuniariis causis ad libitum actorum edixit posse, vel apud dioecesanum Episcopum, vel apud iudicem laicum conveniri: salvo actoribus iure appellandi ab episcopali sententia ad iudicem laicum decem intra dies. De criminibus autem profanis, et communibus licere actoribus quum clericos, tum monachos, et ascetrias accusare vel apud Episcopum, vel apud laicum magistratum ea lege, ut in foro laico accusati, convictique, nonnisi post episcopalem degradationem, poenas legitimas darent.

XVII. Expositam de accusandis Episcopis sententiam huius Novellae Iustinianeae mutilavit pseudo-Isidorus eo studio, ut ne patefaceret Episcopos vel consentientes, vel praevia Principis delegatione iussos a Iustiniano fuisse, ut parerent criminali iudicio magistratus laici: eaque de re finxit commentitiam Papae Marcelli, aut Bonifacii epistolam ad Episcopos Galliae (1).

XVIII. Verumtamen Pelagius I., eodem Iustiniano imperante Pontifex, Benegesto Defensori scribens in mandatis dedit, ut generatim sine ullo causarum discrimine laicus actor reum clericum in episcopali foro, et vicissim clericus actor laicum reum in foro laico pulsaret (2). Idipsum dein Sergio Cancellario denuncians, *quem ordinem*, ait, *legibus per omnia convenientem, atque consentaneum demonstrari illa regula manifestat, quae praecipit actorem forum semper sequi pulsati: clericis vero pulsatis in episcopali iudicio forum competere, principalium quoque sanctionum designat auctoritas* (3). Mox epistola ad Narsetem patritium data is postulavit, ut Paulinum Aquileiensem, et Honoratum Mediolanensem Episcopos, quia hic eum illicite *contra canonicam consuetudinem* ordinaverat, captosque dirigeret *sub digna custodia* ad Iustinianum *clementissimum principem*, promeritas canonum poenas luituros (4).

(1) Hocce ex ea epistola fragmentum habet Gratianus in *can. nullus 8. C. XI. qu. 1. Nullus Episcopus neque pro civili, neque pro criminali caussa apud quemvis iudicem sive civilem, sive militarem perducatur, vel exhibeatur. Magistratus enim, qui hoc iubere ausus fuerit, amissionis cinguli condemnatione plectetur.* Verba istaec monent Correctores etiam Romani non a Marcello, nec a Bonifacio reapse prolata, sed sumpta ex Iustiniani *Nov. 123. cap. 8*; eaque non adamussim respondere vulgato Novellarum textui, sed Iuliani antecessoris versioni. Profecto nec Marcellus, qui sedit anno 304. tyrannis etiam tunc in Ecclesiam saevientibus, nec Bonifacius sedens anno 418. potuere sibi facultatem dare in laicos magistratus animadvertendi poenis saecularibus.

(2) Pelag. I., qui sedit ab an. 555., in *can. experientiae tuae 15. ead. C. XI., qu. 1.*

(3) Idem in sequenti *can. si quisquam clericus 16.*

(4) Idem in *can. istud est 20. eadem C., et qu.* Hunc vero canonem falso inscriptum Gregorio esse, monent Correctores *ibidem*. Desumptus porro est ex *ep.* Pelagii I. ad Narsetem patritium contra Paulinum Aquileiensem, et Honoratum Mediolanensem, quam videsis integram apud Baron. ad *ann. 556.*

XIX. Concilium Parisiense III. anno 557., sub eodem Papa Pelagio, et Childeberto Gallorum Rege, censuram excommunicationis sanxit in laicos iudices, qui clericum sine licentia Pontificis, puta Episcopi sui distringeret, aut condemnare praesumeret (1). Eadem quoque censura, et caussae amissione plectendos clericos esse in foro laico collitigantes cum conclericis censuit Synodus Toletana III. anno 589., sub Pelagio II. Pontifice, et Reccaredo Rege, in qua Wisigothi catholicam sunt fidem amplexi (2). Synodus Matisconensis I. an. 581. clericos minores, seu inferiores in foro laico litigantes, relicto Episcopi, vel Archidiaconi, et Presbyterorum iudicio corripiendos unde quadraginta icubus fore, honoratiores inclusione ad 30. dies decrevit (3).

XX. S. Gregorius Magnus, qui saeculi sexti finem, initiumque septimi decoravit, episcopalem quoque iurisdictionem studuit in clericorum caussis passivis tueri, et vindicare ab usurpationibus etiam Defensorum saecularium, quos in varias orbis catholici regiones Apostolica Sedes tunc mitteret ad patrimonium divi Petri, seu Ecclesiae Romanae curandum cum delegata in nonnullis caussis ecclesiasticis iurisdictione. Et quamvis nullum sanctus Pontifex discrimen caussarum unquam fecisset: suas tamen sententias iam dicta Novella Iustiniani constitutione 123. comprobare non dedignatus est (4). Mauricio Imperatori scribens ipse ostendit luculenter sacerdotes honorandos Regibus esse, non iudicandos (5). Et quoties iudicem suum alter litigantium recusaret ob aliquam suspicionis caussam: iussit, ut Episcopus ipse iudicem non suspectum delegaret (6). Septimo vertente saeculo Episcopi Galliae spiritalibus cen-

num. 20.; et in *collect. Labbeana*, eiusque aliud fragmentum in *can. nec licuit dist. 17.*

(1) Conc. Paris. III. an. 557. in *can. nullus iudicum 2. C. XI. qu. 1, et in cap. 2. de foro compet.*

(2) Synod. Tolet. III. in *can. nolite 42. eadem C., et qu.* Hunc canonem Concilio Milevitano inscriptum perperam a Gratiano, monent Correctores.

(3) Synod. Matiscon. in *can. nullus 6. ead. C; et qu. et cap. 2. de foro compet.*

(4) S. Greg. M. Ioanni defensori in Hispaniam eunti in *can. de persona 38. ead. C., et qu.*: *De persona presbyteri*, ait, *hoc attendendum est, quia si quam caussam habuit, non ab alio teneri, sed Episcopus ipsius adiri debuit*, sicut Novella *constitutio manifestat, quae loquitur de sanctissimis, et Deo amabilibus, ac reverendiss. Episcopis, clericis, et monachis Imp. Iustinianus August. Petro gloriosiss. Pr. Pr. . . . Ne vero obiiciatur, quia de* clerico hoc *loquitur non de* presbytero: *sciendum est, quia superius in eadem constitutione lib. Cod. 1. legitur appellatione* clericorum *etiam* presbyteros, et diaconos *contineri.* Idem scribens Romano Siciliae defensori in sequenti *can. pervenit 29.*, vetuit clericos nedum ad publica laicorum iudicia pertrahi, sed ipsius etiam Defensoris, ne forus episcopalis despiceretur; Defensor autem caussas in Episcopum a clerico, sive laico motas cognosceret, aut eligeret consensu partium iudices nimirum arbitros. Tum Ianuario Episcopo Calaritano scribens in sequenti *can. fratris 40. ead. C., et qu.* eius simplicitatem redarguit, neglectamque disciplinam in caussis clericorum, propterea quod illos laici iudices opprimerent.

(5) S. Greg. M. in *can. sacerdotibus 41. C. XI. qu. 1.*

(6) Idem *ep. 74. lib. 9. in cap. si quis contra clericum 4. de foro comp.*

surarum armis compresserunt nedum clericos contra Episcopum patrocinium Principis, magistratusque laici quaerentes: sed iudicem etiam saecularem, qui clericos quoslibet sine consensu Episcopi pro quavis causa distringeret, publicisque actionibus implicaret (1). Hispani vero Praesules pro Gothis Regibus anathemata saepe in rebelles, ac violantes iuramentum fidelitatis, reosque laesae maiestatis, et patriae proditores fulminarunt (2). Presbyteros autem, Ecclesiaeque ministros, nonnisi iudicio synodico damnandos fore sanxerunt: *quia Episcopus*, aiunt, *Sacerdotibus, ac ministris solus honorem dare potest, auferre solus non potest* (3).

XXI. Langobardorum Principes episcopalem iurisdictionem, clericorumque a foro laico immunitatem non servari modo, sed ampliari etiam indulserunt. Ariobaldus ad solium evectus anno 626., quamvis Arianus roganti Episcopo, ut monachos quosdam regia potestate coerceret, *non est meum*, respondit, *sacerdotum caussas discernere, quae synodalis examinatio ad purum debet iudicare* (4). Astulphus Rex anno 753. inter alia iussit, ne laica potestas caussas Monasterii Nonantulani Mutinensis iudiciario more umquam audiret (5). Aliis quoque multis, ne dicam omnibus Ecclesiis, et Episcopis ampliora eiusmodi privilegia fori clericalis, et exemptiones rerum, colonorumque Ecclesiarum regiis Langobardorum diplomatibus, legibus, moribusque concessa ideo fuisse monet Muratorius, ut ne colonos Ecclesiarum, et vassallos, et agricolas vexarent Comites, Gubernatores, ceteri magistratus publici, nec a fideli, et assiduo famulatu eos averterent (6).

XXII. Ad istam Langobardicae dominationis aetatem referre quidem oportet apocryphas decretales (7) omnes octavo saeculo confictas, et a

(1) Synod. Parisiens. V. *an. 614.* sub Clotario II. Rege *can. 3., 4., et 5.*, quos canones firmavit Synodus Rhemensis *an. 625. can. 3, et 6.*

(2) Synod. Tolet. IV. an. 634. S. Isidoro praeside *can. 67., et ult.* Tolet. V. *an. 636. can. 7.*, Toletan. VII. *an. 647. can. 1.*, Tolet. XII. *an. 681.* (quae *can. 1.* Gothorum proceres, et plebem a religione iuramenti et fide Regni Wambae data solutos declaravit, Regnumque Ervigio tunc dominanti firmavit communi Patrum sententia: tum *can. 3.* absolvit excommunicatos ob rebellionem, laesamque maiestatem, quoties in gratiam Regis redirent), et Tolet. XVI *can. 10.* Hinc videntur Hispani tunc Reges suum vice versa largiti patrocinium Episcopis, et episcopali iurisdictioni fuisse.

(3) Conc. Hispalense II. *an. 619.*, cui S. Isidorus etiam praesedit, *can. 5.*

(4) Ex Ioanne Ablita in *vita S. Betolphi*, Emm. Gonzalez in *comm. ad cap. 8. de iudiciis num. 5.*

(5) Ex regio Astulphi diplomate apud Lud. Ant. Murator. *par. 2. to. 1. rer. Italic. pag. 192*; *et antiqu. Italic. dissert. 71 — Ut nullus Comes, aut Gastaldus, vel reipublicae proximior in quaelibet praedicta invasionem facere audeat ullo in loco, nec ad* caussas iudiciario more *audiendas, vel fredu exigenda, aut mansiones, vel paratas faciendas, vel parafredos, aut fideiussores tollendos, aut* homines *tam ingenuos, libertosque, quam servos* super terram ipsius Ecclesiae manentes, *sive* emphyteuticarios *nullo modo distringendos, nec ullas publicas functiones, aut redhibitiones, vel illicitas occasiones inquirendas, consurgere audeat, vel exigere praesumat.*

(6) Murator. *cit. dissert. 71.*

(7) Quas iam memoravi superius hoc *lib. tit. II. num. VI. et seqq.*

pseudo Isidoro vulgatas. Enimvero eas ipsas eo quum animo fallax auctor effinxisset, ut ecclesiasticam disciplinam VIII. saeculo vigentem antiquis per speciem auctoritatibus firmaret, quanquam hasce ad suae ambitionis scopum saepius accommodare studeret (1): idcirco non contemnendas penitus fore commonent aequi rerum aestimatores (2). Anxie curans ille Primatis dignitatem, appinxit Concilio Nicaeno hocce decretum: *Iudices autem* (clericorum) *alii esse non debent, quam quos ipse, qui impetitur, elegerit; aut quos suo cum consensu haec S. Sedes, aut eius Primates auctoritate huius S. Sedis delegaverint* (3). Simul Silvestro Papae hoc aliud: *Si quis clericus accusans clericum in Curiam introierit, anathema sit* (4). Et rursum: *nullus clericus. vel diaconus, vel presbyter propter quamlibet causam intret in Curiam, nec ante iudicem civilem caussam dicere praesumat* (5). Eo igitur collineant quum hae, tum aliae, quas paulo superius exscripsi enunciationes pseudo-Isidori, ut forum ecclesiasticum censuris tueantur in cunctis clericorum, Ecclesiarumque caussis sine ulla temporalium negotiorum, aut communium criminum limitatione. Eodem interea saeculo VIII. Synodus Vernensis *an.* 755. a Pipino Rege convocata decrevit *can. III:* ut *unusquisque Episcoporum potestatem habeat in sua parochia tam de Clero, quam de Regularibus, et saecularibus ad corrigendum, et emendandum secundum ordinem canonicum spiritualem.* Et Concilium Francofordiense ad Moenum dioecesis Moguntinae *an.* 794. statuit *can.* VI., ut Episcopus ius in sua dioecesi reddat Abbatibus, presbyteris, ceteris clericis: Comites autem episcopali intersint iudicio, utque in casu contumaciae, vel inobedientiae ad Metropolitanum, vel eo impedito ad Regem caussa referatur. Mox *can.* XXX. addit, ut litem inter clericum, et laicum Episcopus, et Comes insimul definiant (6).

XXIII. Carolus Magnus debellatis Hadriano I. instante Langobardis, eorumque postremo Rege Desiderio interfecto, proclamatus a Leone III., populoque Romano Imperator anno 800., recitatam ex Theodo-

(1) Quisnam hic sycophanta, atque praecipuus ei scopus fuerit commentitiis Decretalibus ita consulendi Episcoporum iuribus, ut Romani Pontificis praerogativis quandoque detraheret, nec non stabiliendi Primates, hos Patriarchis exaequans, edisserit luculentissime Carolus Blascus in commentario *de collectione canonum Isidori Mercatoris*, numeris omnibus absoluto.

(2) Bened. XIV. *lib. 7. de Synod. dioeces. cap. 35.*

(3) Apud Gratianum in *can. iudices 4. C. XI. qu. 1.*

(4) *Can. si quis 10. ead. C. et qu.* Eodem falsitatis vitio laborat inscriptus Silvestro item in Synodo Romana *can. testimonium 9. ead. C., et qu. Testimonium clerici adversus laicum nemo recipiat: nemo enim clericum quemlibet in publico examinare praesumat, nisi in Ecclesia.*

(5) Ex eodem commentitio Silvestri decreto in *can. nullus 33. eadem C., et qu.* pseudo Isidorus recitatam obtrudit sententiam clericis vetantem adire *iudicem civilem, seu cinctum.* Vah quantum ea dissonat a moribus ecclesiasticis illius aevi, et Constantini legibus tunc receptis. Ex apocrypho canone hoc auctoritatem duxisse videntur ea Synodorum decreta recentiora, quae vetant clericis quamlibet in foro laico postulationem sine licentia Episcopi sui.

(6) Apud Gonzalez in *comm. ad cap. 1. de offic. iud. ord. num. 4.*

siano Codice legem Constantini Magni pro iudiciis, et caussis clericorum in primis innovavit (1). Postea arbitrium actori lege Constantiniana datum conveniendi clericum vel coram Episcopo, vel magistratu laico ademit, iubens, ut actor generatim, sive laicus, sive clericus sequi reum clericum deberet in foro huius ecclesiastico in omnibus indistincte caussis qua civilibus, et profanis, qua criminalibus (2). Ut nullus praeterea clericorum pulsare sine sui permissu Episcopi quemquam praesumeret in saeculari iudicio, iussit (3): secutus ferme canonem Agathensem (4). Speciali tum privilegio indulsit Carolus Magnus Ecclesiae Mutinensi, et Rhegiensi, ut *nullus iudex publicus ad causas audiendum ... nec fideiussiones tollendum, neque homines ipsius episcopatus distringendum procederet* (5).

XXIV. Ludovicus Pius Imperator paternam Caroli M. pietatem aemulatus, Ecclesiae Viennensi Delphinatium privilegia confirmavit, iussitque inter alia, ut *nullus iudex publicus, neque quilibet ex iudiciaria potestate in Ecclesias, aut loca, aut agros, seu reliquas possessiones memoratae Ecclesiae S. Mauricii ad caussas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones, vel paratas faciendas, aut fideiussores tollendos, aut homines eiusdem Ecclesiae tam ingenuos, quam servos, qui super terram ipsius residere videntur, iniuste distringendos, nec ullas redhibitiones, aut iniustas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat* (6). Idipsum iisdem fere verbis indulsit Monasterio S. Bavonis Gandavensis anno 819. (7).

(1) Carolus M. *lib. 6. Capitular. cap. 281. Ut omnes*, iussit, *tam Romani, quam Franci, Alemani, Bavari, Burgundiones, Saxones, Turingii, Frisones, Galli, Brittones, Langobardi, Guascones, Beneventani, Gothi, Hispani, ceterique nobis subiecti omnes, quocumque videantur legis vinculo constricti, vel consuetudinario more connexi, hanc sententiam, quam ex VI. Theodosii Imp. lib. cap. 11. ad interrogata Ablavii Ducis illi, et omnibus rescriptam sumpsimus, et inter nostra capitula pro lege tenendam, consultu omnium fidelium nostrorum tam clericorum, quam laicorum posuimus, lege cuncti perpetua teneantur, idest:* Quicumque litem habens, etc. Isthaec verba Gratianus disiecta in tres canones exscribit in *can. 35, 36, et 37. C. XI. qu. 1.*

(2) Car. M. *lib. 7. Capitular. cap. 112.*

(3) Idem Capitular. *lib. 6. cap. 155*; laudatus a Thomassino *par. 2. lib. 3. cap. 108. num. 4.*

(4) Synod. Agathens. an. 506. in *can. clericum nullus 17., et 47. C. XI. qu. 1.* Canonem vero Agathensem ita corruptum, et interpolatum habet Gratianus, ut contrarium omnino sensum obtrudat. Sanxerunt Patres Agathenses *can. 32; ne* clericus *Episcopo non permittente* laicos *apud saecularem iudicem traheret: si vero* clericus *ad saecularem iudicem vocaretur*, respondeat, *non proponat.* Apud Gratianum vero legitur in *cit. can. 47*: *Clericum nullus praesumat apud saecularem iudicem Episcopo non permittente pulsare: sed si pulsatus fuerit, non respondeat, vel proponat: nec audeat criminale negotium in saeculari iudicio proponere.*

(5) Ex regio diplomate Caroli M. anno 782. in archivio Capituli Mutinensis, et apud Ughell. *in Episc. Mutinens.*, et appendic. *tom. 5. Italiae sacr.* Muratorius *cit. dissert. 71.*

(6) Id referunt Balutius *tom. 2. Capitular. pag. 1404*; *et* Muratorius *loc. cit.* (7) Aubert. Miraeus *in codice donationum*, et Muratorius *loc. cit.*

XXV. Lotharium Augustum Ludovici Pii filium rogavit Leo IV., ut *romana lex absque procellis* eumdem eo imperante vigorem haberet, quem retroactis temporibus obtinuit (1). Simul declaravit sese capitula, et praecepta imperialia eius, et praedecessorum Principum custodisse, et custoditurum, eos, ut mendaces redarguens, qui aliter dicerent (2). Lotharius antea edixerat, ut populus Romanus interrogaretur, qua vellet lege vivere, Romana videlicet, an Langobarda, futurus exin eidem legi, quam profiteretur per dispensationem pontificiam, et imperialem, obnoxius (3).

XXVI. Sub Caroli Calvi Lotharii fratre, et successore Imperii, Regnique Italiae firmata est Episcoporum iurisdictio. Nam an. 897. in capitulare Compendiense inter alia ipse constituit ius Episcopis esse infligendi reis graviorum, publicorumque criminum poenam flagellationis; tum senioribus, qui suos vellent colonos, et vassallos contra Potestatem ecclesiasticam tueri, censuram excommunicationis (4). Et ipsemet Carolus Calvus Carolomannum principem filium suum, Ecclesiae Meldensis diaconum in Episcoporum Synodo apud Sylvanectum accusavit depopulationibus, multisque sceleribus irretitum, inquiens: *Clamores Episcoporum, ac ceterorum Sacerdotum . . . qui ad nos de illo venerunt ... canonico iudicio vestro, quorum interest de diacono iudicare, proponimus* (5). Quum vero Laudunensis Episcopus Hincmarus ad iudicia saecularia vocatus, illuc venire non posse plane respondisset, suumque advocatum non destinasset, mox iussu Regis ecclesiastica bona temporalia, excepta Ecclesiae, et Episcopi domo, et clericorum claustro, in bannum essent confiscationis titulo capta per Vicecomitem: id velut nefas inauditum, et novum exprobravit Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus patruus eius (6). Quod vero ad laicos, in Synodo,

(1) Leo IV. Lothario Aug. in *can. vestram 13. dist. 10.*

(2) Idem in *can. de capitulis 9. ead. dist. De capitulis*, ait, *vel praeceptis imperialibus vestris, vestrorumque pontificum Praedecessorum irrefragabiliter custodiendis, et conservandis, quantum valuimus, et valemus Christo propitio, et nunc, et in aevum nos conservaturos modis omnibus profitemur. Et si fortasse quilibet aliter vobis dixerit, vel dicturus fuerit, sciatis eum pro certo mendacem.* Mendosam huius canonis litteram ita corrigendam ex Ivone monent Correctores Romani *vestris, nostrorumque etiam Pontificum Praedecessorum.* Nam Occidentis Imperatores Pontificis titulum sibi non arrogabant ex supradictis hoc *lib. tit. 1. num. XV.*

(3) Lothar. in legib. Langobardicis *lib. 11. tit. 57.*, et Romani Correctores post *cit. can. vestram 13. dist. 10.* Videsis ad hanc rem dicta superius.

(4) Caroli Calvi Capitulare Compendiense Missis Dominicis, idest pontificiis datum an. 867., editumque *to. 2. Capitular. tit. 38.*

(5) Ex Synopsi actorum Concilii apud Sylvanectum anno . . . Syrmondus *to. 3. Concilior. Galliae pag. 407*, idemque *in notis ad Capitularia* regiam eiusmodi delationem refert.

(6) Hincmarus Rhemensis *ep. 29.* ad Carolum Calvum Regem pro Hincmaro Laudunensi nepote suo scribens, *iussistis*, ait, *praefatum Episcopum, ut die, et loco denominato veniret ad caussas vestras, idest ad iudicia saecularia, et suum advocatum de suo capite, videlicet de suo, quod ipse egit actu, idem non conscio quocumque Coepiscopo suo diceret. Qui mittens ad domina-*

quam Ioannes VIII. Papa habuit apud Trecas in Gallia, decretum ita est: *Habeant Episcopi singularum urbium in suis dioecesibus liberam potestatem adulteria, et scelera inquirere, et iudicare, secundum quod canones censent absque impedimento alicuius. Et cum opus fuerit, publicum convocent auxilium* (1).

XXVII. Eodem IX. saeculo Basilius Macedo Orientis Imperator personalem ministrorum Ecclesiae immunitatem a foro laico, episcopalemque iurisdictionem agnovit oratione, quam habuit in oecumenica octava Synodo, seu Constantinopolitana IV. ab Adriano II. Pontifice indicta anno 869. (2): *Noverit enim virtutibus plena perfectio vestra*, Imperator ait, *quia notum fuerit nobis, quod haeresis quaecumque... per assiduam doctrinam vestram radicitus evellatur, et omnes ad orthodoxam fidem manu ducantur, canonice huiusmodi Episcopus a proprio Patriarcha condemnabitur. . . De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui absolute conversamini, quid amplius dicam, non habeo, quam quod nullo modo vobis licet de ecclesiasticis caussis sermonem movere, neque penitus resistere integritati Ecclesiae, et universali Synodo adversari. . . . Ego quidem ut magistram, ecclesiasticorum negotiorum Sedem Apostolicam per meos legatos adii, et ideo vestram praesentiam praestolatus sum, ut vestro decreto, et solertia nostra Ecclesia nostra remedia sanitatis perciperet, et nos non nostris motibus, sed vestrae sententiae pareremus. Ergo chirographa, quae nostris sacerdotibus, et cunctis clericis salubriter exegistis, recipite, et spirituali Patri nostro sanctissimo Papae repraesentate.*

XXVIII. Hoc speciatim in regno Langobardi Principes ecclesiastica iura plerumque foverunt, auxeruntque immunitatibus, et exemptionibus. Pandulphus enim, et Landulphus Beneventi, et Capuae Principes leguntur haec Paulo Abbati Vulturni concessisse: *ut ubicumque tu, qui supra, vel successores tui in rebus praedicti Monasterii turrem, aut castellum facere volueritis, potestati vestrae sit ipsum faciendum in rebus praedicti Monasterii, et in vestram, et de successoribus vestris sint potestatem, et dominationem: et nullam potestatem, et dominationem ibidem habere debeat pars nostra publica* (3).

tionem vestram excusationem impossibilitatis suae illuc veniendi mandavit. De requisito, et non invento advocato illius . . . excepta Ecclesiae, et Episcopii domo, ac clericorum claustro, quidquid de rebus, et facultatibus ecclesiasticis sibi in episcopali ordinatione ad gubernandum, et dispensandum acceperat, iussione vestra per Vicecomitem ipsius pagi in bannum, *quod ius lingua latina* conscriptio confiscandi *vocatur, est missum . . . quatenus nullum obsequium ab Ecclesiae ipsius hominibus, nullumque subsidium de facultatibus ecclesiasticis per clericum, vel laicum ipse Episcopus posset habere . . . Natum est, quod nunc factum est: quia non est sub isto coelo auditum, ut Episcopus cum sua Ecclesia proscriptionis titulo ab ullo religioso Principe laicorum iudicio usque modo fuerit confiscatus, postquam Constantinus M. legem universis clericis dedit.*

(1) Synod. Io. VIII. in *cap. perniciosa 1. de officio iudicis ordinarii.*

(2) Ex collect. Concil. in actis VIII. Synodi.

(3) Ex regio diplomate in chronico Vulturni apud Murator. *cap. 2. to. 1. rer. Italic. pag. 545; cit. diss. 71. antiqu. Ital.*

XXIX. Lapsis interea moribus, et miserando Italiae fato ex assiduis, saevisque bellis (1) per quatuor ferme saecula, quamvis divina, et humana per fas, nefas miscerentur omnia: tueri nihilominus integram iteratis Conciliorum tunc frequentium canonibus iurisdictionem episcopalem Patres sategerunt. In constitutionibus, quas anno 1065. Mediolanenses observandas sibi acceperunt a Pontificis Alexandri II. Legatis, hoc inter alia cautum: *Integrum quoque habeat Episcopus in omnem suum Clerum canonice iudicandi, ac distringendi potestatem tam in civitate, quam extra per omnes plebes, et Capellas, ut dum clerici fuerint a saecularis iudicii infestatione securi, in divina servitute, et canonum auctoritate consistant quieti, et Archiepiscopo suo obediant devoti* (2). Criminum quamvis communium reos clericos ad episcopale iudicium pertinere, eorumque tum personas, tum res Episcopis subiectas tradit Ivo Cartonensis (3). S. Canutus Danorum, et Anglorum Rex, et martyr saeculo XI. *litteratorum*, idest clericorum, *controversias* vulgaris fori conditione exemptas ad unius, eiusdemque professionis iudices delegabat; iisque religionis reos, obiecta repellere nequeuntes, pecuniaria mulcta puniendos permisit. Ipsis etiam in omnia,

(1) Anno 820. Saraceni ex Arabia populi in Siciliam irrupere primum, Tarentumque profecti Graecos inde expulerunt, Grimald. *to. 1. hist. leg. et Magistr. Regn. Neap. lib. 3. num. 10.* In eos prospera movit arma Lotharii filius Ludovicus II. Rex Italiae, qui Benevento prius illos extrudit anno 851; mox debellavit penitus; in captivitatem ducto Seoda eorum Rege anno 867. Post Ioannes Papa VIII. suas ipsemet in eosdem copias educens Neapolim advenit anno 872. Hinc gliscentes abusus armorum, seditiones, turbae in sacris etiam ministris. Gerous Praepositus Reicherspergensis in libro *de corrupto Ecclesiae statu*, quem scripsit anno 1160, haec habet: *Audiant haec Episcopi, qui . . . officium militis, et Sacerdotis in una persona confundunt, Comitis, et Pontificis dignitatem simul administrant . . . . esurimus, et sitimus hanc iustitiam, ut iudicia, et negotia spiritualia per spirituales, et saecularia per saeculares ita peragant, ne termini a Patribus constituti negligantur.* Murator. *saepe cit. diss. 71.*

(2) N. Alexandr. *hist. saec. XI; et XII. cap. 7. de politia eccles. art. 5. de Episc. num. 12.*

(3) Eius aevi morem testatur Ivo Carnotensis, qui declinante saeculo XI. floruit, *ep. 101.* ad Adelam Comitissam. *Omnes*, inquit, *pseudo praedicatores, et pseudo-monachi, et pseudo-clerici fornicatores, adulteri, foeneratores, et alii (exceptis his, qui poena capitali puniendi sunt) a nobis distringendi, et corrigendi sunt; et ipsi, et eorum res nostri sunt iuris. Et haec est antiqua, et inconcussa consuetudo non tantum Carnotensis Ecclesiae, sed omnium Ecclesiarum per totum regnum Gallorum.* Idemque a Canonicis Bellovacensibus consultus, quid facto opus esset de Canonico ad Curiam regiam Ludovici VI. Francorum Regis pulsato in criminali caussa respondit *ep. 137. Quia res vestra in angusto posita est, prout oporteret, certum vobis consilium dare non possumus: quia in hoc negotio vestro, nisi Deus misericorditer consulat, oportet, ut aut legem offendatis, aut Regem. Si enim Canonicum vestrum criminis impetitum alibi; quam in Ecclesia examinari concedetis, canonicam legem offenditis: si audientiam Regalis Curiae respuitis, Regem offenditis. In qua disceptatione quum ipsi, et ratione, et auctoritate scialis quid sit verius, quid honestius: tamen pro temporum opportunitate sequi vos oportebit, quod infirmitati vestrae erit tolerabilius.*

*

quae adversus divina committerentur, animadversionis arbitrium tradidit, cunctasque huius generis actiones, sacerdotali iudicio destinatas a publico foro secrevit, ne honore impares conditio aequaret (1).

XXX. In laicos etiam reos ob quaedam graviora crimina censuris ecclesiasticis Episcopi animadvertere saeculo XI. studuerunt. Synodus Romana sub Leone X. anno 1051., et Londinensis anno 1057. sacerdotum concubinas etiam servitute damnandas censuerunt. Synodus Iuliobonensis anno 1080. sanxit, ut *parochianorum crimina Episcopo pertinentia, ubi consuetudo fuit, Episcoporum iudicio examinentur.* Concilium oecumenicum Lateranense II. anno 1139. incendiarios excommunicatione plectit Sedi Apostolicae reservata, eosque poenitentes ad militiam sacram cogendos decrevit. Dein eadem aliis fuit criminibus adnexa censura (2).

XXXI. Sedatis Ecclesiae procellis XII. saeculo, devictoque armis pontificiis, et Venetorum Friderico I. Barbarossa, qui tres ordine Antipapas pseudo-Victorem, seu Octavianum S. Caeciliae presbyterum Cardinalem, Guidonem Cremonensem, et Ioannem Abbatem Strumensem, cunctis adhaerentibus Germanis, et maxima Italorum parte tutari non dubitaverat: Alexander III. rebus cum Imperatore compositis anno 1179. (3), novae disciplinae fundamenta iecit firmiora, pontificiamque potestatem ad summum fastigium evexit. Quandoquidem in concilio Lateranensi III., quod oecumenicum XI. numeratur, post eiusmodi pacem eodem anno celebratum, in omnibus generatim caussis qua civilibus, qua criminalibus clericos omnes foro ecclesiastico frui debere, omnimodaque a foro laico exemptione sanxit, illudque tritum iuris axioma servandum omnino fore, quod actor forum rei semper sequi debeat, caussis tantum feudalibus exceptis, quarum cognitio est domino feudi reservata in clericos etiam feudatarios (4): *Quia laici quidam*, inquit, *ecclesiasticas personas, et ipsos etiam Episcopos suo iudicio stare compellunt: eos, qui de cetero id praesumpserint, a communione fidelium decernimus segregandos* (5). Exinde Salernitano Archiepiscopo rescripsit sententiam in clericos a saeculari iudice, quamvis convictos, vel confessos, irritam fore, tanquam a non suo iudice latam (6).

(1) Ita scribit Saxo Grammaticus *historiae Danorum lib. 11.*

(2) Videsis dicta superiori *lib. II. tit. VIII. de Sacr. Poenit. §. 1. de casuum reservatione n. LII.*

(3) Baronius ad an. 1179 acta pacis, et concordiae inter Alexandrum III., et Fridericum Imp. promit.

(4) Alexandr. III. in Concil. Lateran. in *cap. si clericus 5; cap. ex transmissa 6; et cap. verum 7. de foro compet.*

(5) Conc. Later. III. *can. 14.*

(6) Alex. III. in *cap. at si clerici 4. de iudiciis.* Idemque Pontifex ad Ludovicum VII. Francorum Regem *ep. 77.* haec scribit: *sic enim sanxit auctoritas, et Imperatores, qui antecessores tui fuerunt, et Reges Francorum in suis institutionibus hoc ipsum sanxerunt, quod hi, quibus a clericis iniuria irrogatur, eos debeant apud ecclesiasticos iudices solummodo convenire. Id ipsum praesertim super his, quorum iniuria infra sacros ordines peragitur, de consuetudine regni tui usque ad haec tempora accepimus observatum.* Simul Henrico II. Angliae Regi *ep. 10.* scripsit: *sicut clerici a viris saeculari-*

Mox Lucius III. censuit contrariam hisce canonibus consuetudinem non officere, *ut de omni crimine clericus debeat coram ecclesiastico iudice conveniri* (1). Addit Innocentius III., clericos nedum invitos, sed voluntarios etiam pacisci non posse, ut saecularia iudicia subeant (2). Et Bonifacius VIII. sanxit iudices saeculares, qui clericum ad solvenda liquida etiam debita compellerent, ecclesiastica censura fore a dioecesanis Episcopis compescendos (3).

XXXII. Praeterea mos novo Decretalium iure firmatus invaluit, ut sacrilegos Ecclesiarum malefactores, seu invasores in utroque foro, vel laico, vel ecclesiastico rectores Ecclesiarum pulsarent (4). Utque laici ecclesiastico iudicio parerent in caussis viduarum (5), et civilibus ratione iuramenti (6), vel ex negligentia iudicis laici (7), vel ex qualitate rei ecclesiasticae, aut clericalis (8), vel personae miserabilis (9), vel ex consensu mutuo (10). Id autem infra opportunius edisseretur, ac fusius.

XXXIII. Disciplinam fori clericalis XIII. saeculo communivit imperiali constitutione Fridericus II., qua sanxit, ut *nullus ecclesiasticam personam in criminali quaestione, vel civili trahere ad iudicium saeculare praesumat contra constitutiones imperiales, et canonicas sanctiones. Quod si actor fecerit, suo iure cadat, iudicatum non teneat, et iudex ex tunc potestate iudicandi privetur* (11). Eodem imperante Innocentius III. suo eam ex officio tutatus est, Petro Aragonum Regi ipse scribens, *obsecramus te fili charissime*, inquit, *per misericordiam Iesu Christi, quatenus illa mensura contentus, quam Deus tibi donavit, ad ecclesiastica iura non extendas aliquatenus manus tuas; sicut nec nos ad regalia iura manus nostras extendimus, relinquens nobis iudicium clericorum, sicut et nos laicorum iudicium tibi relinqui-*

bus vita, et habitu distinguntur: ita et iudicia clericorum a laicorum iudiciis diversa penitus comprobantur .... Si te in aliquo iudicium futurum deterret, aut praemiorum in aeterna requie corona delectat: veritatem, quae Deus est, et iustitiam colere, ius suum unicuique tribuere, negotia ecclesiastica, et praesertim criminalia, quae de laesione fidei, vel iuramenti emergunt, caussa super rebus, et possessionibus Ecclesiarum, et personis ecclesiasticis tractanda relinquere, regnum, et Sacerdotium non confundere, non adeo Serenitatem tuam deceret, quam etiam expediret.

(1) Luc. III. in *cap. clerici 8. de iudiciis.*

(2) Innoc. III. in *cap. si diligenti 12. de foro compet.*

(3) Bonif. VIII. in *cap. saeculares 2. de foro compet. in VI.*

(4) Idem Innoc. in *cap. cum sit generale* 8, et Greg. IV. in *cap. conquestus 16. de foro compet.*

(5) Innoc. III. in *cap. ex tenore 11. de foro compet.*

(6) Innoc. III. in *cap. novit ille 13. de iudiciis*, et Bonif. VIII. in *cap. cum C. laicus 3. de foro compet. in VI.*

(7) Alex. III. in *cap. ceterum 5. de iudiciis*, idem in *cap. ex transmissa 6*, et Innoc. III. in *cap. licet 10*; *et cap. ex tenore 11. de for. compet.*

(8) Alex. III. in *cap. si clericus 5. de for. compet.*

(9) Honor. 3. in *cap. ex parte 15. eod. tit.*

(10) Greg. IX. in *cap. significasti 18. eod. tit.*

(11) Frideric. II. in *Auth, statuimus C. de Episcopis, et clericis.*

mus : quia secundum Apostolum servus domino suo stat, aut cadit, ne si alienum tibi officium usurpaveris, exemplo Oziae Regis divinam sentias ultionem (1). Baronibus Franciae clericalem immunitatem violantibus haec ad Tusculanum Episcopum legatum suum scripsit idemmet Innocentius (2): *Si dicti Barones diligenter attenderent, quod Carolus Magnus Ecclesiam, a qua omnem honorem susceperat, cupiens, honorare perpetua lege decrevit, ut omnes ipsius iurisdictioni subiecti statutum a Theodosio Imperatore pro Ecclesiae libertate editum inviolabiliter observarent. . . . manifesta potest ratione perpendi, quam iniquum videatur, et absonum, si honor Ecclesiae, quae tam grandis libertatis privilegio donata dignoscitur, in illis immunitatibus, quae multo noscuntur esse minores, his temporibus decurtetur. Si alias Barones ipsi pensarent, quod omnes, qui praesumunt statuta condere contra ecclesiasticam libertatem, sunt ipso facto excommunicationis sententia innodati : forsan non processissent ad talia, nec etiam persisterent in eisdem.*

XXXIV. In Concilio Viennensi oecumenico sub Clemente V. indultum insuper Episcopis est, ut *inter suos subditos (ne ob defectum iustitiae dispendium aliquod patiantur) possint in dioecesibus alienis, in quibus moram traxerint (dummodo per se, vel per alium hoc in suis propriis dioecesibus facere non audeant, vel non possint) iurisdictionem suam omnimodam exercere : ita tamen quod subditi ultra duas. . . . diaetas a fine suae dioecesis non trahantur. . . . et ante omnia a dioecesanis locorum petant licentiam in praemissis* (3). Plures quoque Synodi provinciarum Galliae, Hispaniaeque iurisdictionem ecclesiasticam anathemate Sedi Apostolicae reservato vindicarunt saeculo XIII., et XIV.

XXXV. Saeculo XV. Concilium Constantiense Authenticam constitutionem Friderici II. Imperatoris pro episcopali iudicio in cunctis clericorum causis, et civilibus, et criminalibus latam confirmavit, exscriptamque in ipsius Concilii appendice latius promulgandam censuit: tum in monitorio Philippi Comitis pro restituendo in libertatem Alberto Astensi Episcopo, *attendentes*, ait, *quod subditi in eorum Praelatos, et laici in clericos nullam habeant iurisdictionem, et potestatem* (4).

XXXVI. Sequenti saeculo Concilium Lateranense V. oecumenicum sub Leone X. anno 1518. sententiam excommunicationis ipso facto protulit in turbantes ecclesiasticam iurisdictionem, ut ea magnum adstrueret praesidium clericalibus immunitatibus : *quum a iure tam di-*

(1) Innoc. III. ad Petrum Aragonium *ep. 8. lib. 14.*

(2) Apud N. Alexandrum in *hist. saec. XIII.*, *et XIV. cap. 7. de politia eccles. art. 2.*

(3) Clementina *un. de foro competenti.* Guilielmus Durandus Episcopus Mimatensis in tractatu, quem paulo ante Viennense Concilium edidit, *de modo generalis Concilii celebrandi rubr. 70.* exponit viginti articulos causarum, in quibus turbatam aevo suo ab laicis ecclesiasticam iurisdictionem conquerebatur. Eos videsis apud N. Alexandrum *loc. cit.*

(4) Synod. Constantiens. *sess. 31. Martii 1417.*

vino, quam humano, ait (1), *nulla in ecclesiasticas personas laicis attributa sit potestas.*

XXXVII. Indictis dein comitiis Tridentinis anno 1542. plura, quae tunc episcopali iurisdictioni obversabantur, impedimenta exposuit Paulo III. coetus quatuor Cardinalium Contareni, Carafae, Sadoleti, et Poli, totidemque Praelatorum Friderici Fregosii Salernitani, Hieronymi Alexandri Archiepiscopi Brundusini, Ioannis Matthiae Giberti Episcopi Veronensis, et Gregorii Cortesii Abbatis S. Georgii Venetiarum (2). Hinc denique Tridentina Synodus anno 1563. hac de re *saeculares Principes officii sui admonendos esse censuit: confidens eos, ut catholicos, quos Deus sanctae Fidei, Ecclesiaeque protectores esse voluit, ius suum Ecclesiae restitui non tantum esse concessuros, sed etiam subditos suos omnes ad debitam erga Clerum, Parochos, et superiores Ordines reverentiam revocaturos; nec permissuros, ut Officiales, aut inferiores Magistratus Ecclesiae, et personarum ecclesiasticarum immunitatem* Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus *constitutam violarent, sed una cum ipsis Principibus debitam sacris summorum Pontificum, et Conciliorum constitutionibus observantiam praestent. Tandem praecipit sacros canones, Concilia generalia omnia, nec non alias apostolicas sanctiones in favorem ecclesiasticarum personarum, et libertatis ecclesiasticae, et contra eius violatores editas, quae omnia praesenti decreto innovat, exacte ab omnibus observari debere* (3).

XXXVIII. Sunt, qui ea Patrum Lateranensium verba *iure tam divino, quam humano*, et haec alia Tridentina *Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus;* non coniuncto, sed distincto sensu ita accipiunt, ut adstruant ecclesiasticam, et clericalem immunitatem in spiritualibus *iure divino, et Dei ordinatione;* in temporalibus negotiis *iure humano, et canonicis sanctionibus* constitutam: dum considerant immotam semper stetisse in spiritualibus episcopalem iurisdictionem, immunitatemque ab iure divino immutabili procul dubio profectam; mutata vero pro temporum, mobiliumque legum humanarum conditionibus iura de temporalibus Ecclesiae rebus, clericorumque negotiis.

XXXIX. Operae nunc pretium est gesta, et leges huius regni Principum ex coepto instituto percurrere. XI. saeculo quum Normanni suam in ditionem redegissent plura Apuliae, et Calabriae loca, primumque Robertus Guiscardus ea in feudum accepisset a Nicolao Papa anno 1059., mox ab Alexandro II., et S. Gregorio VII. anno 1078., praestito Sedi

(1) Conc. Lateran. V. *sess. 9.* Tum sequenti *sess. X.* nonnulli Episcoporum Galliae conquesti sunt Concordata inter Leonem X; et Franciscum I. laicis iurisdictionem in ecclesiasticos indulsisse.

(2) N. Alexandr. in *hist. saec. XVI. cap. 1. art. 16. de Paulo III;* hunc reformandae disciplinae articulum 12. ex relatione coetus Cardinalium, et Praesulum habet: *Alius abusus magnus, et minime tolerandus est ex impedimentis, quae inferuntur Episcopis in gubernatione suarum ovium, maxime in puniendis scelestis, et corrigendis. Nam primum multis viis eximunt se mali homines, praesertim clerici a iurisdictione sui Ordinarii.*

(3) Trid. *sess. 25. de reform. cap. 20.* Cum nullam huic Tridentino capitulo censuram appinxerit regius Censor: ipsum idcirco acceptum hoc in regno sat innuit.

Apostolicae iuramento fidelitatis, et solvendi quotannis duodecim denarios Papienses pro singulis bovum iugis (1): eam grato animo retulisse gratiam videtur, ut nihil contra ecclesiasticam iurisdictionem, sacrosque canones, ac leges eam tuentes molitus esset. Postmodum germanus eius Rogerius, Apuliae Dux clientem Romanae Ecclesiae sese professus in Melphiensi Concilio sub Urbano II., qui praesedit anno 1090., sponsionem suam implevit contra Saracenos, Graecosque schismaticos pro Religione, et cunctas utriusque Siciliae Ecclesias Romanae Sedi, expunctis Patriarchae Constantinopolitani usurpationibus, revindicavit (2). In eo autem Concilio ita sancitum: *ne gravamen aliquod sancta patiatur Ecclesia, nullum ius laicis in clericos esse volumus, et censemus* (3). Pontifex tum ipse ad Rodulphum Comitem scribens, *nosse te volumus*, ait, *quia nulli saecularium domino potestatem in clericos habere licet, sed omnes clerici Episcopo soli debent esse subiecti: quicumque vero aliter praesumpserit, canonicae procul dubio sententiae subiacebit* (4).

XL. Concordata inter Adrianum IV. Pontificem Beneventi obsessum, et Regem Guilielmum anno 1156. (5) hunc habent articulum iudicia ecclesiastica spectantem: *Si aliquis clericus in Apulia, et Calabria, et aliis terris, quae Apuliae sunt affines, adversus alium clericum de caussis ecclesiasticis querelam habuerit, et a Capitulo, aut Episcopo, vel Archiepiscopo suo, seu alia ecclesiastica persona suae provinciae non poterit emendari: libere tunc, si voluerit, ad Ecclesiam Romanam appellet.* Ex conventa solum libertate appellandi ab episcopali iudicio ad Curiam Romanam in caussis ecclesiasticis licet arguere tunc iurisdictionem episcopalem ad profanas caussas non extensam, sed potius fuisse limitatam eiusdem Regis constitutione XV. *de clericis* in Curia saeculari *conveniendis pro possessionibus, quas non tenent ab Ecclesia.*

XLI. Sub Svevis Regibus varias ecclesiastica res subivit vicissitudines, modo tranquilla, modo turbata. Quoad Innocentius III. ex ultimis Reginae Constantiae tabulis tutelam, curamque habuit natu minoris Friderici I. hoc nomine Regis Neapolitani anno 1219., qui postea maior dictus est Fridericus II. Imperator: canones, legesque omnes, novaeque decretales pro clericali foro, et ecclesiasticis immunitatibus latae suam omnino vim obtinuere: postea roboratam imperiali eiusdem Friderici constitutione (6). Mox feralibus dissidiis inter ipsum, Romanamque Sedem exortis (7), plura iuribus ecclesiasticis illata fuere detrimenta.

(1) Id contestantur Leo Ostiensis *lib. 3. cap. 16; et lib. 8. cap. 52;* Baronius in *annal. ad an. 1059., et 1090;* B. Chioccarell. in *arch. Reg. iurisd. to. 1. Robertum donat Nicolaus honore Ducali*, canens, ait Guilielmus Apulus lib. *2. poematum.*

(2) Videsis dicta *lib. 1. tit. XIV. de Patriarchis num. V., et tit. XXII. num. XV.* (3) Conc. Melphiense an. 1090 can. 10.

(4) Urban. II. ep. 14. ad Rodulphum Comitem.

(5) De iis nonnihil dictum *lib. 1. tit. X. de Concordatis num. II.*

(6) Quae superius memorata iam est hoc *tit. num. XXXIII.*

(7) Ea potius exacerbavit, quam restinxit censura Concilii Lugdunensis I. sub Innocentio IV. in Fridericum anno 1245. Unde diuturna per Italiam, Germaniamque bella, et turbae Guelforum, qui pontificias, et Gibellinorum, qui caesareas partes sectabantur

XLII. Andegavenses dein Reges Romanae Ecclesiae obsequentissimi ecclesiasticam iurisdictionem ad legum, et canonum amussim redintegrando, quammaxime foverunt. Nam Carolus I. a Clemente IV. ad solium utriusque Siciliae adscitus pontificiam investiturae Bullam anno 1265. datam accepit hisce inter alia pactis (1): ut caussae ecclesiasticae omnes coram Ordinariis locorum, etiam, ut Sedis Apostolicae delegatis agerentur, cunctis abrogatis placitis Regum praedecessorum contra ecclesiasticam immunitatem latis; utque numquam clerici de caussis quibuslibet civilibus, et criminalibus, exceptis dumtaxat feudalibus, possent in foro laico iudicari. Tum Carolus II. in planitie S. Martini inter alia constituit anno 1283. non trahendos clericos ad iudicia saecularia fore, nisi pro bonis saecularibus, nempe feudalibus, confirmando iam dictum Clementis IV., et Caroli I. capitulum, nullamque saeculares iudices cognitionem sumpturos de aliquo crimine ecclesiastico, nec Praelatis Ecclesiae impedimentum daturos in puniendis reis secundum leges (2).

XLIII. Vestigia Andegavensium presserunt Aragonenses. Nam Ferdinandus I. Aragonius ea ipsa Honorii IV., et Caroli II. capitula pro immunitate ecclesiastica, et clericali exemptione a foro laico tuenda firmavit, suaeque Pragmaticae constitutioni inserta iussit, ut ea perpetuis deinceps temporibus inviolata observarentur (3).

XLIV. Eadem fere pacta cum Andegavensibus conventa exhibent, innovantque subsecutae investiturarum litterae a Romanis Pontificibus ad singulos Reges nostros datae (4).

XLV. At humanis moribus in peiora usque pronis, factum est in hisce quoque provinciis, et dioecesibus, ut quum antea, tum post comitia Tridentina conquererentur hinc Episcopi de impedimentis ecclesiasticae suae iurisdictioni obiectis (5), hinc magistratus laici de protenta in laicos, et iura laicorum temporalia manu ecclesiastica; intereaque subditi qua clerici, qua laici obniterentur iudicia in utroque foro aut eludere, aut turbare assiduis fori competentis quaestionibus. Huc redeunt regia censura capitum aliquot reformationis Tridentinae, pontificiorumque legatorum querelae ob ea spreta, et violata ad Philippum II. Hispaniarum, et utriusque Siciliae Regem delatae, atque ad nostram usque aetatem protractae: simul turbae inter ecclesiasticos, et laicos iudices saepenumero excitae de ruptis mutuo finibus iurisdictionis. Dira hinc anathemata in eos, qui ecclesiasticam iurisdictionem usurpent, perturbent, impediant, per bullam quotannis in die Coenae Domini promulgari consueta, Sedi tantum Apostolicae absolvenda, item censura excommunicationis Ordinario loci reservata, quam plures Neapolitanae praesertim

(1) Ex Bulla investiturae art. 17., 18., et 19. apud Raynaldum ad ann. 1265, et B. Chioccarell. *in archiv. Reg. iurisd. to. 1. n. 24.*

(2) Capitula Caroli II. condicta in planitie S. Martini anno 1283., art. 3., et 13., quae quia Honorius IV. confirmavit anno 1285., Concordata Honorii consueverunt idcirco appellari.

(3) Ferd. I. Arag. in *Pragm. 2. de clericis, et diaconis silvaticis*, edita die 25. Maii 1469. (4) Eae prostant apud B. Chioccarellum.

(5) Videsis relata superius num. XXXVII.

Synodi (1) comminantur iis, qui posthabita sacrorum canonum sanctione clericos etiam consentientes in forum laicum traxerint extra casus in bulla Coenae contentos. Hinc regiae litterae obvertentes istiusmodi bullae, quam nullimodis patitur in foro praesertim externo commemorari laica Potestas (2), quemadmodum et censuris episcopalibus. Novissima tandem Concordatorum lex inter Benedictum XIV., Regemque nostrum Carolum augustissimum fecit statum fori ecclesiastici pacatiorem. Qualis autem iste nunc sit, quo pacto, et quibus speciatim in causis qua spiritualibus, et ecclesiasticis, qua profanis, et temporalibus detur Episcopis iudicare inter clericos, et laicos: curatius dicam in sequentibus titulis.

TIT. IV.

De foro competenti et incompetenti.

I. Irrita, et nulla sunt in alieno foro in quemlibet prolata iudicia, et acta iudicis non sui.

II. In caussis clericorum passivis, et spiritualibus laicorum incompetens dicitur primum laicus iudex, et vicissim in profanis ecclesiasticus.

III. Quivis deinde extra suum territorium, vel dioecesim ius dicens, aut in personas exemptas.

IV. De foro competenti certant aut laicus cum ecclesiastico, aut dioecesanus cum extraneo, aut loci Ordinarius cum Praelato exemptorum.

V. Qui forum rei proprium sequitur, is competentem iudicem adit.

VI. Forum Ecclesiae, ac iurisdictionem cum territorio Episcopos habere Cuiacius negat.

VII. At novella Valentiniani multis abrogata legibus, et aequivoca verba episcopalis audientiae, *ac* dioecesis *in voluminibus iuris usurpata id probare non valent.*

VIII. Forum suum et internum, et externum in Ecclesia Episcopi semper habuere.

IX. Externum officiales, et Vicarii ab Ecclesia ad episcopalem domum transtulerunt.

X. In quolibet suae dioecesis loco non exempto iudicia Episcopus, eiusque minister exercet, citatis speciatim partibus ad comparendum in certo extra consuetum tribunal loco.

(1) Neap. Synodi Cardinalis Boncompagni anno 1627., et 1632. Card. Philomarini anno 1544. I., et IV. Card. Caraccioli anno 1669., et 1680.. Dioecesana Card. Cantelmi *casu 7., et par. 4. cap. 10. num. 2., et 3.*, Provincialis Franc. Pignatelli *par. 2. cap. 6. cas. 10., et par. 4. cap. 10. num. 1., et 2.*

(2) Apud B. Chioccarell *to. 4. arch. tit. 2.*

XI. Dicasterium sacrum in Ecclesia primum, dein in domo Episcopi cuiusque distinctum semper a profano laicorum foro fuit.

XII. Audientiae vocabulum in Codice Iustiniani idem sonat, ac forense auditorium, seu tribunal.

XIII. Intra dioecesim, et parochiam suam iudices episcopales, quasi in territorio suo ius collitigantibus dicunt: quamvis alio sensu territorium distinguatur a dioecesi.

XIV. Internum, et externum Ecclesia forum semper habuit.

XV. Nec non merum in spiritualibus caussis imperium iure divino, mixtum cum modica coercitione in caussis profanis iure humano.

I. Regula iuris probatissima definit nullius fore momenti sententiam in quemlibet non suo ab iudice prolatam (1), quemadmodum et omnia in alieno foro acta, confessionesque litigantium inibi conscriptas (2). Quoties idcirco acciderit causam qua civilem, qua criminalem in foro incompetenti partium errore, aut fraude institutam remitti una cum actis ad iudicem suum, vel ecclesiasticum ab laico magistratu, vel versa vice: stylus invaluit integrum rite instruendi iudicium in foro competenti, perinde ac si gestum nil alibi fuerit, novasque probationes producendi. Eam porro fidem vix faciunt probationes ex alienis actis desumptae, quam solent res extra iudicium gestae promereri.

II. Suis ergo finibus contentus quisque iudicum eas sibi tantummodo caussas cognoscendas, dirimendasque suscipiat, quae suum ad forum pertinent, alienas non invadat. *Sicut volumus*, aiunt Patres in concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. (3), *ut iura clericorum non usurpent laici: ita velle debemus, ne clerici iura sibi vindicent laico-*

(1) Impp. Gratian., Valentin., et Theodos. in *l. ult. C. si a non competente iudice iudicatum esse dicatur*, Potito Vicario rescribentes: *in privatorum causis*, aiunt, *ne quemquam litigatorum sententia, non a suo iudice dicta constringat.* S. Gregorius M. Ioanni Defensori in Hispaniam eunti speciatim scripsit sententiam in causa Ianuarii Episcopi, non a suo iudice dictam nihil firmitatis obtinere, *can. in primis 7. C. 2. qu. 1.* Tum Hadrianus Papa in *can. pen. C. XI. qu. 1*, id generatim iussit: *in clericorum caussa huiusmodi forma servetur, ne quemquam eorum sententia a non suo iudice dicta constringat.*

(2) Ex Alex. III. decretali ad Archiep. Salernitan. in *cap. at si clerici 4. de iudiciis, et cap. ad nostram audientiam 3. de consuetudine.*

(3) Conc. Lateran. IV. sub Inn. III. *can. 42.* Iamdudum Nicolaus Papa nono saeculo *ep.* ad Michaelem III. Imperatorem Constantinop. quem illius saeculi Neronem, et Sardanapalum quidam appellant, haec scripserat: *Cum ad verum ventum est, nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex, quod imperatorium est, usurpavit: quoniam idem mediator Dei, et hominum Christus Iesus dignitatibus distinctis officia Potestatis utriusque discrevit, can. cum ad verum 6. dist. 69.* Integram Nicolai epistolam, quae incipit *proposueramus*, videsis in *collect.* Labbaeana Conciliorum. Huc spectat Pragmaticarum titulus 75. *de iurisdictionibus invicem non turbandis.*

rum. Quocirca universis clericis interdictum est, ne quis praetexu ecclesiasticae libertatis suam de caetero iurisdictionem extendat in praeiudicium iustitiae saecularis : sed contentus existat constitutionibus scriptis, et consuetudinibus hactenus adprobatis. Et quoniam leges quum divinae, tum humanae superioribus titulis iam expositae generatim patefaciunt caussas nedum spirituales cunctorum fidelium, et spiritualibus adnexas, profanas, etiam clericorum, Ecclesiarumque ad forum ecclesiasticum pertinentes, quae infra speciatim, et curatius edisserentur: exinde consequitur in hisce caussis ecclesiasticum iudicem tantummodo competentem, laicum vero incompetentem esse generatim, sicut e contrario in cunctis laicorum caussis profanis, et nonnullis clericorum temporalibus, quae sigillatim sunt itidem inferius recensendae ex huiusce Regni legibus, et moribus, laicus dumtaxat iudex est competens.

III. Adhaec distinctio dioecesum, provinciarum, locorum efficit, ut Episcopus quisque dioecesanus, locive Ordinarius caussas ecclesiasticas, et clericorum suae dioecesis: iudex vero laicus sive regius sive baronalis caussas profanas, et laicorum intra sui territorii fines in fore spectatim suo audiat, et iudicet. Nam *peregrina iudicia* (quae scilicet extrarii Praesules, et Magistratus alii, praeterquam dioecesani, et Ordinarii locorum in alienos subditos exerceant) sacris canonibus, et legibus sunt prohibita (1). Exemptiones quoque multiplices non raro caussas personarum aliquot, Ecclesiarumque ita peculiaribus addicunt iudicibus, ut forus dioecesanus, et communis nequeat eas, tamquam incompetens, nec accipere, nec definire.

IV. Competentis fori quaestiones idcirco triplices emergunt in diem. Primo scilicet inter laicum, et ecclesiasticum iudicem: secundo inter dioecesanum, et extraneum, utrumque licet ecclesiasticum : tertio inter communem dioecesis, locive Ordinarium, et peculiarem exemptorum.

V. Competentem iudicem inventurus non actoris, sed rei personam potissimum spectet. Nam ex generali Iuris axiomate, quod usu quotidiano comprobatur, actor sequi forum rei omnino debet : non e contrario reus forum actoris (2). Reum ergo clericum actor quilibet sive clericus, sive laicus in foro tantum ecclesiastico vocare in ius oportet (3). Huiuscemodi regulam usu nunc vigentem, et probatissimam fas non erit obsolentis antiquae disciplinae legibus evertere, aut infringere : quantumvis quasdam ea limitationes hoc praesertim in regno patitur ex rerum profanarum, seu negotiorum temporalium qualitatibus, quae nonnumquam nulla personarum habita ratione, clericos etiam reos in foro laico subiiciunt.

(1) Ex ep. Xysti III. ad Orientales Episcopos in *can. peregrina iudicia 12. C. III. qu. 6.*

(2) Ex *l. iuris ordinem C. de iurisdict. omn. iudic., et cap. cum sit generale S. de foro compet.* Hadrianus Papa inquit : *clericus, sive laicus si crimine, aut lite pulsatus fuerit, non alibi, quam* in foro suo *provocatus audiatur, can. clericus 48. C. XI. qu. 1.*

(3) *Negotia quippe clericorum sive criminalia, sive civilia fuerint, nonnisi apud ecclesiasticum iudicem ventilanda sunt*, scribit Gratianus noster post *can. clericum nullus 47. eod. C., et qu.*

VI. Rebus ita sese habentibus, aerem an non verberat vir maximus Cuiacius (1), totis lacertis contendens Episcopos nec forum, nec iurisdictionem secundum leges habere : sed nudam sine ulla potestate (ut aiunt) coactiva, seu imperio notionem, et audientiam? Innixus primum Novellae Valentiniani (2) forum Episcopis deneganti opinatur Codicis Theodosiani titulum *de episcopali iudicio* ea mente commutatum in Codice Iustiniani a Triboniano fuisse in hunc alium *de episcopali audientia*, ut innueret Iustinianaeas etiam leges forum Episcopis non indulgere. Mox quia Episcopi non territorium habere, sed solam dioecesim dicuntur (3): iurisdictio autem nequit sine territorio, cui cohaeret, consistere (4) : inde is arguit Episcopos iurisdictione fori secundum leges prorsus carere.

VII. At vero tot leges novella Valentiniani quum antiquiores, tum recentiores prostrant in Codicibus Theodosiano, et Iustinianaeo, aliisque monimentis, ordine temporum servato iam exscriptae superiori titulo, ut pudeat Cuiacium cetera oculatissimum adeo turpiter hac in re caligasse, abrogatam, et abnormem unius eiusmodi novellae sententiam sectando, eamque firmare studuisse inanibus argumentis aliud non concludentibus, nisi lusum in verbis aequivocis *audientiae* episcopalis, *territorii*, *et dioecesis* (5). Hanc a tanto viro maculam abstersurus dicerem id eum sensisse de profanis dumtaxat laicorum caussis, de ecclesiasticis vero, aut spiritualibus, nec de passivis clericorum temporalibus ad forum ecclesiasticum per leges quoque dimissis non item.

VIII. Operae hinc pretium est contra Cuiacianos nunc ostendere, quod suum Ecclesia *forum* semper habuerit, ab laico foro distinctum, non modo *internum*, sed etiam *externum*: tam si pro *loco* iudicii (6),

(1) Cuiac. in *paratitlo C. de episcopali audientia*, *et ad l. 40. §. 1. D. de pactis.*

(2) De qua superiori *tit. III. num. IX.* iam dictum est.

(3) In *can. sicut*, *et can. licet C. XIII. qu. 3.*

(4) *L. ult. D. de iurisd. omn. iudic.*, *et l. ult. C. ubi*, *et apud quem in integrum restitutio.*

(5) Cuiacium propterea merito refellit prae ceteris Dadinus Altaserra *lib. 1. de iurisdictione cap. 1.*

(6) S. Isidorus in *cap. forus 10. de verb. signif.* forum definit esse locum exercendarum litium, seu tribunal, in quo suum cuique ius tribuitur : vel a *fando* dictum, vel a *Phoroneo* Rege, qui primus Graecis leges tulit. Sed alii rectius a *ferendo*, vel controversias iudici definiendas, vel merces venales id vocabulum derivant. Nam Innocentius Cironius in paratitlo Decretalium *de foro competenti* commonstrat ex Platone, et Plutharco priscas gentes eodem in foro, ubi res venales exponebantur, iudicia exercuisse : mox ementium vendentium clamores, ac tumultus vitandi studio basilicas domos, nimirum splendidas, et ampliores templis persimiles, vel in ipso venali foro, vel in proximo loco extruxisse, quo viri principes, tribuni, praetores, ceteri magistratus conveniebant ad causas collitigantium inibi audiendas, et iudicandas. Romae speciatim centumviros in basilicis, ubi hasta prostabat in signum iurisdictionis, sedere iudices caussarum consuevisse, tradit Nieupoort *de ritib. Roman. sect. 3. cap. 1. §. 3.* Hinc Cicero *basilicam* pro *foro* iudiciario dixit, scribens ad Atticum : *basilicam habeo*, *non villam frequentia Formianorum.*

quam si pro ipsa *iurisdictione*, seu potestate iudicandi (1) *forus* accipiatur. Quandoquidem *locus* ecclesiastici iudicii, seu dicasterium episcopale ipsa primum Ecclesia fuit, aut porticus Ecclesiae, mox domus Episcopi. Synodos qua dioecesanas, qua provinciales olim frequentiores congregari semper in Ecclesiis consuevisse non minus ad ecclesiastici fori causas maturius discutiendas, quam ad disciplinam synodicis decretis reformandam, patet ex actis Conciliorum vulgatissimis, rerumque Ecclesiae scriptoribus. *Ut nullus in publico causam agat, nisi in Ecclesia*, imperatum a Iulio I. fert Isidorus (2). Huiusce decreti ante Siriciani auctoritas in dubium quamvis revocetur: ea nihilominus morem saeculo Isidori mercatoris vigentem satis detegit. Eumque morem indicavit etiam S. Leo M., dum distinxit *ecclesiasticum* a *forensi* iudicio (3): propterea quod ecclesiasticum in Ecclesia procul a foro laico exercerent Episcopi. Iure hinc merito Cantuariensi Archiepiscopo exprobavit Alexander III. (4), quod *non in Ecclesia, sicut est canonicum, et honestum; non etiam in palatio, non in camera sua: sed in camera Regis contra debitum iuris, et pontificalis officii dignitatem Episcoporum electiones* confirmasset.

IX. Eo interea saeculo XI., quo sedit Alexander III., vel proximis temporibus quum translata ab Episcopis suos ad officiales, et Vicarios esset administratio, iurisdictionis ecclesiasticae (5), mox ab his forma iudiciorum solemnior secundum leges in Curias episcopales invecta sensim, novoque dein Decretalium iure imperata (6): bene factum simul videtur, ut in episcopali domo ius reddant in caussis fori ecclesiastici officiales Episcoporum; in Ecclesia numquam, ne domus orationis, templum Domini assiduis litigantium clamoribus, et negotiis turbetur; solas autem in Ecclesia synodos more antiquo celebrent Episcopi.

X. Tandem Bonifacius VIII. declaravit, *cum Episcopus in tota sua dioecesi iurisdictionem ordinariam noscatur habere*, dubitandum non esse, *quin in* quolibet loco *ipsius dioecesis non exempto per se, vel per alium possit pro tribunali sedere, caussasque ad* ecclesiasticum fo-

(1) Quemadmodum accipitur in hac rubrica Decretalium.

(2) Isidorus in sua *collect. ex libro Pontificali* Damasi Papae post acta Nicaenae Synodi, et Romanae sub S. Silvestro. Innoc. Cironius *cit. paratitlo de for. compet.* opinatur in porticu potius Ecclesiae, quam intra eam caussas ecclesiasticas fuisse olim definitas.

(3) S. Leo M. *ep.* ad Rusticum Narbonens. Episc. in *can. aliud quidem est 34. C. XI. qu. 1.*

(4) Alex. III. in *cap. qua fronte 25. de appellationibus.*

(5) Petrus Blesensis, qui floruit saeculo XII., *ep. 25.* Officialem Episcopi Carnotensis hortatur, *ut si credit in Deum, relinquat Officialis officium, ministerium damnationis, rotam malorum, spiritum vertiginis, qui ipsum ad inania circumvolvit.* Hinc patet eo saeculo iam irrepsisse novam Officialium disciplinam, amotis ab eiusmodi munere Archidiaconis, de quibus dictum *lib. 1. tit. XXIX. num. XII., et seq.*

(6) Patet ex toto *lib. II.* Decretalium *tit. de iudiciis, de foro competenti, de libelli oblatione, de litis contestatione, de probationibus*, ceteris formam iudiciorum solummodo spectantibus.

rum *spectantes audire* (1). Quemadmodum Romanus Praetor, ubicumque ius diceret, forum suum inibi constituebat (2). Quoties vero acciderit iudicem iure, aut ecclesiasticum, aut laicum alibi extra consuetum residentiae locum pro tribunali sedere: id oportet litteris citatoriis nunciari. Porro in ius generatim vocati ab suo iudice, non ab alio coguntur, nisi ad consuetum Curiae, aut fori locum accedere; nullamque incurrent contumaciae culpam, ubi eo in loco, quem ignorant, non comparuerint. *Si enim locus*, Ulpianus ait (3), *in iubendo iudicare non est comprehensus: videtur eo loco iudicare iussisse, quo solet iudicari sine incommodo litigantium.* Et quoniam extra territorium ius dicenti non paretur impune (4): fas non erit Episcopo, eiusque officiali subditos suos in loco exempto, eoque minus extra suam dioecesim coram se in iudicium vocare, eorumque licet praesentium caussas iudicare: nisi Praelatus illius loci exempti, aut dioecesis adsensum, et brachium suum in scriptis antea sit impertitus. Vix expulsis ab sua dioecesi Episcopi, Viennense Concilium oecumenicum indulget, suam ut possint iurisdictionem in aliena dioecesi exercere, petita solum, quamvis non obtenta dioecesani licentia (5).

XI. Itaque si forus pro quovis iudicii loco generatim accipitur, satis, superque exploratum est in Ecclesia olim Episcopos, tum in domo episcopali suum semper habuisse dicasterium, quod veram fori ecclesiastici substantiam repraesentat. Si vero speciatim forus dicatur profanum, et publicum laicorum iudicum tribunal, seu basilica, regiave domus publico iudiciorum usui tantum extructa, Cuiacianis ultro concedam ab eiusmodi foro Episcopos, et ecclesiasticos iudices procul semper fuisse, distinguens S. Leone M. duce iudicium *ecclesiasticum* a *forensi* iudicio. At non hoc uno *fori* verbo, sed altero etiam episcopalis *audientiae* lusit more non suo magnus Cuiacius, quod enucleandum e re nata est.

XII. *Audire* causam apud Iureconsultos in Iuris civilis voluminibus idem sonat, ac *rite cognoscere, et iudicare* litem (6), et *auditorium*

(1) Bonif. VIII. in *cap. cum Episcopus 7. de offic. iudic. Ordinarii in VI.*
(2) *L. pen. D. de iurisdict. omn. iudic.*
(3) Ulp. in *l. si locus 59. D. de iudiciis.*
(4) Ex *cit. l. ult. D de iurisd. omn. iudic.*, Paulo quoque docente, *Praeses in suae provinciae homines tantum imperium habet, et hoc, dum in provincia est: nam si excesserit, privatus est, l. Praeses 3. D. de officio Praesidis.*
(5) Conc. Vienn. in *Clement. 1. de foro competenti.*
(6) *Lis tunc contestata videtur, cum iudex per narrationem negotii caussam* audire *coeperit*, ait textus in *l. 1. C. de litis contestatione.* Gotofredi glossa verbum *audire* pro *nosse* acceptum heic monet. Rursum textus in *l. eos, qui 6. §. 3. C. de appellat.* ait: *nonnisi* audita *omni causa, et discussa, post sententiam appellare conveniet.* Tum in *l. et qui 2. C. si ex falsis instrum., vel testim. iudicatum sit*, inquit: *cum de crimine docuerint, ex integro de caussa* audiantur. Hinc illa interloquendi forma in foro adhuc usitata: *audiantur in omnibus.* Seneca *lib. 2. de beneficiis* in hunc quoque sensum *audiendi* verbo usus est, scribens: *Parum foede, furioseque superbus erat. . . . . qui de capite viri Consularis soccatus* audiebat.

non semel pro tribunali, foroque iudiciario usurpatum (1). *Audientiam* vero, quae a latinis accipitur pro auditione attentiori (2), quamquam in Pandectis nullibi occurrat, consuevit posterior aetas usurpare pro ipso *tribunale*, ubi caussae audiuntur a magistratibus. Antiquae Wisigothorum leges hunc inter alios titulum *libri II.* habent: *ut nulla* Audientia *clamore*, *aut tumultu turbetur*, *sed illi soli iudicium ingrediantur*, *quos constat interesse debere*. Simul de Principis *Audientia* speciatim eae ipsae leges loquuntur (3). Vulgarem igitur, et communem sermonem a barbaris corruptum, qui sexto saeculo usui erat, secutus Tribonianus id vocabulum maluit pro ipso litium *auditorio*, ipsaque litium *auditione* iudiciaria usurpare in obiecto Codicis titulo *de episcopali audientia* praefixo, compilatis ab se legibus: quae non privatam caussarum auditionem sine potestate iudicandi, sed iurisdictionem, et forum Episcopis concedunt, huiusque fines commonstrant publico iure constitutos. Hinc ortae simul voces *regiarum Audientiarum* huius Regni, *Auditorumque Regiorum* iudicia in singulis Provinciis administrantium eo magistratus iure, quo fungebantur olim regii *Iustitiarii*, eiusque *Adsessores* (4). Parem idcirco sensum in iure habent *audientia*, et *notio*, seu *cognitio* caussarum: nam Ulpianum sectantes, *notionem accipere possumus*, *et cognitionem*, *et iurisdictionem* (5). Insuper *iudicium*, quia et potestatem iudicandi, et locum tribunalis, et ipsam iuridicam notionem, aut sententiam promiscue significat: iam patet rubricam Iustinianaeam *de episcopali audientia*, alteramque Theodosianam *de episcopali iudicio* synonimas esse, ad unum, eumdemque scopum tendentes, quem alia Decretalium *de foro competenti* apertius designat vocabulo nunc usitatiori (6). Quare inani Cuiacius argutia co-

(1) Paull. in *l. consiliariis 5. D. de officio adsessorum*, inquit: *Consiliariis eo tempore*, *quo adsident*, *negotia tractare in suum quidem* auditorium *nullo modo concessum est.* Rursus in *l. contra . . D. de re iudicata*: *is*, *qui ad maius* auditorium *vocatus est*, *si litem inchoatam deseruerit*, *contumax non videatur.* Sed Quinctilianus *lib. 10. cap. 1.* forum iudiciarium auditorio scholastico opponit, inquiens: *Alia ratio est litium*, *et disputationum*, *fori*, *et* auditorii, *praeceptorum*, *et periculorum.* Item alibi: auditoriis *se*, *non* iudiciis *comparat.* Pariter a Swetonio *in Tiber. cap. 11.* Tiberius describitur *circa scholas*, et auditoria *assiduus.*

(2) Plautus in Poenuli prologo; *exurge praeco*, ait, *fac populo* audientiam. Et Cicero *in Verrem 1. Quantum denique* audientiam *orationi meae improbitas illius factura sit.*

(3) Wisigothor. leges *lib. 2. tit. 1. §. 23.*

(4) Ex Friderici const. *Iustitiarii nomen*, *et Pragm. 1.*, *et 2. de officio Iustitiarii.*

(5) Ulp. in *l. notionem 99. D. de verb. sign.* Cognoscit *Praefectus Vigilum de incendiariis*, *effractoribus*, *furibus*, *raptoribus*, *et receptoribus*, Paulus ait in *l. nam salutem 3. D. de offic. Praef. Vigil.* Ulpianus itidem, *iudex*, *qui ex hac actione* cognoscet, *absolvere reum debet*, inquit in *l. quod si Ephesi 5. §. interdum D. de eo*, *quod certo loco.* Et alibi: *Imperator*, *vel* cognoscens *decrevit*, *l. quod Principi 1. D. de constit. Principum.*

(6) *Episcopale iudicium*, ecclesiasticum *dicasterium*, *audientia sacri tribunalis* in antiquis canonibus, et latinis, et graecis promiscue usurpata inveniuntur. Gratianus in *can. placuit C. XI. qu. 1.*, decretum habet a Synodo Car-

natus est ambiguo *episcopalis audientiae* vocabulo privatam solummodo notionem caussarum, iurisdictione prorsus destitutam addicere, ut Novellam Valentiniani tot legibus et praeviis, et subsecutis enervatam marte suo erigeret rursus.

XIII. Alium superest Cuiacii lusum in vocabulis *territorii*, et *dioecesis* dissolvere (1). Quum antiquos dioecesum, et parochiarum limites diuturna possessione custoditos nonnulli per subreptionem, fraudemque invaderent, ac variare novis vicorum, urbium, aut metropolum territoriis civilibus, auctoritate Principum saecularium, vel Imperatorum arbitrio designatis, mutatisve attentarent (2): id ne fieret unquam, utque in pristinum statum restituerentur fines parochiarum, et dioecesum ecclesiasticarum, nulla civilis territorii habita ratione, rescripsit Gelasius Papa in altero duorum canonum, quos Cuiacius laudat. *Territorium enim*, ait Gelasius (3), *non facere dioecesim, olim noscitur ordinatum.* Et versa vice in altero obiecto canone (4) Patres Toletani censuerunt canonica dioecesis ecclesiasticae praescriptione non variari fines territorii civilis, neque statum, nec conventum, seu communitatem populi illud incolentis. Nam *sicut dioecesim*, aiunt, *alienam tricennalis possessio tollit : ita territorii conventum non adimit.* Hasce, quae patent, Gelasii, et Synodi Toletanae sententias Cuiacius cunctis, quantumvis magnis rudentibus nequibit certe suum ad sensum pertrahere. Is anxie dum studet *territorium* laicis tantum magistratibus, qui in eo terrendi ius habent, vindicare (5): frustra laborat Ecclesiae *forum* evertere, quum non possit Episcopis auferre *dioecesim*, in qua iidem ipsi, utar verbis Bonifacii VIII. (6), *quasi in territorio* habent *iurisdictionem ordinariam*, divinis, humanisque legibus constitutam.

XIV. Debellatum satis cum Cuiacio. An quid etiam est amplius? Duplicem *forum* Ecclesia procul dubio habet, *externum, et internum.*

thaginensi VIII; seu rectius Milevitana II. saeculo V. latum in clericos ab Imperatore cognitionem publicorum iudiciorum petentes, ut suo privarentur honore: nil autem id eis obesse, quoties ab Imperatore postulaverint *episcopale iudicium.* In graeco eiusdem Concilii textu *can. 19.* legitur ecclesiasticum *dicasterium*, εκκλεσιαστικὸν δικαστήριον Balsamon vertit τὸ βῆματο ἀχρωσιν, h. e. *audientiam sacri tribunalis.*

(1) Conc. Tolet. IV. in *cit. can. sicut 3. C. 16. qu. 3.*

(2) Hac de re dictum superiori *lib. II. tit. XVI. de Metropolitan. num. IV.*

(3) Gelas. in *cit. can. licet 5. C. XVI. qu. 3.* Id quod etiam rescripsit Nicolaus Papa ad Patres in Synodo apud Convicinum congregatos in *can. lege Imperatorem 1. dist. 10.*

(4) Conc. Tolet. IV. in *cit. can. sicut. 3. C. XVI. qu. 3.*

(5) Pompon. in *l. pupillus 239. §. 8. D. de verb. sign. Territorium*, inquit, *est universitas agrorum intra fines cuiusque civitatis ab eo dictum, quod Magistratus eius loci intra eos fines* terrendi, *idest* summovendi *ius habet.*

(6) Bonifac. VIII. in *cit cap. cum Episcopus 7. de offic. Ordin. in VI.* Tum Viennense Concilium in *cap. ne Romani 2. §. sane de elect.* in Clementinis censuit *districtus*, seu *territorii* nomine *dioecesim* fore promiscue intelligendam. Nam in dioecesi quisque sua Episcopi ius etiam terrendi modica saltem coercitione habent, et summovendi exilio, ex B. Gregor. M. in *can. in primis 7. C. 2. qu. 1.*

Tria *externum* forum speciatim constituunt. I, facultas cognoscendi, et iudicandi subditorum causas. II, locus ad audiendos litigantes aptus, et proprius. III, potestas coercendi contumaces ad parendum rei iudicatae, et poenas infligendi. Quum Episcopos et facultate iudicandi, et loco dioecesis potiri iam pateat ex hactenus exploratis legibus, et canonibus : nonnihil de cogendi potestate dicendum superest.

XV. Quoniam nulla est iurisdictio sine modica saltem coercitione, puta vinculorum, carceris, exilii, ei propterea, *cui iurisdictio data est, ea quoque concessa videntur, sine quibus iurisdictio explicari non poterit*, ex textu lavoleni (1). Quum itaque divinae, humanaeque leges iurisdictionem Episcopis demandarit in caussis ecclesiasticis : oportuit etiam ipsis concessisse ius coercendi censuris, et poenis, citra sanguinem plectendi quum contumaces, tum reos, vel rite convictos, vel sponte confessos. Potestas nedum solvendi, sed ligandi quoque peccatores a Christo Apostolis data palam in Evangelio est. Gladio autem spirituali excommunicationis, quae spiritualem scelestis hominibus vitam adimit, usos Apostolos sacrae Litterae contestantur (2). Hinc alii arguunt *merum imperium spirituale* in Ecclesia esse (3) : quia *merum imperium* ab Ulpiano definitur *ius gladii ad animadvertendum in facinorosos* (4). Spirituale inquam, non corporeum : quia Ecclesiae nefas omnino est iudicium sanguinis, et mutilationis membrorum, poenarumque capitalium, quod e laica Potestate gladii temporalis tantummodo promanat, ullatenus exercere (5). Alii *mixtum* vix *imperium* ecclesiasticis Praesulibus addicunt, h. e. modicam coercendi potestatem cum iudiciaria caussarum cognitione : propterea quod censurae, poenaeque ecclesiasticae, de quibus dicam in sequenti libro IV., velut medicamina, quamvis acerbiora ad salutem reorum, non ad perpetuum interitum reapse tendentes, videantur idcirco non sapere ius gladii, capita, vel membra facinorosorum obtruncantis absque remedio, et spe salutis.

XVI. Hucusque dicta *externum* Ecclesiae forum in causis et civilibus, et criminalibus generatim ostendunt, quem varietate temporum, fortunaeque vicissitudine quod ad temporalia clericorum negotia affectum ex supra expositis legibus modo propitiis, modo adversis iam novimus.

(1) Iavolen. in *l. cui 2. D. iurisd. omn. iudic.*

(2) Apostolus *ep. 1. ad Corinth. cap. 5.* in quemdam incestuosum Corinthium, qui sibi novercam copulaverat, animadvertens, *iudicavi*, inquit, *tradere huiusmodi hominem Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat.*

(3) S. Hieronymus in *can. audi denique Apostolum 21. C. XI. qu. 3. Dupliciter etiam nunc*, ait, *traduntur homines ab Ecclesia in potestatem zabuli. Uno modo, cum delictum eius manifestum sit Ecclesiae, et per Sacerdotes de Ecclesia pellitur, ut notatus ab omnibus erubescat . . . . . Alio autem modo, cum peccatum ejus manifestum non sit hominibus.*

(4) Ulpian. in *l. imperium 3. D. de iurisdict. omn. iudic.*

(5) Synod. Tolet. IV. in *can. saepe 29.*, *et can. his, a quibus 30. C. 23. qu. 5; et cap. 9. ne clerici, vel monachi.* Priscorum Patrum sententia, praesertim B. Cypriani clericis nefas etiam est ire ad *trepalium*, h. e. locum ultimi supplicii tribus palis paratum, aut ad atrium *sauciatum*, seu *sauciolum*, in quo rei plectuntur capite, membrorumque mutilatione, Altaserr. *de iurisd. eccles. par. 2. cap. 4.*

Internus multo latius patet, potestatem Iure divino habens amplissimam ad quaevis crimina, et delicta fidelium, qua clericorum, qua laicorum abolenda, et corrigenda per Sacramentum Poenitentiae. In hoc enim sacramentali foro *pacifico* Sacerdos vices Dei gerens iudicium solvendi potius, quam ligandi exercet sine probationibus externis, audita solum spontanea poenitentis confessione, nemine prorsus contradicente. In altero autem externo, qui ex mutuo litigantium conflictu *contentiosus* dicitur, negotia disceptantur humano modo: caussa nimirum cognita ex probationibus hinc, et hinc rite producendis, auditisque partibus inter sese contendentibus.

XVII. Sunt qui antiquam, et novam Ecclesiae disciplinam perscrutantes putant morem distinguendi a publicis criminibus occulta, publicosque peccantes publica poenitentia, occultos occulta corrigendi, circa saeculum inde VII. irrepsisse, externumque forum ab interno tardius seiunctum emersisse non ante saeculum XII., in quo Aeram novae disciplinae figunt (1). At vero ex priscis canonibus vulgo Apostolorum, simul ex vetustis monimentis, et actis Conciliorum, quae in Labbaeana praesertim collectione prostant, synodica ante saeculum VII. iudicia publica in reos haeresis, apostasiae, schismatis, aliorumque criminum rite prolata, poenaeque canonicae depositionis, et degradationis in clericos, excommunicationis in laicos re cognita, et auditis partibus inflictae, tum remissiones, restitutionesque poenitentium ad Ecclesiae communionem, aut ad amissum hierarchiae gradum iudiciaria Patrum sententia in Synodis pronunciata; appellationes denique reorum a Synodis dioecesanis ad Metropolitanas, ad patriarchales, ad Romanam Sedem quum pateant: non video, quonam pacto potuit per tot antiquae disciplinae saecula externus Ecclesiae forus delitescere in foro interno, et sacramentali, veluti commixtus, confusus, aut suppressus, qui maxime post Constantini M. tempora cunctis undecumque fidelibus patuit, praesidio etiam Imperatorum, et Principum communitus.

XVIII. Interni fori disciplinam, et priscam, et novam videsis delineatam *lib. II. de Sacramento Poenitentiae*. Externum iam ingressi, nunc inspiciamus et personas, et causas ad hunc ipsum speciatim pertinentes.

ADDITIONES

DE FORO COMPETENTI.

I. Illa heic in antecessum recensere duximus, quae Concordatorum lege novissima an. 1818. constituta fuerunt, ut facile tyrones distinguant caussas, quae diu ad ecclesiasticum forum pertinebant, quaeque aetate nostra illi reservata sint.

II. Et principio art. XX. eiusdem Conventionis sancitum Episcopos in pastoralis ministerii exercitio prorsus liberos esse. Quare in omnes

(1) Morin. *de administr. Sacr. Poenit. lib. 1. cap. 9; et 10;* Wan-Espen *par. 3. tit. 4. cap. 1.*

fideles Ecclesiae legum, et sacrorum canonum transgressores censuris animadvertendi libertas fuit illis confirmata ; quin regio diplomate sub die X. Octob. 1826. agnitum fuit ad episcopale forum spectare ius decernendi iuxta canonicas sanctiones quibusnam ecclesiastica deneganda sit sepultura.

III. Quum autem Ecclesiae Pastores in rebus spiritualibus iure divino iudices constituti sint, et forum competens facit, ut quis pro suo iure iurisdictionem exerceat, hinc caussas matrimoniales, quae ex Tridentina synodo (1) Episcopis solummodo reservantur, in sua Audientia cognoscere, deque iis sententiam ferre liberum fore eodem art. constituitur.

IV. Tum in clericos habitum ecclesiasticum ipsorum dignitati congruentem non deferentes, aut reprehensione dignos, animadvertendi ius Episcoporum esse eodem art. cautum. Unde poenas ab ipsa Tridentina synodo statutas, aliasque, quas convenientes ipsi iudicaverint, in illos infligent : caussarum vero civilium, nimirum contractuum, hereditatum etc. cognitio, et definitio ad laicos iudices spectat.

V. Adhaec sancitum indic. art. liberum esse Episcopis cum Clero, et populo suae dioecesis pro munere officii pastoralis communicare, suasque instructiones, et ordinationes de rebus ecclesiasticis libere publicare, necnon indicere publicas preces, aliaque pia opera, cum idipsum postulat Ecclesiae necessitas.

VI. Iam vero cum nulla sacrae disciplinae ratio patiatur clericos in perpetuum aliquod obire in altaris ministerio officium, nisi ab Ecclesiae Pastoribus sint canonice instituti (2): idcirco controversiae omnes, quae vel de beneficiorum collatione, vel de qualitatibus beneficiariorum, vel de ipsius beneficii privatione, vel de excitandis, coniungendis, vel partiendis beneficiis oriri possunt, in foro dumtaxat ecclesiastico rite definiuntur: diserte enim cit. art. XX. constitutum, *quod Episcopi caussas ecclesiasticas in eorum foro cognoscerent, atque de illis sententiam ferrent.*

VII. Etsi autem ius patronatus sit temporale (3), quatenus per dotationem, aut Ecclesiae fundationem adquiritur, et cum bonis in heredes transfertur, officio tamen sacro, rei nempe spirituali illud cohaeret: ac proinde quae spiritualibus sunt adnexa, eodem iure iuxta canones existimantur, ac ipsa spiritualia (4), cum res magis digna, nempe spiritualis ad se trahat minus dignam, et accessoriam, idest temporalem (5). Quamobrem Conventione novissima de abrogandis legibus, quae sub Militari Regimine ius patronatus penitus evertebant, diserte fuit provisum.

VIII. Revera cum dispositiones de Canonicatibus, atque Capituli Dignitatibus in Ecclesiis citra Pharum extantibus art. V. latae essent, ex-

(1) Can. XII. sess. XXIV.
(2) Can. omnes basilicae 10. c. XVII. q. 1. Alex. III. in Cap. ex frequentibus 3. de inst.tut. Bonif. VIII. cap. I. de reg. Iuris in VI.
(3) Alexand. III. in Cap. de iure 16. de iurepat.
(4) Cap. V. ex. de rer. permut.
(5) Cap. VII. ex. de trans.

presse ibi constitutum, easdem in Canonicatus patronatus regii, ecclesiastici, et laicalis minime respicere. Et art. VII., quo cautum de sufficienti paroeciarum congrua, excipiuntur quoque tituli curati iurispatronatus iuxta canones adquisiti, respectivis patronis illud oneris relinquendo. Unde a Rege nostro Ferdinando I. regio diplomate sub die XX. Iulii an. 1818. decretum: dispositiones legis anno 1807. latae, ac reg. diplomat. an. 1808., et 1813., quae iuris patronatus extinctionem respiciebant, penitus abrogari: tum patronata ecclesiastica, et laicalia, licet curata, in patronorum iura redintegrari iuxta canones cum omnibus iuribus tum utilibus, cum onerosis, et honorificis. Demum regio rescripto sub die IX. Nov. 1819. episcopalis iurisdictio in caussis beneficiariis de patronatu ecclesiastico, et laicali diserte agnita fuit; ac proinde decretum controversiam exortam de Primiceriatu Neapolitanae Ecclesiae iuripatronatus obnoxio inter agnatos, et cognatos ex familia de Ianuario descendentes, ecclesiastico iudicio definiendum esse.

IX. Praeterea seqq. art. eiusdem Conventionis constitutum: liberum esse ad Sedem Apostolicam appellare, art. XXII.

Regii Delegati iurisdictionis ecclesiasticae munus suppressum, art. XXV.

Capellani maioris Curiam, eiusque iurisdictionem iis contineri limitibus, qui in Constitutione Benedicti XIV., cuius initium *Convenit*, et sequenti eiusdem Pontificis *motu proprio* super eadem re praescribuntur, art. XXVI.

Liberam fore Episcoporum, Cleri, et populi communicationem cum Sancta Sede in rebus spiritualibus, et negotiis ecclesiasticis, abrogatis iam legibus, et decretis circa *liceat scribere latis*, art. XXIII.

Denique sancitum, quod Archiepiscopi, et Episcopi quoties in libris introductis, vel qui introducuntur, impressis, vel qui imprimuntur in Regno aliquid repererint Ecclesiae doctrinae, aut bonis moribus contrarium, Gubernium eorum librorum divulgationem non permittet, art. XXIV.

TIT. V.

De personis ecclesiasticis foro Ecclesiae subiectis.

I. Foro ecclesiastico subsunt presbyteri, et clerici universi, statim ac prima Tonsura initiantur.

II. Hoc in regno his clericis quoque infimis forum episcopalem cum clericalibus privilegiis indulgent mores, ac leges.

III. Ex Bonifacii VIII. constitutione clerici Tonsuram, et habitum deferentes privilegium fori non amittebant.

IV. Synodus Tridentina minoribus clericis, aut beneficiariis, et Ecclesiae inservientibus, aut scholas colentibus privilegium fori servavit.

V. Beneficiariis etiam non famulantibus Ecclesiae, vestemque clericalem non gestantibus illud nostri mores indulgebant, secus non beneficiariis.

VI. Ex lege Concordatorum an. 1741. clericorum omnium Ecclesiae inservientium cum tonsura, et veste clericali nomina quotannis describuntur in publica tabella cathedralis cuiusque Ecclesiae, alia desertorum vitae clericalis delentur, episcopalibus litteris insuper declaranda: id quod ritui M. Curiae Vicariae nil derogasse rescriptum a Rege est.

VII. Cetera clericorum privilegia post Tridentinum ipso facto amittunt non beneficiarii vitam clericalem deserentes, beneficiarii non item.

VIII. Ante Tridentinum, nonnisi ter monitus clericus quisque immunitate personali, ac reali privabatur ex iure communi, et Pragmatica Ferdinandi I. Aragonensis.

IX. Xysti V. sanctionem clericos, qui vestem, ac tonsuram deserent, ipso facto beneficiis privantem abrogarunt Innocentius XIII., et Benedictus XIII., quum beneficiis, et privilegiis clericalibus eos nonnisi ter monitos, et auditos in iudicio liceat utrisque privare, aut ipso iure privatos declarare.

X. Beneficiarii bullas beneficii, et fructuum exactionem iudici laico ubi ostenderent, ab eo ad ecclesiasticum illico remittebantur: nunc regio rescripto adiguntur clericalia etiam ut ceteri clerici requisita exhibere.

XI. Qualitatem servitii Ecclesiae definit Episcopus dioecesanus.

XII. Peractum in qualibet Ecclesia servitium sufficere pro retinendo fori clericalis privilegio, censuit S. Congregatio.

XIII. Pensionarios, et canonicam institutionem, aut collationem adeptos etiam controversam, et neapolitanos funerarios clericos instar beneficiariorum habent Doctores.

XIV. Desertores vitae, vestisque clericalis, amisso fori privilegio, cetera privilegia non amittere probabilius videntur.

XV. Eos autem ante sententiam episcopalem foro episcopali adhuc parere in criminibus ante desertionem admissis, saltem iure praeventionis, censuit regium quoque S. Clarae Consilium.

XVI. Nisi Episcopus ipsos privilegiis clericalibus iam nudatos rite declarasset.

XVII. Resumentes clericalem habitum, et vitam citra fraudem ad amissa redeunt privilegia ipso iure.

XVIII. Fraudem admittunt, qui coeptum in foro laico iudicium declinare student; non coeptum, secus.

XIX. Civiles ante clericatum initae obligationes ad forum ecclesiasticum in clericos deferuntur: quae vero ad forum laicum delatae iam sint, in hoc realem, in illo personalem habent executionem.

XX. Coniugatis clericis vitam clericalem agentibus exemptionem

a foro laico servat lex Concordatorum an. 1741: in criminalibus tantum causis, quae criminaliter agantur; in civilibus personalem dumtaxat executionem foro episcopali dimittit.

XXI. At diaconis silvaticis, et falsis clericis omnia clericorum privilegia denegat.

XXII. Quemadmodum et eremitis, campestribus, vel suburbanis.

XXIII. Secus est de iis, qui solitariam vitam in probata religione aliqua rite profitentur sub regulari obedientia.

XXIV. Oblatos, tertiarios, mantellatos, corrigiatos proprietatem cum usufructu bonorum suorum, sine fraude monasterio donantes, dimisso habitu saeculari Ius Canonicum inter exemptos regulares accenset, eosque Ordinariis locorum subiicit Tridentinum, exceptis claustralibus, et professis.

XXV. Cunctis habitu religioso utentibus in communi domo, et obedientia, conversis etiam, verisque oblatis cum tribus requisitis forum ecclesiasticum Concordata indulgent: aliis non item.

XXVI. Nec etiam domesticis monialibus, seu bizochis.

XXVII. Cancellarius cuiusque Episcopi, seu actorum magister tantum, et pauci cursores singulis dioecesibus adsignati actu inservientes foro episcopali nunc utuntur in caussis civilibus, et criminalibus levioribus iure Concordatorum.

XXVIII. Privilegium fori clericalis intuitu personae ad caussas etiam profanas de rebus temporalibus extenditur.

XXIX. Adversas hac in re Regis Guilielmi, et Friderici II. leges abrogarunt subsecuti Reges Andegavenses, et alii, tum Concordata, et mores.

I. Presbyteros, et clericos universos ordinis quum sacri, tum minoris, et in quovis officio, aut gradu hierarchiae sive superiori, sive inferiori constitutos ecclesiastico tantum foro Episcopi, Praelative sui ita subesse, ut eos in caussis fere omnibus civilibus, criminalibus, et mixtis, quoties rei sint, non liceat ad forum laicum vocare, aut trahere, ius est exploratissimum (1). Et quoniam clericorum appellatio generatim omnes in sortem Domini vocatos, et divinum aliquod officium, ministerium, famulatum in Ecclesia obeuntes complectitur (2); receptus ubique mos est, ut unusquisque statim ac prima tonsura initietur, forum ecclesiasticum sortiatur, et clericalem a foro laico exemptionem, quamvis dubitent Doctores, utrum ea Ordo sit, an non (3).

(1) Alex. III. ad Salernit. Arch. in *cap. at si clerici 4*; Luc. III. in *cap. clerici 8.*, Coelestin. III. in *cap. cum non ab homine 10.*, Innoc. III. in *cap. qualiter 17. de iudiciis, et cap. 1. totoque tit. Decretal. de foro competenti.*

(2) S. Hieronym. in *can. duo sunt 7. C. 12. qu. 1.*

(3) Ex disputatis iam *lib. II. tit. X. de Sacram. Ord. num. XXIII. et lib. 1. tit. XXXII. num. XXIV.* Innocentius Cironius in *paratitlo* Decretal. *de aetate, et qualit., et ord. praefic.* ex Balsamone, et canonibus Trullani, et Con-

II. Huius regni Neapolitani mores, ac leges clericis hisce infimis primae Tonsurae forum ecclesiasticum una cum aliis privilegiis clericalibus non denegant: dummodo in clericatu revera ipsi permaneant. Rex Ferdinandus I. Aragonius id speciatim edixit anno 1479. (1), tum innovavit alia Pragmatica regnante Carolo V. edita anno 1519.

III. Iam sanxerat Bonifacius VIII. malefactorem a iudice laico captum, qui vel notorio facto, vel publica fama clericus dignosceretur, aut in habitu clericali tonsuram, et vestes deferens clericales esset deprehensus, fore ad Curiam ecclesiasticam incontinenti remittendum: si vero ante capturam se pro laico palam gessisset, quamvis in habitu clericali repertus, nonnisi postquam ipse titulum clericalem probasset, eum restitui ad forum suum tunc debere (2). Igitur ex Bonifacii decreto privilegium fori olim a quovis clerico, qui suum probaret clericatum, non amittebatur per desertionem habitus, et vitae clericalis.

IV. Alio nunc iure utimur. Nam Clemens VII., qui Carolo V. Imperatore sedit, bullam fertur promulgasse pro hoc speciatim regno Neapolitano, qua indulsit laicis iudicibus facultatem iudicandi, et puniendi clericos in minoribus etiam beneficiariis, habitum, ac tonsuram, non deferentes, sine ulla declaratione iudicis ecclesiastici, utque nulla prorsus ratio haberetur clericalis vestis, ac tonsurae per quatuor menses, ante quam deliquerint, delatae (3). Synodo post Tridentina decretum est,

stantinop. VII tenet, quod characterem accipiant initiati per Tonsuram, διὰ σφραγῖδα ἐπικαίριος h. e. *per signaculum adiutorium.*

(1) Ferdin. I. in Pragm. 4. *de cleric., et diacon. silvatic.* die 23. Aprilis 1479. haec habet: *Quemadmodum canonicis, civilibusque constitutionibus praeceptum est, quod clerici, qui verae Religioni inserviunt, ecclesiastica fruantur iurisdictione, atque libertate: ita est Iuri divino, atque humano consentaneum, ut qui se falso, et dolo malo clericos profitentur, cum sint reapse mere laici, nihilominus iudiciis, legibusque civilibus subiaceant, ne impunitate, et veluti quadam licentia peccandi praebeatur occasio, et huiusmodi fraudum, et circumventionum fructum percipere glorientur. Cum itaque in hoc nostro regno quamplures sint hi mere laici tam coniugati, quam soluti, qui solo velamine cuiusdam characteris spiritualis primae tonsurae clericatum assumunt, quo se magis excessibus, et criminibus immiscere possint, et gladii saecularis iudicium evadere, forum civilem declinare, laicales solutiones, fiscalesque functiones, ac cetera munia, oneraque civilia evitare: quo fit, ut per eosdem falsos clericos, qui se vulgo* diaconos silvaticos *appellant plurima enormissima contra ius, et fas patrentur in Dei O. M. contemptum, regalis fastigii dedecus, iustitiae, statusque pacifici evidentissimam laesionem. Idcirco mandamus, quod omnes, et singuli* diaconi silvatici, *seu clerici primae* Tonsurae, *quandiu in statu clericali, et officio permanserint . . . . ecclesiastica fruantur libertate, et fori ecclesiastici privilegio gaudeant . . . Quod si nomine solum clericos, et diaconos de cetero voluerint profiteri, quum moribus, habitu, et officiis sint mere laici, quum id facere in fraudem dignoscatur: eos veluti mere laicos censemus, atque decernimus foro saeculari esse suppositos, et coram iudicibus saecularibus civiliter, et criminaliter posse, et debere conveniri; munera, oneraque civilia subire constituimus, solutiones, functionesque fiscales non evadere.*

(2) Bonif. VIII. in *cap. si iudex laicus 12. de sent. excomm. in VI.*

(3) Huiusmodi Bullam Clementis VII. exscriptam habet Marta *de iurisd. par. 4. cas. 32. num. 38;* eamque commemorant Oliva *de foro Ecclesiae par. 2. qu. 19. num. 8;* et Iulius Clarus § *fin. qu. 36. num. 19.*

ut *clericus prima tonsura initiatus*, *aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus fori privilegio non gaudeat*, *nisi* beneficium *ecclesiasticum habeat*, *et clericalem* habitum, *et* tonsuram *deferens alicui* Ecclesiae *ex mandato Episcopi* inserviat, *vel in* Seminario *clericorum*, *aut in aliqua* schola, *vel* Universitate *de licentia Episcopi*, *quasi in via ad maiores Ordines suscipiendos versetur* (1). Huiusmodi statutum usu viguit ad nostram usque aetatem, moribus, et stylo Magnae Curiae Vicariae comprobatum (2).

V. Clericorum igitur ecclesiastica beneficia obtinentium conditio sane potior, quam aliorum, iure tridentino, nostrisque moribus est. Nam clerici beneficiarii visi sunt ex tridentina sententia frui fori privilegio, etiamsi Ecclesiae non inserviant (3), nec vestem, tonsuramque deferant clericalem. At ceteri in minoribus clerici non beneficiarii, nisi ostenderint sese in Ecclesiae servitio, et clericali habitu, vitaque perseverasse, tamquam desertores officii, et vitae clericalis forum laicum evadere, ac declinare in causis quum civilibus, tum criminalibus frustra nitentur (4). Hos enim titulo patrimonii promotos ad clericatum incertis plerumque sedibus vagari circum videmus nullo revera cardine fixos: tametsi Tridentina synodus adscribendos eos illi Ecclesiae fore, pro cuius necessitate, aut utilitate adsumuntur, sancte decrevit (5).

VI. Discrimen istud videtur non delevisse lex Concordatorum. In primis enim *veris clericis*, *qui habent requisita sacris canonibus praescripta* (6), exemptionem a foro laico integram servat, nihil novi statuens. Mox ut canonica requisita semotis fraudibus in iudicio pateant facilius: imperat Episcopis matriculam, seu tabellam habere prostantem in sacristia cuiusque cathedralis Ecclesiae, ubi singula clericorum totius dioecesis nomina describantur quolibet anno, qui rite ostenderint satis muneribus fecisse suis, et contra deleantur, qui defecerint. Simul iubet singulis minorum Ordinum clericis litteras quotannis ab Episcopo suo accipere, declaraturas eos ipsos eo anno famulatum Ecclesiae, et clericalia munia recte obivisse: *ut inde ii possint absque ulla contentione cunctis privilegiis clericalibus gaudere* (7). Quumque Carolus Rex

(1) Trid. *sess. 23. de reform. cap. 6.*

(2) Concordata an. 1741. *cap. 3. de immunit. personali art. 1., et 2., et cap. 4, de requisitis ordinandorum art. 8.*

(3) Hos enim ita beneficii sui titulo affixos, et *incardinatos*, ut aiunt, inveterata Ecclesiae lex habet, ut illud eis nullo pacto liceat sine sui Episcopi licentia dimittere, ex Concilii Nicaeni decreto in *can. non oportet 19.*, *et can. si quis vero 23. C. 7. qu. 1.*, et aliis canonibus *eadem C. et qu.* congestis.

(4) Id quod pluries declaravit S. Congregatio Concilii apud Io. Gallemart. in *cit. sess. 23. de ref. cap. 6*, quae simul censuit privilegio canonis non privari clericos ecclesiastici servitii, et habitus desertores.

(5) Trid. *ead. sess. 23. de reform. cap. 16.*

(6) Concordata *cit. cap. 3. de imm. pers. num. 1.*

(7) Ibidem *cap. 4. de requis. ordin. art. 8.* Huc alludit *l. si qua 22. in fin. C. de episc., et cleric.* qua Impp. Theodosius, et Valentin. edixere, ut *omnes clerici, atque monachi,* qui de suis civitatibus ad urbem Constantinop. ecclesiastici negotii, vel Religionis caussa proficiscuntur, *litteris* Episcoporum suorum *muniti adveniant, scituri quod si circa hanc fiduciam accesserint, sibimet imputabunt, quod non clerici, vel monachi esse putabuntur.*

noster eodem promulgationis Concordatorum anno rescripserit ad magnam Curiam Vicariae non abrogatum hisce Concordatorum articulis, ideoque observandum adhuc fore vetustum ipsius M. C. ritum, sequenti mox titulo edisserendum, quo clerici forum laicum declinaturi coguntur inibi clericatum suum, et requisita clericalia probare: fit exinde, ut episcopales litterae, quae ad clericos quotannis dantur, eorumque matricula praeseferant speciem probationis non inconcussam, neque indubiam, sed obnoxiam exceptionibus erroris, vel fraudis, vel falsitatis, quas Fiscus laicus, aliusve contradictor obiiciet, ac probabit.

VII. In aliis etiam rebus melior fuit adhuc beneficiariorum status. Quandoquidem fori privilegium sine ulla monitione in casibus a Tridentina Synodo expressis procul dubio quum amittant clerici non beneficiarii famulatum Ecclesiae, et habitum suum deferentes (1): secus fuit de beneficiariis; quos praeviis monitionibus, nisi Episcopus antea iudicasset privandos fore privilegiis clericalibus, suisque beneficiis, exposita differentiae ratio non patiebatur ipso facto iacturam eiusmodi incurrere.

VIII. Communi olim iure Decretalium nullus generatim clericus ante trinam monitionem amittebat clericale privilegium (2). Id quod in hoc etiam regno viguit. Rex enim Ferdinandus I. Aragonius anno 1469. sua Pragmatica constitutione imperavit, clericos in minoribus a Praelatis suis monitos semel, bis et tertio, ut clericaliter vivant, habitum, ac tonsuram deferendo, utque divina officia obituri a negotiationibus vetitis, ceterisque illicitis abstineant, si contumaces eiusmodi monitionibus non parnerint, esse ad functiones fiscales, et collectas de quibuslibet bonis cogendos (3).

IX. At quum Xystus V. postea sanxisset anno 1589., clericum beneficiarium in talari habitu, ac tonsura clericali non incedentem incidere ipso facto, ipsoque iure in amissionem beneficii *sine ulla alia monitione*, ait, *citatione*, *iudicis decreto*, *aut ministerio* (4): posteriores tamen constitutiones Innocentii XIII. (5), et Benedicti XIII. Xy-

(1) Ex declarat. S. Cong. Conc. apud Fagnan. in *cap. 1. de foro compet.*, et Gallemart. in *cit. cap. 6. sess. 23. Trid. num. 4.*

(2) Clem. III. in *cap. contingit 44. de sent. excomm.* et Honor. III. in *cap. ult. de vit., et hon. cler.*

(3) Ferdinandus I. in *prag. 2. de cleric.*, *et diacon. silvatic. data die 25. Mai 1466.* ad Praelatos Ecclesiarum, Comites, Barones, et universos Officiales huius regni citra Pharum.

(4) Xyst. V. in bulla cum *sacrosanctum 93. §. 3. de habitu*, *et tonsura clericorum*, edita pridie kalendas Feb. 1589; *to. 2.* Bullarii.

(5) Innoc. XIII. in bulla *Apostolici ministerii §. 6.* super ecclesiastica disciplina regnorum Hispaniae, *statuimus*, ait, *atque decernimus*, *quod qui sunt clerici*, *aut prima Tonsura*, *aut ordinibus minoribus initiati*, nullumque *ecclesiasticum* beneficium *possidentes*, *qui neglectis concilii Tridentini decretis habitum clericalem*, *ac tonsuram non deferant*, *nec certae Ecclesiae*, *aut loco pio*, *cui ex mandato Episcopi adscripti fuerint*, *inserviant*, *sive in Seminario ecclesiastico*, *vel in aliqua schola*, *aut Universitate de licentia sui Ordinarii non versentur: Episcopi*, nulla *etiam praemissa* monitione, *eos privilegio* fori *privatos declarent*, *eorumque adscriptionem servitio certae Ecclesiae*

stinam sanctionem abrogarunt, et firmantes ostensam inter beneficiarios, et non beneficiarios clericos differentiam maluerunt, ut illos, nonnisi *praemissis monitionibus*, et canonicis iudicii ritibus, hos autem, *nulla etiam praemissa monitione*, privilegio fori privarent Episcopi (1). Praeterquam quod ante laudatos Innocentium, et Benedictum S. Congregatio Concilii iam declaraverat clericum beneficiarium, dimisso quamvis habitu, ac tonsura, subesse foro clericali, quoadusque in eum Episcopus rite sententiam de amissis clericatus privilegiis in vim Xystinae quoque constitutionis non proferret (2). Enimvero poenam *ipso iure*, *ipsoque facto* comminatam in sanctionibus quum ecclesiasticis, tum saecularibus nemini licet in foro externo exequi, nisi postquam iudex competens, audito, reo ritè pronunciaverit *hunc in eam incidisse* (3). Multa sane poterunt ab incursu poenarum excusare, ex. gr. necessaria clerici absentia ab Ecclesiae famulatu, vel formidantis hostem, vel infirmi, vel aere salubriori indigentis, vel curantis alibi negotia graviora: levitas culpae, vel brevis desertio officii clericalis quatuor menses non excedens ex memorato Clementis VII. indulto; promota resumptio habitus, et servitii ecclesiastici, cetera id genus. Docet praeterea Benedictus XIV. necessariam esse trinam, unamque pro trina non sufficere monitionem clericorum, qui habitum, vitamque abiecerint clericalem, ut in officio maneant suo, Ecclesiae inserviant, habitum, ac tonsuram gestent: quoties velit Episcopus eos, ut contumaces vitae clericalis desertores expoliare privilegiis clericalibus (4).

ante factam deleri iubeant. Si qui meliorem vitae rationem non iniverint, aut etiam si alii sint, quos ex propria culpa effici idoneos promotioni ad sacros Ordines sperari nequeat: iidem Episcopi, servata forma a sacris canonibus tradita ad privationem privilegiorum clericalium *contra ipsos procedant. Ubi vera reperiantur clerici* capellanias, *vel* beneficia, *cuiuscumque etiam tenuis redditus obtinentes, quorum improba vita aliis offensionem praebens destruat potius, quam aedificet, vel concubinarii, aut foeneratores, aut ebrietati, ludisque alearum dediti, vel satores rixarum, vel negotiatores, vel arma gestantes, vel incertis sedibus vagantes, vel clericalem habitum, tonsuramque non deferentes, vel ecclesiastica immunitate in fraudem tributorum, et vectigalium a laicis non exemptis solvendorum temere abutentes, vel qui demum similia, aut maiora crimina patrantes numero magis, quam merito ad Ecclesiam pertinere visi fuerint: Episcopi praemissis tamen necessariis monitionibus, servatisque aliis de iure servandis contra ipsos ad poenas a dominis Pontificibus praedecessoribus nostris, et a sacris Conciliis impositas, et etiam ad privationem* beneficiorum, *cappellaniarum, et ecclesiasticorum officiorum in omnibus illis casibus in quibus praedicta privatio a sacris canonibus imposita est, humanis quibuscumque rationibus posthabitis procedant, memores seipsos neglectae subditorum emendationis condignas Deo vindice poenas persoluturos.*

(1) Benedictus XIII. bullam Innocentianam, quae modo exscripta iam est, confirmavit, ampliavitque ad totum Orbem catholicum, sua generali constitutione die 1. Octobris 1724., quae incipit *in supremo militantis.*

(2) S. Congr. Conc. die 6. Octobr. 1612. apud Fagnan. in *cap. 1. de foro compet. num. 25.*

(3) Ex textu Bonifacii VIII. in *cap. cum secundum leges 19. de haereticis in VI.*, et stylo Curiarum probatissimo.

(4) Benedict. XIV. *lib. 7. de Synod. dioec. cap. 67. num. 4.*

X. Hinc mos invaluerat in M. Curia Vicariae, aliisque regiis tribunalibus remittendi ad forum ecclesiasticum beneficiarios clericos, quamvis in laica veste captos, postquam ii ostendissent iudici laico episcopales, aut pontificias bullas collati sibi ecclesiastici beneficii, et realem fructuum ipsius perceptionem. Non enim beneficiarii cogebantur, instar clericorum simplicium, probare in foro laico assiduam clericalis vestis gestationem, et Ecclesiae famulatum: quoties declinatoriam incompetentis iudicis exceptionem obiicerent. In Concordatis nil expressum, quod ad eiusmodi differentiam attinet. At regio rescripto nuperrime dato ad Regalem Cameram S. Clarae die 9. Septembris anno 1760., aequata omnino est utrorumque conditio clericorum quod ad fori privilegium: ita ut beneficiarii etiam amittant istud ipso iure privilegium fori, quoties communia cum clericis non beneficiariis requisita Tridentina, et Concordatorum non servaverint (1).

XI. Quale servitium Ecclesiae oporteat clericos minorum Ordinum impendere, ut fori privilegio gaudeant, quoniam nec Tridentina Synodus, neque Concordatorum lex declaravit: ad Episcopum idcirco, locique Ordinarium pertinebit aequo arbitrio definire (2).

XII. Parum, immo nil refert, num Ecclesiae per Episcopum destinatae, an alicui alteri clericus inserviat ad obtinendum fori clericalis privilegium. Tametsi enim decrevit Tridentinum clericos inservire de-

(1) *Avendo proposto al Re*, verba rescripti sunt, *la consulta della Regal Camera de' 27 di Agosto passato toccante la relazione del Vescovo di Molfetta, ed il dubbio da lui proposto, se Vespasiano Lupis inquisito di ferita pericolosa in persona di Fabrizio Incantalupo goder possa, come preteso* chierico beneficiato *l' esenzione, e immunità personale: il Re non solo si è uniformato al sentimento della Regal Camera con averne fatti spedire gli ordini corrispondenti al suddetto Vescovo, al Governator di Molfetta, ed alla udienza di Trani: ma in oltre per punto generale ha ordinato alla Vicaria, ed a tutte le Udienze del Regno, che qualora alcun reo carcerato opponga l'eccezione declinatoria del foro sul motivo di esser* chierico beneficiato; *debba egli far le prove dell' opposta eccezione non solo a tenore del Rito della Vicaria, ma anche de' requisiti espressati nel §. 8. del cap. 4. del Concordato a* somiglianza *di ogni altro* chierico semplice *per poter godere l' immunità personale: con essersi nel general ordine Regale inserito l' avvertimento proposto dalla Regal Camera, e che i Tribunali aver dovranno circa la verità, ed autenticità della Vescovil declaratoria. Il che di regal ordine partecipo a V. S. per intelligenza della medesima Camera di S. Chiara. Palazzo 6. Settembre 1760. Carlo de Marco.*

(2) S. Congr. Conc. *in Oppidensi clericalis servitii 10. Ian. 1660.*, apud Benedict. XIV. *lib. 7. de Syn. dioeces. cap. 69. num. 3. Quandoquidem non raro*, ait, *controversiae oriuntur circa frequentiam, et qualitatem servitii praestandi per clericos ad effectum, ut iunctis ceteris requisitis fori privilegio gaudeant: supplex quaerit Episcopus Oppidensis, an clericus incedens in habitu, et tonsura clericali, qui semel in hebdomada, vel quater, bis, aut semel in mense Sacerdoti celebranti ministrat in sacrificio Missae, vel qui superpelliceo quoque indutus toties aliis interest divinis officiis, dicatur Ecclesiae inservire ad praescriptum S. C. T., ita ut fori ecclesiastici privilegio gaudere debeat, an vero longius praestandum servitium, et quod, et quantum? S. Congr. Conc. censuit remittendum arbitrio Episcopi.*

bere Ecclesiae *designatae ab Episcopo* : si tamen vel nullam Episcopus Ecclesiam designaverit, vel alii Ecclesiae extra designatam ab Episcopo quis servitium praestiterit, sacra Congregatio Concilii declaravit sufficere clericali exemptioni retinendae, nec ea posse ob id excidere, vel privari (1). Nec refragabitur decretum Tridentini (2) prohibens ad Ordines eum promoveri, qui illi Ecclesiae aut pio loco, pro cuius necessitate, aut utilitate assumitur, ubi suis fungatur muneribus, non adscribatur, et sacris interdicens eum, qui Episcopo inconsulto Ecclesiam sui tituli dereliquerit. Loquitur enim de clerico compellendo ad famulatum Ecclesiae per Episcopum designatae praestandum, non de privando eo privilegiis clericalibus (3).

XIII. Pensionarium clericum, qui scilicet pensionem super beneficio ecclesiasticam obtinet, quamvis Ecclesiae non inserviat, perinde gaudere foro clericali, ac beneficiarium clericum, putavit Fagnanus (4). Praeterea clericum primae Tonsurae, qui praesentatus a patronis ad beneficium aliquod, vel capellaniam ecclesiasticam, obtinuerit canonicam institutionem, vel pontificiam collationem, etiamsi controversam ab intruso, aliove collitigante possessionem beneficii adeptus non sit: Congregatio censuit privilegio fori gaudere in causis praesertim civilibus (5). Funerarios itidem clericos Neapolitanos, qui vulgo dicuntur *fratantias* habere iure perpetuo ex Archiepiscopi collatione, tamquam veros beneficiarios aestimat Marcus A. Genuensis (6).

XIV. An clericus non beneficiarius in coelibatu vivens una cum fori privilegio ob desertionem habitus, et officii clericalis amisso perdat alia etiam privilegia clericorum; puta realem exemptionem ab laicis oneribus, favorem *cap. Odoardus de solutionibus, et can. si quis suadente diabolo*, cetera, non abs re dubitatur. Varias enim Doctores, Curiaeque Romanae tribunalia inivere sententias. Alii, ut suo in officio contineantur clerici, putarunt eos omnium quorumlibet privilegiorum facere iacturam, rati in privilegio fori, tamquam praecipuo, et maximo reliqua, ut minora comprehendi (7). Alii at contra sentiunt amissionem fori clericalis uti odiosam, et poenalem non extendendam ad cetera clericalis ordinis privilegia fore (8). Sententiam hanc posterio-

(1) S. Cong. Conc. in *Neapolitana die 1. Februarii 1614.*, et in *Senogallien. die 23. Ianuarii 1603.*, apud Bened. XIV. *cit. lib. 7. de Syn. dioec. cap. 69. num. 4.*, et Fagnan. in *cap. si quis num. 21., et seq. de foro compet.*

(2) Trid. *sess. 23. cap. 16. de reform.*, quod innovat canonem 6. Conc. Chalcedon.

(3) Bened. XIV. *loc. cit. num. 5.* post Carolum de Vecchis, et Fagnan. celebres S. Congr. Secretarios.

(4) Fagnan. in *cap. cum in cunctis num. 103. de electione*, et S. Congreg. apud Gallemart. *cit. sess. 23. de refor. cap. 6. num. 3. v. beneficium.*

(5) S. Congr. *die 26. Iulii 1587.* apud Gallemart. *loc. cit. num. 5.*

(6) Marcus Ant. Genuensis in *praxi Curiae Archiepisc. cap. 7. num. 9.*

(7) Rota coram Priolo *dec. 290. num. 14., et 15.*, tum *dec. 304. part. 7. rec. num. 18.*, et *dec. 10. num. 10., et seq. par. 18. rec.* Card. de Luca in *adnot. ad Conc. Trid. disc. 24. n. 33.*

(8) Comitol. *lib. 6. respons. moral. qu. 20.*, Garcias *de benef. par. 2. cap. 3. num. 5.*

rem perpetuo, et constanter probatam a S. Congregatione Concilii tradunt Benedictus XIV., et Fagnanus (1). Simul monent irritam ideirco, nulliusque momenti esse dioecesanae Synodi constitutionem, quae sanxerit clericos in habitu, et statu clericali non perseverantes excidere a cunctis privilegiis clericalibus (2). Favent isti etiam sententiae constitutiones Innocentii XIII., et Benedicti XIII. superius expositae.

XV. Fori clericalis iacturam, quae acciderit ante sententiam Episcopi, clerico tantum nocere, desertis Ecclesiae famulatu, et vestibus clericalibus forum laicum declinanti: non Episcopo dioecesano, qui subditum suum, dimisso etiam habitu sive coelibem, sive coniugatum velit in foro suo coercere, eumque ad se remitti a foro laico postulaverit, iteratis responsis censuit S. Congregatio Concilii (3). In Neapolitano etiam Regio Consilio decisum fert Grammaticus puniendum iudici ecclesiastico fore clericum de crimine, antequam habitum, tonsuramque dimitteret, patrato (4). Alii tenent isto casu clericum posse in utroque foro quum ecclesiastico, tum laico pulsari, locumque praeventioni dandum ideo esse, ut iudicium in alterutro eorum, vel citatione, vel captura delinquentis inchoatum remitti ad alterum non debeat, sed finiendum inibi sit (5).

(1) Bened. XIV. *lib. 7. de Syn. dioec. cap. 66. num. 2.* Fagnan. in *cap. si quis de foro compet.* plura eiusdem S. Cong. decreta refert, praesertim in Aquensi mense Februarii 1589. pro privilegio canonis *si quis suadente*, et 3. Decembris 1622. pro beneficio *cap. Odoardus.*

(2) Ex decreto S. Congr. Conc. in Theatina die 10. Iunii 1681. Bened. XIV. *loc. cit.* multos commonuisse Episcopos ait, ut decreta eiusmodi favoribus clericalibus adversantia delerent e Synodis suis, quas ipse, dum in minoribus esset, corrigendas, revidendasque sibi habuit.

(3) S. Congr. Conc. in Murana *21. Ianuarii 1594.*, in Valentina *die 27. Martii 1627.*, et pluries alibi apud Pignatellum *tom. 1. cons. 46.*, et Sperellum *dec. 17. num. 33., et 34.*, ibi: *Facta relatione Sanctissimo Domino* (Urbano VIII.) *de causa Leodiensi die 1. eiusdem mensis Novembris 1630. in sacra Congr. Conc. proposita, et resoluta Sanctitas Sua approbavit opinionem eorum, qui maiores numero fuerunt in voto*, clericos etiam non habentes requisita *cap. 6. sess. 23. de reform.*, licet ipsi numquam contravenientes ordinationi sacri Concilii non possint pro se allegare privilegium fori, nihilominus subesse iurisdictioni Episcoporum, seu Ordinariorum, illorumque cognitioni nedum in caussis, in quibus iidem Episcopi, seu Ordinarii praevenerunt, sed etiam illos e manibus iudicis laici repetunt, quando adhuc clerici permaneant: videlicet si neque a iure, neque ab homine per declarationem, servatis servandis factam privilegiis clericalibus denudati, seu privati sint, *die 9. Novembris 1630.* Eamdemque opinionem servari iussit S. S. die 1. Augusti 1634. occasione propositionis factae relati status Ecclesiae Neapolitanae, tradit Bened. XIV. *lib. 7. de Syn. dioec. cap. 66. num. 4.*, et consimile decretum pro clericis coniugatis editum in Salatrina iurisdictionis *die 17. Martii 1683.* refert ibidem, adeo ut tam praeveniens causam Episcopus, quam volens vindicare clericum coniugatum a foro laico possit, licet requisita non habeat. Hac de re plura alia scripsit Lucius Ferraris in bibliotheca canonica *tom. 2. ver. clericus num. 30., et sequ.*

(4) Grammatic. *dec. 10.* Nam in re criminali tempus admissi criminis leges inspiciunt potissimum, iubentes in ea provincia debere iudicium agitari, in qua illud acciderit, non in alia, *l. 6., et 10. C. Th. de accusationibus.*

(5) Caravita in *M. C. V. Ritu 66. num. 10.*, Praeses de Franchis *dec. 417.*, Sanfelic. *dec. 218.*

XVI. Clericus autem canonica Episcopi sententia post trinam monitionem privilegiis clericalibus rite nudatus, laicum forum subit procul dubio in cunctis etiam quae praecesserunt criminibus: eique tunc nihil proderit ad effugiendum saeculare iudicium resumptio habitus, vitaeque clericalis (1).

XVII. Ceterum resumere clericalem habitum fas clerico est, nedum inscio, sed invito etiam Episcopo, et posthabita dioecesanae quoque Synodi, aut edicti episcopalis prohibitione (2). Iis etiam clericis, qui nomen dedissent militiae saeculari, eamque postea dimisissent, licere sine ulla Episcopi licentia ad habitum, statumque ecclesiasticum regredi, Rota definivit (3). Hunc autem resumentes ad omnia clericatus privilegia, praecipue ad exemptionem a foro laico redire ipso iure videntur Doctoribus (4): dummodo fraus, dolusve non intercesserit, ex quo nec lucrum capere, nec patrocinium licet nemini (5).

XVIII. Fraudem ab eo fieri putat Fagnanus (6), qui nempe clericalem resumpserit habitum, Ecclesiaeque famulatum, postquam ipse ab laico magistratu captus e carceribus vel aufugerit, vel sit praestita cautione de standoiuri eductus: videlicet post coeptum, praeventumque in foro laico iudicium quodlibet sive civile, sive criminale. E contrario fraudem non facere putatur, qui a iudice laico non praeventus vel clericalem Tonsuram rite acceperit, vel ad statum rediverit clericalem, suo hac in re iure utens (7): quamvis animum is habuerit in

(1) Ex traditis a Fagnano in *cap. contingit 45. de sent. excomm. num. 8.* et Bened. XIV. *lib 7. de Syn. dioec. cap. 67. num. 14.*

(2) Ex decretis S. Congr. Conc. apud Barbosam *lib. 1. de iure Eccl. cap. 39. §. 2. num. 27.*, Aloys. Ric. *par. 2. dec. 168.*, et Reg. de Marinis *lib. 1. resol. iur. cap. 49. num. 3.* Quae pluries censuit non sustineri eiusmodi prohibitiones Synodorum episcopalium ut invalidas et iuri communi adversas; praesertim in Oppidensi 10. Maii 1635., Matutinensi 14. Decem. 1647. Neapolitana 8. Aug. 1654., Marsicana clericatus 7. Septem. 1677., et Pennensi 19. Iulii 1692, apud Bened. XIV. *loc. cit. num. 3.* Ex his patet, quid iudicandum sit de edicto Card. Pignatelli in S. visitatione lato *die 9. Septembris 1721. num. 12.*, impresso *in append.* Synodi dioec. eiusdem *p. 270.*, quo prohibita clericis est resumptio clericalis habitus semel abiecti absque licentia Archiepiscopi.

(3) Rot. Rom. *dec. 355. par. 14. rec. num. 9., et 10.*, Carena *resol. 11. num. 16.*, Orill. *in observ. ad* Campan. *resol. 4. num. 4.*

(4) Passerin. in *cap. un. de cleric. coniug. in 6. annot. 6. num. 18., et 22.*, Pignatell. *consult. 45. to. 1.*, S. Congr. Concil. in *Nuscana 18. Decembris 1584.*

(5) Paul. in *l. ne ex dolo 13. D. de dolo.* Patres etiam Tridentini vetant *prima Tonsura initiari eos, qui saecularis iudicii fugiendi fraude vitae ecclesiasticae genus elegerint.* Huc spectat etiam rubrica *19. lib. 1. Decretal. de obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.*

(6) Fagnan. in *cap. magnus num. 73. de oblig. ad ratiocinia.* S. Congr. in Aquilana apud Pignatell. *d. consult. 45. num. 6.* respondit Episcopum fore tunc iudicaturum, an fraus in resumpto clericatu inciderit. Sed obstat Ritus M. C. V. iam supra memoratus.

(7) *Nullus videtur dolo facere, qui suo iure utitur*, inquit Gaius iurec. in *l. nullus 55. D. de reg. Iur.* Et ex Ulpiani sententia, *non capitur* dolo scilicet, ac fraude, *qui ius publicum sequitur*, in *l. nihil 116. §. 1. D. eodem tit. et l. iniuriam 13. §. 1. C. de iniuriis: Is, qui iure publico utitur, non videtur iniuriae faciendae caussa hoc facere: iuris enim executio non habet iniuriam.*

obligationibus iam antea initis ex contractu, vel maleficio forum ecclesiasticum sortiendi. Paulus enim iureconsultus respondit, *Sacerdotio obveniente arbitrum sententiam non dicere in caussa* (1). *Quod semel consecratum est, laicis dominis non posse ultra restitui, sed tantummodo pretium dari*, S. Gregorius M. rescripsit (2). Et sicuti laicus ad Ecclesiam confugiens post crimen admissum evasurus iudicium fori sui asylo nihilominus gaudet: ita vel magis ecclesiastica fori exemptione, atque immunitate dignus putatur, qui suam Deo personam clericali Tonsura, et vita consecraverit, ad Ecclesiae famulatum demigrans.

XIX. Fit exinde, ut obligatio penes acta iudicis laici ante clericatum inita nequeat contra clericum debitorem postea in foro laico incusari: sed omnino ad ecclesiasticum, ut hoc in regno fit, remittatur (3). Quidquid aliter in Gallia servetur (4). Decisum praeterea in Regio Consilio refert Praeses de Franchis, quod laicus ob aliquod crimen a saeculari magistratu relegatus ad statum clericalem, si pendente relegatione transiverit, eamque inde transgrediatur, sit iudici ecclesiastico tunc puniendus ob novum contemptae relegationis crimen ab exempto clerico admissum (5), tametsi mutatione fori post sententiam secuta non mutari prioris iudicis iurisdictionem leges iubent, qui suam exequi sententiam idcirco non impeditur (6). Itidem in caussis coram iudice laico incoeptis, quae finem quoque debent ab eo accipere, si quis litigantium interea clericus fiat; in hunc executio sententiae, quod ad personalem

(1) Paul. in *l. non distinguendum 32. D. de recep. arbitris.* Eadem ratione *reus capitalis criminis, voluntarius miles, secundum Traiani rescriptum capite puniendus est*, in foro puta militari: nec *remittendus est eo, ubi reus postulatus est*, respondit Arrius Menander in *l. qui cum uno 4. §. reus 5. D. de re militari.*

(2) S. Greg. M. in *can. comperimus 2. C. XIV. qu. 6.*

(3) Id quod luculenter probant Thomas Carleval. *de iudiciis disp. 2. qu. 7. sect. 3. num. 917. ad 929.*, et Constantinus Cafora *peregrin. quaest. lib. 1. qu. 28. num. 14.*

(4) Dadinus Altaserra *lib. 3. de iurisd. eccles. cap. 5. circa finem* ex descriptis Galliae moribus tenet clericum, qui post contractum aes alienum in clericalem ordinem irrepserit, ideo non gaudere privilegio fori, quia in fraudem creditorum fori mutandi caussa ordines eum tunc suscipere opinatur, et adstruit ex *cap. 2. ne clerici, vel monachi*, et *l. ult. §. ex bonis D. de bonis damnat.* At vero id ambae auctoritates nil probant. Textus enim Eugenii Papae in *cap. 2. ne clerici, vel monachi* non loquitur de laico ad militiam clericalem in fraudem creditorum convolante, sed de clericis laicorum ministris, et procuratoribus, quibus in fraudem deprehensis propter pecuniariam administrationis caussam subveniri ab Ecclesia non debere Pontifex Eugenius rescripsit. Et interpetres inter sese discrepant, num ista Ecclesiae subventio clericis laicorum procuratoribus denegata sonet privilegium fori clericalis, quod aperte inficiatur glossa ibidem, an aliam defensionem, et auxilium. Ulp. autem in *cit. l. ult.*, seu verus in *l. cum ratio 7. §. ex bonis D. de bonis damnat.* in edit. Gothofr. agit de pannicularis, rebusque damnatorum, quarum portiones adoptivis etiam liberis deberi, nisi fraudis caussa facta est adoptio, definivit Iureconsultus. Quod nihil ad rem pertinet nostram.

(5) De Franchis *dec. 395.*

(6) Ulp. in *l. cum quaedam puella 19. D. de iurisd. omn. iudic.*

solummodo districtionem remitti ad iudicem ecclesiasticum consuevit: realis autem executio bonorum ab ipso laico fit (1).

XX. Coniugatos etiam clericos, qui unicam, et virginem duxerint, quoad tonsuram, vestemque deferant clericalem, Ecclesiaeque ab Episcopo designatae inserviant, privilegio fori ecclesiastici in caussis tantum criminalibus frui placuit Bonifacio VIII. (2), Patribus Tridentinis (3), Regibus quoque Neapolitanis (4), excepta Regina Ioanna II (5). In caussis vero civilibus eos foro laico subiectos reliquerunt: praetereaque obnoxios cunctis oneribus laicorum, et realibus, et personalibus. Eos enim perinde ac laicos debere vectigalia solvere, regiaque tributa, et fiscales obire functiones, angariam quoque, et parangariam, et alia consueta servitia, dudum rescripserat Honorius III. (6). Tandem lex Concordatorum novissima clericis eiusmodi coniugatis, dummodo Tridentina ii habeant requisita, et artes, negotiave clericali statu indigna non exerceant, integram servavit exemptionem a foro laico in *criminalibus* tantum caussis omnibus, quae *criminaliter* tractentur, non extendendam ad uxores, filiosque tam durante, quam soluto matrimonio. At eas ipsorum *criminales* caussas, quae dumtaxat agantur *civiliter* ad refectionem damnorum, simul et caussas mere *civiles*, iudicibus saecu-

(1) Ex traditis a Regente Carolo Ant. de Rosa in *praxi civ. par. 1. decr. in 1. instantia ord. iudic. cap. 2. in fine*, et Reg. Sanfelicio *dec. 2.*, qui plures M. C. V., et R. C. decisiones refert, praesertim de *foriudicato* ad Sedem Apostolicam remisso, ex eo, quod post latam foriudicationis sententiam emisisset solemnem in sacra hierosolymitana religione professionem.

(2) Bonif. VIII. in *cap. 1. de cler. coniug. in VI.*

(3) Trid. *sess. 23. de reform. cap. 6.*, ubi constitutio Bonif. VIII. confirmatur.

(4) Rex Robertus die 5. Ianuarii 1312. ad postulationem clericorum Theanensium iussit regni officialibus, ut quod ad clericos cum unica, et virgine coniugatos, seque saecularibus negotiis non immiscentes, observarent constitutionem Bonif. VIII. apud B. Chioccarel. *to. 10. arch. num. 3.*, qui alia huiusmodi successorum Principum rescripta promit.

(5) Regina Ioanna II. in ritu M. C. V. incipiente *item si aliquis citatus fuerit*, maluit clericos coniugatos nullo fori clericalis privilegio gaudere. At Rex Ferdinandus I. die 24. Maii 1649. in *pragm. 1. de clericis, seu diaconis servaticis* edixit, ut clerici coniugati compellerentur quidem contribuere collectas omnes, et fiscales functiones, cetera quaelibet onera Universitatum, salvo ipsis tantum privilegio fori in criminalibus, et canonis: *cum ipsi coniugati clerici*, ait, *a laicis in nullo alio differant, nisi quod pro commissis ab eis excessibus, vel delictis trahi non possint ad iudicium saeculare, et si quis in eos manus iniecerit violentas, excommunicationem incurrat; quo etiam non gaudent, nisi tonsuram, et vestes deferant clericales.* Morem huiusmodi vetustum in regno probat Regens de Ponte in ms. *de iurisd. cap. 6. de cler. coniugat.*, laudatque Iul. Clar. *§. fin. lib. 5. qu. 36.*, Covarr. *pract. quaest. cap. 2.*, Belluga in *speculo tit. de proposit. gravam. §. videamus.*

(6) Honor. III. ad Berengariam Anglorum Reginam, Richardi Regis viduam in *cap. ex parte tua 9.*, *seu penult. de cleric. coniugat.*, ubi nomine *litteratorum* clerici appellantur. Videsis Emman. Gonzalez, et Ciron. *ibidem.* Hac decretali indicatur in desuetudinem antea diu abiisse privilegium a Constantino M. clericorum coniugiis, ac liberis, et ministeriis, seu mancipiis indultum immunitatis, et exemptionis a praestationibus parangariarum, aliorumque munerum saecularium, in *l. omnis 2. §. 4., ult. C. de Episc., et cleric.*

laribus penitus cognoscendas dimittit, cum iure suas exequendi sententias *realiter* tantum super bonis eorundem clericorum : ita ut ubi non habentes in aere sint vinculis mancipandi , *personalem* executionem debeant ab ecclesiastico dioecesano postulare, nullatenus denegandam. Fraudes autem eliminatura iubet, ipsi ut clerici ostendant quotannis Ordinario loci, in quo domicilium habeant, sese praescripta requisita servasse adamussim, ab eoque postulent, ac obtineant litteras gratis concedendas , quae id declarent : ut hisce inspectis nulla detur occasio. Curiis laicis contendendi privilegium fori ecclesiastici (1). Istudque hi facilius , quam coelibes clerici amittunt , amissumque semel non recuperant per habitus , et officii clericalis resumptionem (2). Quoties enim saecularibus negotiis , quaestuique turpi se immisceant : sine ulla Episcopi monitione eos foro clericali non gaudere amplius , nulloque patrocinio Episcoporum adiuvari , quamvis ad clericalia munia , abiectis saecularibus negotiis regressos , definivit Honorius III. (3).

XXI. An clerici , diaconive *silvatici* exemptione a foro laico gauderent , quaestio anceps olim erat ex multiplici eorum genere. Nam appellatio isthaec nedum clericos primae Tonsurae, minorumque Ordinum desertores vitae clericalis qua coelibes, qua coniugatos generatim complectebatur , de quibus huc usque satis : verum eos etiam speciatim, qui nulla Tonsura initiati vestem induendo clericalem, inservirent, vel urbanae alicui Ecclesiae tanquam *tyrones* clericatus, vel Capellis ruralibus, ut *eremitae*, *oblatique*, vel Episcopis famularentur, veluti cursores , scribae , ceteri , ut aiunt *patentati* Curiarum subministri. Hos omnes idcirco *falsos* etiam clericos non immerito nuncupant (4) , ut ipsos a veris clericis ritu sacro, et episcopali manu tonsis distinguant. Quemadmodum prisca Ecclesia laicas sine ullo charactere sacro *diaconissas* in servitio ecclesiastico dudum habuit (5) , quae postmodum in

(1) Concordata *cap. 3. num. 2.*

(2) Reg. Car. Ant. de Rosa in *praxi civili decret. par. 1. inst. 1. cap. 2. num. 13.*

(3) Honor. III. in parte recisa *cit. cap. pen. de clericis coniugat*, quam supplet Innocentius Cironius in V. *compilat. Decretalium*, observatque Fr. Florens *ad lib. 3. Decretal. in cap. 2. de vita, et honest. clericor.*

(4) Pragm. *4. de clericis , et diaconis silvaticis* , paullo superius exscripta *hoc. tit. num. II.* Io. Laganarius ad Rovitum in *comm. huius Pragmaticarum rubricae* putat corruptum in ea de *silvaticis* inscriptionem , propterea quod eorum origo aut professio e silvis non prodiverit. Eos autem dicere *servaticos* mavult vel a *serviendo*, vel a *servando* ipsorum usu, et servitio, aut ab officio *servandi* oblationes fidelium. At Concordata *cap. 3. art. 10.* usitatam vulgi nomenclaturam retinet , ubi loquitur *de' romiti , e cherici selvatici.* De huiusmodi *falsis* , et *silvaticis* clericis agit Canonicus Paulus Squillante de *privileg. clerical. cap. 7. num. 40.*

(5) Diaconissas Apostolorum aevo mancipatas ministerio ecclesiastico, ut foeminas e sacro Baptismi lavacro seu balneo tunc frequentissimo immergendas, emergendasque susciperent , indubia res est ex canonum priscis monimentis, quae supra iam laudavi *lib. II. tit. V. in append. num. 1.* Eas spectat illud Apostoli ad Timoth. *1. cap. 5. vers. 9., et 11. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum , quae fuerit unius viri uxor , in operibus bonis testimonium*

desuetudinem abierunt : ita nonnullos mere *laicos diaconos* clericali Ordine, Tonsuraque penitus expertes in quotidiano Ecclesiarum, Episcoporumque famulatu adhuc , ut olim , consistere nunc videmus, nullo quamvis privilegio ornatos Quidquid eis leges, moresque retro indulsissent (1) : Concordata statuunt cunctos generatim clericos , diaconosve silvaticos nec privilegio fori clericalis, nec aliqua vel minima immunitate a vectigalibus , capitum censu , regiisque tributis quibuslibet unquam gavisuros (2).

XXII. Hos inter silvaticos ii revera sunt , qui *eremitae* vulgo nuncupantur , qui nempe sine votis Regularium de licentia Episcopi dioecesani habitum specie religiosum gestantes Capellis suburbanis, aut campestribus inserviunt, victumque sibi ostiatim emendicant hoc pacto, ut

habens. . . . adolescentiores autem viduas devita. Earum personas omnino *laicas* , propterea quod non susciperent *manus impositionem*, eodemque saeculi habitu uterentur , censuit Synodus Nicaena *can. 19.* Chalcedonensis tum *can. 15.* vetuit diaconissam (puta virginem) ante annum aetatis 40. , et nonnisi praevio examine ordinari : quae vero *post manus impositionem* ad nuptias convolasset , eam una cum viro plectit censura excommunicationis. At ritum simpliciter benedictionis , non Sacramentum accedisse unquam diaconissas tradit S. Epiphanius *haeres. 79. Quamquam* diaconissarum , ait, *in Ecclesia ordo sit: non tamen ad Sacerdotii functionem , aut ullam eiusmodi administrationem institutus est , sed ut muliebris sexus honestati consulatur* in sacro Baptismi lavacro. Synodus Laodicena *can. 11.* statuit, quod non oporteat eas, quae dicuntur *presbyterae* , vel *presidentes,* Ecclesiis ordinare. Hoc in canone Severinus Binius *lit. K* notat *presbyteras* nedum accipi pro viduis , vel virginibus senioribus, sed pro uxoribus etiam presbyterorum: sicuti et diaconissas , et episcopissas pro uxoribus , viduisque diaconorum , Episcoporumque. A Gratiano dum fertur canon iste Laodicaenus in *can. mulieres 19.* , *seu ult. dist. 32.* , Graecorum *presbyterae* apud nos *viduae* , *seniores* , *univirae* , et *matricuriae* appellantur. In Gallia saeculo V. Concilium Arausicanum I. an. 441. *can. 26. diaconissas* ordinari deinceps vetuit: et quae ordinatae iam essent solemni ritu ab Episcopis per manus impositionem , eas extra clerum procul habendas constituit. Iustinianus Imperator *Nov. 123. cap. 30.* interdixit diaconissae cum suspecto viro cohabitare , sanxitque , ut si a sacerdote , cui subesset monita illum non eiiceret , ministerio ecclesiastico depulsa , et propriis emolumentis expoliata in monasterium detruderetur.

(1) S. Congregatio Concilii sub Gregorio XV. quum decrevisset *diaconos silvaticos* pro consuetudine locorum permittendos in locis , ubi adessent , nullo *canonis* privilegio , sed foro tantum ecclesiastico gaudere in criminalibus causis , et quod ad personalem in civilibus districtionem ; praeterea immunitate a personalibus tantum oneribus , et servitiis laicorum , secus a realibus: decretum eiusmodi Proregi Neapolitano , Duci de Alba retulit Regius Consiliarius Io. Baptista Migliore, die 6. Febr. 1623., apud B. Chioccarell. *to. 10. archivii tit. 1.*

(2) Concordata *an. 1741. cap. 1. de immunit. reali art. ult.* haec habent: *Finalmente i clerici, e diaconi* selvatici, *gli eremiti, le bizzoche, e chiunque patentato , o privilegiato , con qualunque nome si chiami, sia delle Curie ecclesiastiche , sia de' luoghi pii, e di Abazie anche cardinalizie , non dovranno godere di alcuna delle sopradette , o di qualunque altra esenzione.* Tum *cap. 3. de immunit. personali art. 10.* haec alia : *Niun' altra persona laica quantunque patentata sotto qualunque nome , e titolo, come nè pure i romiti, e clerici* selvatici , *godrà esenzione alcuna dal* foro *laicale.*

*

in utilitatem earum impendant superfluum (1). Hosce iudicio, ac potestati Episcoporum subesse, tradit Benedictus XIV. (2): secus alios vitam solitariam proprio marte sine licentia Episcopi ducentes, nullique addictos Ecclesiae (3). Utrosque nemine excepto Concordata meros, ut laicos declarant obnoxios foro saeculari, cunctisque oneribus laicorum (4) ex longaeva huius regni consuetudine, quamvis controversa olim (5).

XXIII. At qui solitariam in probata religione vitam votis solemnibus profitentur, puta Eremitae Camaldulenses, Augustiniani, Theresiani; eos esse a Potestate laica exemptos dubitat nemo. Quemadmodum et qui vitam, quasi regularem sub communi tecto in Congregatione aliqua per Episcopum dioecesanum probata ducunt, vestemque induunt religiosam sub disciplina, et obedientia Superiorum regularium, utique fruuntur exemptionibus ecclesiasticis tum ex vetusto canonum iure, tum nova lege Concordatorum: etiamsi extra conventum, domumque religiosam alibi commorentur a Superioribus suis missi ad necessaria obeunda religiosae Communitatis negotia (6).

XXIV. Eodem privilegio regularium, an gaudeant. *Oblati*, et fratres, qui vulgo dicuntur *tertiarii*, *mantellati*, et *corrigiati* Observantiae S. Francisci, quos omnes Concordata praetereunt, dubitandum videtur. *Oblatorum* nomine continentur, qui se, suaque bona alicui Monasterio, vel Ecclesiae tradunt, vestemque religiosam assumendo spondeat sub concepta verborum formula, sed sine votis regularium solemnibus convicturos sub obedientia regularium Superiorum (7). Istos Ale-

(1) Istiusmodi eremitarum mores, institutionemque dioecesanis Episcopis commendat Concilium Romanum Benedicti XIII. *tit. 22. de statu monach. et eremitar.*, eorumque regulas promit in *appendice num. 21.*

(2) Benedict. XIV. *lib. 6. de Synod. dioeces. cap. 3.* Sunt qui talium eremitarum exemptionem a foro laico tuentur hac sententia Concilii Chalcedonensis in *can. qui vere 12. C. XVI. qu. 1. Qui vere, pureque solitariam eligunt vitam, digni sunt convenienti honore.* Synodica vox *honoris* nequit ullimodis ad exemptionem a foro laico, neque ad subiectionem Episcopo extendi.

(3) Ex traditis a Fagnano in *cap. nullus de foro compet. qu. 15. num. 63.*, Formosino *ibidem qu. 15. num. 1., et 2.*, et Bened. XIV. *loc. cit.* Hosce ipsos *sine rege apes* huc, illuc discurrentes appellat Cardinalis de Portocarrero Archiepiscopus Tolet. in sua synodo *lib. 3. tit. 13. const. 4.*, prisci *acephalos*, idest sine capite, ac superiore, nullo unquam tempore toleratos, *can. nulla ratione 8. dist. 93.* Eccui licuerit hominum a legitimis Potestatibus sese pro libito subtrahere?

(4) Concordata an. 1741. *cit. cap. 1. art. ult., et cap. 3. art. 10.*

(5) De qua regens de Ponte in *ms. de iurisd. cap. 8. in fine*, et Belluga in *speculo tit. de Praeposit. gravam. §. videndum.*

(6) Concordatis *cit. cap. 3. art. 1.* ita cautum: *A riserva de' soli veri chierici, che hanno i requisiti prescritti da' sacri canoni, e delle persone religiose dell' uno, e dell' altro sesso, che vestendo l' abito religioso vivono collegialmente sotto la disciplina, ed ubbidienza de' legittimi Superiori, o pure che si trovano destinati da' loro legittimi Superiori agl' impieghi necessari fuori de' monasteri, i quali tutti devono godere il privilegio del foro in conformità de' sacri canoni: niun' altra persona, con qualunque nome si chiami, godrà, e potrà pretender di godere esenzione alcuna dal foro laicale.*

(7) Du-Cange in *glossar.* verb. *oblati Monasteriorum*, et Mabillonius in *praefat. ad sacc. VI. in acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti num. 92.*

xander III. *confratres*, et religiosorum *fraternitatem assumentes* appellat (1), et *donatos* Bonifacius VIII. (2). Quoties hi et proprietatem, et usumfructum rerum omnium sine fraude monasterio, aut conventui reapse donaverint, habitumque mutarint saecularem: Iure communi canonum inter ecclesiasticas personas Praelatis regularibus subiectas connumerantur: secus ubi nec mutatio saecularis habitus, neque sincera bonorum traditio, seu translatio in monasterium fiat (3). Decrevit etiam synodus Tridentina, *cuicumque monasterio oblatos, vel quomodocumque addictos, aut sub nomine servientium militiis, seu monasteriis, hospitalibus, collegiis, aut quocumque alio titulo assumptos*, subiacere Ordinariis locorum tanquam Sedis Apostolicae delegatis: *exceptis tamen iis, qui praedictis locis, aut militiis actu serviunt, et intra eorum septa, aut domos resident, subque eorum obedientia vivunt; sive iis, qui legitime, et secundum regulam earumdem militiarum professionem fecerint, de qua Ordinario constare debeat* (4). Hocce

(1) Alex. III. in *cap. cum et plantare 3. de privileg.*, et Innoc. III. in *cap. ut privilegia 24. eod. tit.*

(2) Bonif. VIII. in *cap. per exemptionem de privilegiis in VI.*

(3) De confratribus (puta *oblatis*) Alexander III. in *cit. cap. cum et plantare 3. de privilegiis, hoc constituimus*, ait, *ut si non saepe dictis Fratribus* (scilicet templi, et hospitalis, et aliis religiosis) se omnino reddiderint, sed in suis proprietatibus duxerint remanendum: propter hoc ab Episcoporum sententia nullatenus eximantur, sed potestatem suam in eos, sicut et in alios parochianos suos exerceant, cum pro suis fuerint excessibus corrigendi. Haec decretalis Alexandri privilegia Regularium ad eos non extendit oblatos, qui se ad religionem non omnino transtulerint. Idem in *cap. non dubium est 5. de sent. excomm.* rescripsit *conversos* Religionis privilegio canonis gaudere. Mox Innoc. III. in concil. gener. Lateran. IV. anno 1215. declaravit quibusdam Regularibus Apostolicam Sedem indulsisse, ut his, qui fraternitatem eorum assumpserint, sepulturam in Ecclesia regulari, aeque ac religiosis, interdicto generali non obstante, concederent. Id tamen de illis confratribus intelligere subdit, qui vel adhuc manentes in saeculo eorum Ordini sunt oblati, mutato habitu saeculari, vel eos, qui bona sua dederunt inter vivos, retento sibi (quandiu in hoc saeculo vixerint) usufructu: ne si de quibuslibet ipsorum fraternitatem assumentibus fuerit intellectum, pro duobus, aut tribus denariis annuatim sibi collatis dissolvatur pariter, et vilescat ecclesiastica disciplina, *cap. ut privilegia 24. eod. tit.* Tum Bonifacius VIII. in *cap. per exemptionem 9. de privileg. in VI.* ait, per exemptionem Ecclesiae concessam ipsa Ecclesia, et ipsius monachi, vel canonici, clerici etiam, et conversi, perpetuoque oblati. . . . intelliguntur exempti. Dein Clemens V. in Clement. 1. de decimis eadem ratione ductus declaravit *oblatorum* bona, pecora praesertim ab obligatione solvendi decimas immunia, si fraudis absesset suspicio, inquiens. Ceterum praemissa extendi nolumus ad animalia, quae per religiosorum ipsorum donatos, seu oblatos tenentur: dum tamen illi religiosis eisdem cum effectu donaverint, aut obtulerint se, et sua.

(4) *Trid. sess. 24. de reform. cap. quoniam privilegia 11.* Quid novi ultra ius Decretalium hocce decreto imperatum sit, observat Fagnanus in *cit. cap. ut privilegia 24. de privilegiis num. 37., et seqq.* insimul monens iurisdictionem Episcopis quod ad oblatos regularium vel reservatam, vel delegatam esse non privative, sed cumulate cum Praelatis regularibus.

decreto nihil, quod ad oblatorum exemptionem a foro laico innovatum fatetur Fagnanus (1).

XXV. Quoniam Concordata personis omnibus religiosis, habitu religioso utentibus, qui vel intra claustrum, domumque communem sub disciplina, et obedientia regularium Superiorum diu, noctuque commorentur, vel extra degant obeuntes mandata Superiorum, privilegium fori ecclesiastici iam expositum indulgent (2): exinde videntur eas inter personas religiosas nedum ii adnumerandi, quos *conversos* appellant, integram, totamque vestem regularis Ordinis gestantes, quoadusque in futurae professionis tyrocinio sint, sed veri etiam *oblati* primi generis, tria simul requisita praeseferentes. I, perpetuam scilicet donationem bonorum omnium a Praelato religioso, aut Episcopo admissam. II, demigrationem a saeculo ad monasterium, piumve collegium, in quo regularem servent obedientiam. III, aliquantulam saltem, quia omnimoda instar conversorum ea non fit, mutationem habitus saecularis in regularem. Si cui oblatorum aliqua ex hisce tribus qualitatibus defecerit, eum nullo fori privilegio dignum indicat ex canonum sententia Fagnanus (3). Idipsum de *tertiariis* ceteris quovis nomine dictis videtur ex Concordatorum iure dicendum (4).

XXVI. Eadem ratione virgines, viduaeque devotae, quae sine castitatis voto, saltem solemni ultro se a nuptiis abstinent, assumptoque habitu, quasi religioso in profana saeculi domo saepe suis cum parentibus, consanguineisque inhabitant, *moniales domesticae*, aut *bizochae* vulgo nuncupantur: a saeculari statu nullatenus discedunt, nec reapse ad regularem, aut quasi regularem transeunt. Ipsas idcirco non secus, quam personas omnino laicas nullo Regularium privilegio frui, nullaque ab oneribus laicorum exemptione, Concordata declarant expressim (5). Originem videntur istae duxisse a *Beguinis*, seu *Beghinis*, XIII saeculo vigentibus (6).

(1) Fagnan. *loc. cit. num. 27.* Ad vitandas inter utramque Potestatem dissentiones nonnulla declaravit S. Congregatio Concilii in decreto, quod referunt Passerinus *de homin. stat. to. 2. qu. 187. art. 4. num. 225.*, et Cohellius *ad bullam boni regiminis cap. 50. num. 142.*, insuper in causa Anglonensi die 15., et 29., Ian. 1724., in thesauro *resolut. to. 3. pag. 5., et 11.*

(2) Concordata *cit. cap. 3. art. 1.*, cuius verba superius exscripta videsis *num. XXIII.*

(3) Fagnanus *loc. cit. num. 21.*

(4) B. Chioccarellus *to. 1. archiv. tit. 1.* profert decretum S. Congr. Concilii, regio placito communitum anno 1608., quo Fratres Tertiarii, Mantellati, Corrigiati, ceteri id genus de Observantia S. Francisci extra Conventum suis in domibus profanis in statu vel coelibatus, vel viduitatis degentes, ad formam constitutionis Concilii Lateranensis sub Leone X. declarantur exempti nedum ab Ordinariis locorum, verum etiam a foro laico.

(5) Concordata an. 1741. *cit. cap. 1. art. ult.*

(6) Ioannes XXII. in *cap. ratio rectae de relig. domib. in Extravag. comm.* hoc tradit: in multis mundi partibus plurimae sunt mulieres, quae vulgo beguinae vocantur, segregatae quandoque in parentum, aut suis, interdum vero in aliis, aut conductis sibi communibus domibus simul habitantes. Vitas deducunt honestas, Ecclesias de nocte frequentant, Dioecesanis locorum, et paro-

XXVII. De *officialibus*, *domesticis*, *cursoribus*, *famulis* quibuslibet Episcoporum inter Doctores disputatum acrius, an solus Episcopi famulatus laicos a foro laico eximeret? Alii affirmantem sententiam tuebantur (1) lege Constantini (2), multisque Iuris Canonici auctoritatibus (3), alii negabant (4), contendentes nullo prorsus iure qua Civili, qua Canonico revera indultum laicis Episcoporum familiaribus privilegium fori ecclesiastici, nec satis illud probari argumentis ex adverso productis (5), cordatiores alii putant hac in re standum variantibus locorum consuetudinibus, et statutis. Hoc in regno saepe dicta Concordata

chialium Ecclesiarum reverenter obediunt. Et quamvis Concilium Viennense in cap. ad nostram de haereticis, et cap. cum de quibusdam de relig. domib. in Clementinis eas ob suspicionem haeresis, quae Fidem catholicam, et Sacramenta spectabat, proscripsisset: recitata nihilominus constitutio Ioannis XXII. post declaravit huiusmodi damnatione Viennensi beghinas vere catholicas non contineri. De his quoque plura edisserit Thomassinus *de discipl. Eccl. par. 4. lib. 1. cap. 62.*, et Du-Change *in glossario ver. beghinae.*

(1) Barbosa in *collect. ad cap. 10., et ult. de offic. Archid.* Fagn. in *cap. Ecclesiae S. Mariae 10. de constit. num. 44.*, Formosin. in *cap. cum contingat qu. 10., et 12. de for. compet.* Oltradus *cons. 292. num. 5.*, Solorzan. *de iure Indiar. lib. 3. cap. 8.*, Carleval. *de indiciis to. 1. qu. 6. disp. 2. sect. 3. num. 427., et 509.*, Reg. de Marinis *resolut. lib. 1. cap. 117.*, ceteri.

(2) Constantinus in *l. 1., et 2. C. de Episc., et cleric.* nedum clericis, sed mancipiis eorum largitus quum esset vacationem a publicis muneribus, et laicorum praestationibus, visus est immunitatem clericalis etiam fori ad mancipia extendisse.

(3) Concilium Toletan. III. in *can. Ecclesiarum servos 69. C. XII. qu. 2.* condoluit servos Ecclesiarum, Episcoporumque a iudicibus, vel actoribus publicis fatigari, dum postulare censuit a pietate Recaredi Regis, eos ut ausus inhiberet, et simul censuram excommunicationis comminatum est iudicibus, actoribusque servum, clerici, vel Ecclesiae in publicis, ac privatis negotiis occupantibus. Honorius III. in *cap. dilecto filio 10. de offic. archidiac.* caussas *hominum specialium* Senonensis Archiepiscopi, ac *familiae* eius excepit ab ordinaria Archidiaconi iurisdictione. Innocentius IV. in *cap. Romana 1. de poenis in VI.* ob iniurias *familiae* Remensis Archiepiscopi illatas in visitatione provinciae, impeditamque eius iurisdictionem rescripsit, ipse ut Archiepiscopus reos auctoritate propria puniret. Concilium Viennense in *Clem. 2. § ult. de haeretic.* sanxit *officiales* S. Inquisitionis in officio deliquentes fore ab Inquisitoribus puniendos. Tandem Synodus Tridentina *sess. 14. de reform. cap. 5.*, patrocinium indulget ecclesiasticum duobus tantum *familiaribus* eius, qui utuntur litteris, seu conservatoriis iuribus a Sede Apostolica deputatis.

(4) Cevallos *de cognit. per viam violent. par. 2. qu. 58. num. 9.*, Bobadilla *lib. 2. politic. cap. 17., num. 97., et seqq.* Thesaurus *quaest. forens. qu. 78.*, Ansald. *de iurisdict. par. 2. tit. 11. cap. 5. num. 151.*, ceteri.

(5) Nam Constantini lex, et canon Toletanus de servis Ecclesiarum adscriptitiis, colonisque perpetuis, et eorum immunitate ab oneribus publicis loquentes nullum faciunt verbum de ipsorum exemptione a foro laico. Decretales autem, et canonica iura spectant causas spirituales, et ecclesiasticas, et quaestiones fori inter utrumque iudicem ecclesiasticum, non inter ecclesiasticum, et laicum. Ceterum lex civilis suspectum fore iudicem habet in caussis familiarium eius. *Qui iurisdictioni praeest, neque sibi ius dicere debet, neque uxori, vel liberis suis, neque libertis, vel ceteris, quos secum habet*, respondit Ulpianus *l. qui iurisdictioni 10. D de iurisd. omn. iudic.*

vix *cancellario* soli, seu *actorum Magistro* uniuscuiusque Curiae dioecesanae, et paucis *cursoribus* (quos numerato singulis regni Episcopis, et Praelatis (1) addicit tabula die 2. Iunii 1741. data ex palatio Quirinali a plenipotentiariis quum Papae, tum Regis), praeterea nemini exemptionem a foro laico non amplam, sed limitatam multimodis: videlicet quod ad personalem dumtaxat restrictionem in caussis civilibus, et criminalibus levioribus citra poenam sanguinis, ac triremium, et mixtis, et quoad ii in suscepti muneris exercitio permanserint. Utque istiusmodi cancellariorum, cursorumque causas in primo gradu episcopalis Curia, cui famulantur, iudicet; in secundo Metropolitanus, vel Tribunal Mixtum: quod duos primum iudices in partibus, alterum ecclesiasticum, laicum debeat alterum destinare, cognituros causam appellationis, eisque in sententia discordibus tandem Tribunal ipsum, omni alia appellatione remota litem definiat. Eos tamen capitalium criminum reos, ut nulla fori exemptione suffragante Curia baronalis possit mancipare vinculis, dein certiorem de gesta re facere, aut Gubernatorem regium viciniorem, aut alium a Rege dandum Iudicem, cuius erit delata inquirere scelera graviora, poenisque legitimis coercere (2). Hoc pacto abusus famulorum episcopalium, eorum praecipue, qui *patentati* dicebantur, iam reformatus.

XXVIII. Quotiescumque persona ecclesiastica, quae privilegio fori gaudeat, debet in ius vocari: nil fere oportet, aut iuvat dispicere qualitatem causae, aut rem, qua de agitur, sit ne profana, et temporalis, an ecclesiastica, et spiritualis, neque an personalis actio sit, an realis? Nam caussae generatim omnes personarum ecclesiasticarum (si paucas tantum exceperimus titulo subsequenti enumerandas) in foro Ecclesiae cognoscuntur ac dirimuntur: tam si quis pro ecclesiasticis rebus (3), Ecclesiaeque nomine, cuius ipse beneficium, vel administra-

(1) Isthaec tabula typis edita duodecim Cursores adsignat Archiepiscopo Neapolitano, totidemque Nuntio apostolico: sex Caputaquensi, et Miletensi: Archiepiscopo Salernitano quinque, Praesulibus Aversae, Aquilae, Barii, Beneventi, Cosentiae, Capuae, Theatino, Licii, Materae, Rhegii quatuor in singulos: tum Anglonensi, Arianensi, Amalphitano, S. Agathae Gothorum, S. Angeli, et Bisaciae, Brundusino, Bisinianensi, Cassanensi, Compsano, Catanzarii, Hieraciensi, Larinensi, Lucerino, Melphiensi, Manfredoniae, Marsorum, Nolae, Hydrunti, Policastri, Rossani, Sulmonae, Squillacii ternos, totidemque Abbati Montis Casini: binos demum ceteris quum Episcopis, tum Abbatibus Montis Virginis, SS. Trinitatis Caveae, S. Stephani de nemore, S. Spiritus Morroni, simul et S. Clementis ad piscariam, et Archipresbytero Altimurano. Aliis aliquot Abbatibus, Praelatisque nullius dioecesis Tribunal Mixtum deputavit vi eiusdem tabulae binos, praesertim Abbati S. M. Angelorum Terrae Centulae.

(2) Concordata *cit. cap. 3. art. 5. usque ad 9.*

(3) Ex perpetuo Iure tam communi, quam municipali, quod retuli superius toto *tit. III.* Non pigeat heic audire S. Ambrosium haec ad Marcellinam sororem suam *ep. 33.* scribentem. Convenior ipse a Comitibus, et tribunis, ut basilicae fieret matura traditio, dicentibus Imperatorem iure suo uti, eo quod in potestate eius essent omnia. Respondi, si a me peteret quod meum esset, idest fundum meum, argentum meum, ius huiusmodi meum, me non refragaturum, quanquam omnia, quae mea sunt, essent pauperum: verum ea, quae

tionem, vel curam habeat, quam si pro suis profanis, et patrimonialibus bonis, suoque ipsius nomine conveniuntur (1). Ea iuris regula moribus, legibusque nostris probatissima, ut actor sequi forum rei debeat, generatim complectitur actiones omnes quum personales, tum reales, et mixtas ex quovis contractu, aut maleficio, vel quasi profectas, quae clericos afficiant reos in iudicio tam civili, quam criminali.

XXIX. Rex Guilielmus saeculo XII. regulam eiusmodi abrumpens edixit caussas hereditatum, et profani clericorum patrimonii esse in foro laico iudicandas citra personalem eorum districtionem (2). Eumque secutus Fridericus II. Imperator inter alias huius regni constitutiones itidem iussit clericos, et religiosos pro bonis etiam burgensaticis in iudicio quum petitorio, tum possessorio in Curiam Regis vocandos: *rei qualitate potius*, ait, *in hac parte, quae petitur, quam personae conditione, seu iudicii qualitate pensata* (3). At vero ambas postea leges Guilielmi, et Friderici quum abrogassent Reges Andegavenses, et subsecuti etiam Principes (4): exinde constitutum, et utriusque Potestatis consensione, moribusque receptum adhuc, ut ne clerici, nisi pro bonis feudalibus, ad iudicia saecularia trahantur (5).

divina sunt, imperatoriae potestati non esse subiecta, can. convenior. *21. C. 23. qu. 5.*

(1) Ex probatis Regni legibus, et moribus supra iam recensitis eodem *tit. III. num. XXXVIII., et seqq.*

(2) Guilielm., qui regnavit anno 1154. usque ad 1166., in Regni *const. 15. tit. de clericis conveniendis pro possessionibus, quas non tenent ab Ecclesia,* inquit: Si quis clericus de hereditate, vel aliquo tenimento, quod non ab Ecclesia, sed ab aliis vel aliquo per patrimonium, sive aliud teneat, appellatus fuerit: volumus, ut de hoc in Curia illius, in cuius terra possessionem vel tenimentum habuerit, respondeat; et quod iustum fuerit, faciet, non tamen, ut persona sua exinde capiatur, vel incarceretur. Quod Andraeas de Isernia in sua *glos. ad hanc const.* verb. *Curia* falso opinetur Guillielmum de competenti Curia ecclesiastica locutum: sat indicant cetera verba, et constitutionis, et rubricae. Ad rem scribit rectius Greg. Grimaldus *tom. 1. hist. leg., et magistrat. Regni lib. 6. num. 5.*, legem Guilielmi vix servatam proximis promulgationi suae temporibus, dein obliteratam, et obsoletam aevo, praesertim Iserniae usque adeo fuisse, ut hic eam interpretatus accomodaverit ad morem tunc vigentem canonico iuri consentaneum.

(3) Frid. II. Imp. *const.* 65., quae incipit *de burgensaticis*, inter constitutiones anno 1231. latas in Civitate Melphiensi, quas compilatas edidit Magister Petrus de Vineis Curiae Capuanae Iudex.

(4) Ex Capitulis Caroli I. Andeg. iam relatis superiori *tit. III. num. XLI.*

(5) Eamdem consuetudinem iuri consonam, quae foro Ecclesiae causas etiam reales ac mixtas clericorum dimittit, in Hispania vigere tradit Covarruvias *lib. 2. variar. quaest. cap. 31.* Contrarium at Galliae morem, qui fori privilegium in actionibus personalibus tantum servat clericis, eosque in realibus, et mixtis laico iudici subiicit ex relatis a Claudio Fleury *par. 3. Inst. Iur. Can. cap. 5.*, veluti corruptelam reprobant *cit.* Covarruvias *ibidem.* Carlevalius *de iudic. disp. 2. num. 154.*, et Marta *de iurisd. par. 4. cent. 2. cas. 125.*

TIT. VI.

Quibus in caussis clerici foro laico pareant.

I. Aliquando personas ecclesiasticas foro laico parere compellunt res nonnullae, scilicet coeptum in eo iudicium, agendi contra laicos necessitas, violentia, et amissus Ecclesiae forus.

II. Feudales primum caussae in clericos etiam feudatarios in regiis tribunalibus aguntur.

III. Delationes quoque hereditatum, et fideicommissorum, possessiones bonorum, insinuationes testamentorum, decreta praeambulorum.

IV. Haec nonnisi salvo iure cuiuslibet clericis, et Ecclesiis conceduntur hoc in regno.

V. Rationes etiam tutelae pupillorum, et curae minorum, quam clericus in foro laico susceperit, inibi redduntur.

VI. Quas praeterea res alienari laicus iudex laicis vetaverit, eas ad clericos alienatas repetere in laico foro fas est.

VII. Obnoxias itidem vectigalibus, ac tributis res, et arma prohibita prehendunt, et retinent laici magistratus.

VIII. Tum noxalia pecora, quae damnum fecerint.

IX. Coeptum semel iudicium in foro laico ante clericatum, finem in eo postea quoque accipiet.

X. Haeres etiam defuncti laici clericus coeptam cum illo litem inibi sustinet.

XI. Et auctor laudatus clericus ex promissa evictione debet laicum emptorem in foro laico defendere contra petentes eamdem rem ab ipso venditam.

XII. Actores quomodolibet clerici sua in laicos iura deferre in laico foro adiguntur, in iudicio etiam reconventionis.

XIII. Iique succumbentes ad parendum sententiae laicorum coguntur implorato brachio episcopali, ubi laicus fideiussor deficiat.

XIV. In iudicio diffamationis clericus item debet in laicum diffamatum edere iura sua coram iudice laico.

XV. Quemadmodum et in novi operis nunciationibus.

XVI. Tum in caussis retractus, seu iuris congrui.

XVII. Atque in conficiendo inventario bonorum hereditatis, vel patrimonii decocti, vel inopis debitoris.

XVIII. Regale praesidium ad arcendas e possessionibus violentias in clericos quoslibet citatos per edictum item conceditur vigore quinque capitulorum regni.

XIX. Recursus ad Principem contra ecclesiasticae iurisdictionis abusus ad Tribunal mixtum ab ipso Rege pro relatione, ac voto remittitur, antequam super eo quidquam rescribatur.

XX. Homicidae clerici cum qualitate assassinii forum ecclesiasticum amittunt ipso iure, laicumque iudicem in captura praevenientem non declinant.

XXI. Ob laesam insuper maiestatem in primo capite regiam ultionem consueverunt non evadere.

XXII. Post degradationem, traditionemque laico iudici forum in omnibus caussis etiam futuris laicum subeunt.

XXIII. Clericatus quaestio tandem saepe incidens in civilibus, et criminalibus fori laici caussis ibidem cognoscitur, ac definitur.

I. Praecipua fori ecclesiastici regula de personis ecclesiasticis in eo iudicandis iam superiori titulo exposita, nonnullas patitur limitationes, in praesenti vigentes, usuque receptas, quae laico foro clericos non raro subiiciunt in caussis passivis respectu, vel *rerum* Potestati laicae speciatim obnoxiarum, vel coepti semel in foro laico *iudicii*, vel *actoris clerici* forum laicum adeuntis, vel privatae *violentiae* a possessionibus arcendae, vel *amissi* Ecclesiae *fori*.

II. Respectu *rerum*: in primis *feudales* caussas clericorum, qui feuda saecularia possident, in ipsa Curia Regis, directi feudorum domini passim examinari, ac dirimi iura etiam canonica probant. Quemadmodum Alexander III. eos, qui ab Ecclesia possessiones in feudum obtineant, censuit debere iustitiam super feudo ab eiusdem Ecclesiae Praelato postulare (1): ita Gregorius IX. rescripsit quaestionem feudalem esse coram domino feudi vel laico, vel ecclesiastico, etiamsi clerici sint collitigatores, definiendam (2). Et Bonifacius VIII. praeterea declaravit Abbatissam cuiuslibet Monasterii pro feudo, quod ipsum ab aliquo Principe saeculari habeat Monasterium, teneri huic homagium, seu iuramentum fidelitatis praestare, ob idque posse cum honesta, quae deceat, societate e Monasterio egredi, quoties illud nequiverit per procuratorem adimplere (3). Ex hisce decretalibus effluxisse videtur prima fori sacri limitatio, quam in caussis feudalibus firmarunt pacta saepe conventa inter Sedem Apostolicam, Regesque Neapolitanos, praesertim Andegavenses, Aragonios, eorumque successores (4). Hinc factum est, ut lites feudales regnicolarum omnium, quamquam in ius vocentur Barones clerici, vel Presbyteri, vel Episcopi, vel abbates regularium, in regia Camera Summariae fere discutiantur, quoties regii Fisci ali-

(1) Alex. III. in *cap. ceterum 5. de iudiciis.*

(2) Greg. IX. in *cap. ex transmissa 6, et cap. rerum 7. de foro comp.*

(3) Bonif. VIII. in *cap. periculoso un. §. verum de statu regular. in VI.*

(4) De quibus iam supra dictum est *tit. IV. num. XLI. et seq.*, et *tit. IV. num. XXIX., et ult.*

quod ius etiam in quaestione sit, aut in regio Consilio S. Clarae, ubi nullum controvertatur interesse Fisci (1). Idcirco feudales caussas ab uno ad alterum tribunal regium mutuo in diem remitti ex concurrente, vel deficiente mixtura iuris fiscalis tradit Praeses de Franchis (2), et stylus adhuc vigens indicat.

III. Eadem *rerum* saecularium ratio efficit, ut cunctas profanarum haereditatum, et fideicommissorum caussas non alibi, quam in foro laico agant clerici, quum active, tum passive. *Illic ubi res hereditatis esse proponis, heredes in possessionem rerum hereditariarum mitti postulandum est. . . . . atque hereditatis erit controversia terminanda,* textus Codicis ait (3). Iustinianus praeterea Imperator facultatem *insinuandi*, hoc est declarandi ultimas testantium voluntates demandavit Magistro census tantum, exclusis aliis quorumlibet tribunalium iudicibus, *et praecipue clericis, quibus opprobrium est*, inquit, *si peritos se velint disceptationum esse forensium* (4). Quum bona vacantia, et hereditates caducae herede legitimo deficiente, ad Fiscum saecularis Principis lege Iulia pertineant (5): absurdum idcirco esset regium Fiscum aliquando ab Episcopis, et ecclesiasticis iudicibus ea temporalia bona postulare, atque accipere (6). Quamquam clericus fuerit is, cuius hereditatem ab intestato, vel ex testamento iacentem postulent in iudicio vel scripti heredes, vel de sanguine proximiores quum laici, tum ecclesiastici: bona ipsius eo mortuo vacantia, quoad successor, et novus eorumdem dominus declarabitur, obnoxia penitus regiae Potestati exinde putant Doctores, quod bona quaevis temporalia non divino, sed humano iure possideamus (7). Hoc propterea in regno quaestiones omnes de adipiscenda, vel retinenda hereditate, bonorumque possessione inter competitores etiam clericos, quae saepenumero incidunt, vel emergunt non minus ex testamentorum vitiis, ac nullitatibus, aut falsitate, aut querela inofficiosi, quam ex controversis agnatorum cognatorumque gradibus, et iuribus; necnon de solvendis legatis, et alieno aere a defunctis relicto, vindicandisque bonis haereditariis, discutiuntur in Curiis locorum laicis, tum in regiis Auditoriis in secundo gradu, ad extremum in M. C. Vicariae (8). Haec porro

(1) Ex *prag. deficiente 3., sententiis 36., et quando 37. de S. R. C.*

(2) De Franchis *dec. 232.*

(3) Impp. Valerian., et Galien. in *l. un. C. ubi de hereditate agitur.*

(4) Iustinianus Archelao P. P. rescribens in *l. consulta divalia 23. C. de testamentis.*

(5) Iulianus in *l. quidam 96. §. 1. D. de legatis, et fideic., 1., l. 1.*, et *segg. C. de bonis vacantibus et de incorporatione.*

(6) Ex sententia Ansaldi *de iurisd. part. 3. cap. 13.*, Grass. *de effectib. clericat. eff. 1. num. 110.*, Reg. de Rosa in *prax. civ. can. 3. num. 9., et 10.*

(7) Id quod contra Donatistas docuit S. Augustinus in *can. quo iure 1. dist. 8.*

(8) Ex regio rescripto ad Praesidentem S. R. Cons. dato die 19. Septembris 1746., quo simul imperatum, ut M. Curia Vicariae praeambula urbis huius principis, et quoties bona hereditatis unius in pluribus sint dissita Provinciis, conficiat: et cuiusque Provinciae auditorium ea itidem, quae hereditarium assem in variis Provinciae locis effusum, sunt delatura.

vices Magistri census gerens quotidie declarat re cognita nedum decretis, ut aiunt, *praeambulorum* singulos defunctorum heredes tam ab intestato, quam ex testamento, et quotas singulis debitas : verum etiam *spectare*, *et spectavisse* bona huius, illiusve fideicommissi, aut cuiuslibet sive profanae, sive piae dispositionis, quae primam non redoleat institutionem heredis, ad eos, qui suum in illis ius quaesitum, rite ostenderint. Et quoties pro clericis, et quacumque persona ecclesiastica sive pro monasterio, aut Ecclesia conficiuntur decreta eiusmodi : stylus inolevit adiiciendi vetustam clausulam, *salvo iure cuiuslibet*, *et citra praeiudicium iurium quorumcumque praetendentium :* vel hanc recentiorem, *salvo iure cuiuslibet in iudicio tam universali, quam particulari.*

IV. Tantam isti clausulae vim attribuunt Doctores nostri, ut communi sensu teneant, ea dum appareat conscripta, clericos tunc heredes, possessoresque bonorum cogi in M. Curia Vicariae, aliove foro laico respondere creditoribus hereditariis, et legatariis penes acta *praeambuli* comparentibus, eosque non audiri postulantes declinare forum laicum (1) ex reservata per eam iudici laico iurisdictione cognoscendi, ac iudicandi super *bonis haereditariis* iura legatorum, creditorumque (2). At quoties ea clausula erit in praeambulis, decretisque dantibus possessionem bonorum tacita, et omissa : tunc negant creditoribus hereditariis, et legatariis ius adeundi forum saecularem contra Ecclesiam, monasterium, clericum bona hereditaria possidentem soluto iurisdictionis laicae vinculo, eisque actoribus necessitatem indicunt sequendi clericum in foro ecclesiastico, aestimantes, ut proprium clerici patrimonium, ita hereditatem cum illo confusam a foro laico immunem (3). Eoque id magis locum habebit, si hereditatem clericus sine praeambulo aditam possideat.

V. Tutelam, curamque pupillorum, et impuberum, si quam vel testamentariam, vel legitimam, vel dativam clericus acceperit in foro laico, adimpletis ante solemnibus inventarii bonorum, et idoneae cautionis, sive quamlibet saecularis officii administrationem, sive depositas, aut sequestro datas res : dubitant Doctores, an sit ipse cogendus rationes exin gestae administrationis in eodem foro laico reddere. Utrumque ius videtur affirmanti favere sententiae. Nam in loco admini-

(1) Capic. latr. *dec. 123. num. 8.* Hodierna ad Surdi, *dec. 26. in fine*, Reg. de Rosa *loc. cit.* Leonard. Ricc. *in praxi tom. 3. cap. 36.*

(2) Nam esse in foro laico adhuc putantur, cuncta hereditatis bona sub conditione clausulae iura cuiuslibet reservante. Idcirco ex Licinii Rufini sententia, *quod legatur*, sive personali, sive in rem actione petatur, *ibi peti debet, ubi res est*, *l. quod legatur 38. D. de iudiciis.* Adde rationem consensus heredis eam clausulae conditionem accipientis in foro laico. Nam Severus, et Antoninus rescripserunt, *si consenserit fideicommissarius alio loco dare*, *necesse habet secundum consensum dare*, *ubi consenserit*, *l. quamvis 51. D. de iudiciis.*

(3) Rovit. *dec. 44.*, ibique Altimar. *in observat.* et Reg. de Rosa *loc. cit. num. 137.*, qui recte monet solo praeambuli decreto neque litigiosam hereditatem, nec litem super ea pendentem fieri, sed delatam dumtaxat heredi legitimo, aditamque ab eo hereditatem ostendi.

strationis debet iure civili quisquam se defendere, etiamsi domicilium inibi non habuit, et pati bonorum executionem (1): nullisque fori praescriptionibus utitur (2). Ius vero Canonicum plane vetat clericis eiusmodi administrationes laicorum (3), et patrocinio Ecclesiae indignos renunciat in eisdem se immiscentes (4). Hinc alii affirmant rationes clerici rerum laicarum administratoris in foro saeculari esse quidem reddendas, ut declaretur solummodo quid, et quantum is ex dato et accepto debeat, ad solutionem postea compellendus ab ecclesiastico iudice (5). Alii nihilominus negant (6), contendentes non alibi, praeterquam in foro ecclesiastico posse clericos tum realiter tum personaliter compelli ad rationes tutelae, et cuiusvis muneris profani reddendas. Verum isthaec disceptatio accidit rarissime Mos porro inolevit in nostris regni tribunalibus, ut quamlibet tutelam, curam, administrationem, depositum, sequestrum rerum in foro laico non accipiant clerici, nisi post cautionem idoneam laici fideiussoris datam inibi, et hunc inde suo in foro iudex laicus compellit ad rationes, restitutionesque, dimissa clerici persona.

VI. Rem alienari a iudice laico prohibitam si postmodum clericus acceperit, quum liceat nemini iudicium mutare in fraudem cuiusque: non impedientur exinde partes iura experiri sua super eadem re coram

(1) Ulp. in *l. heres absens 19. §. 1. D. de iudiciis* ait: Si quis tutelam, vel curam, vel negotia, vel argentariam, vel quid aliud, unde obligatio oritur, certo loco administravit, et si ibi domicilium non habuit, ibi se debebit defendere: et si non defendat, neque ibi domicilium habeat, bona possideri patietur. Consonat. *l. 1. C. ubi de ratiociniis tam publicis, quam privatis agi oportet.*

(2) Honor., et Theod. in *l. nemo 2., et ult. C. ubi de ratiociniis.*

(3) Ne sacerdotes, sacrique ministri ab altare avocarentur, S. Cyprianus in concilio vetuit eos fieri tutores, indignumque suffragiis Ecclesiae quemdam Victorem iudicavit, qui presbyterum ausus erat constituere tutorem, *can. neque 14., et ult. dist. 88.* Tum ne infamaretur Ecclesia, in synodo Carthagin. I. an. 348. sancitum ordinandos non fore procuratores, actores, executores, curatores pupillorum, nisi post deposita universa, et reddita ratiocinia, *can. Magnus Episcopus 3. dist. 53.*, et *cap. 1. de obligatis ad ratiocinia.* S. Gregorius M. *inutile, et valde laboriosum est*, ait, *hominem litteratum* ratiociniorum *causas assumere, et in eis se, quod non expedit, obligare, can. inutile 8. dist. 88.*

(4) Eugenius Papa Lucensi Episcopo in *cap. sacerdotibus 2. ne clerici, vel monachi* ita rescripsit: *si ministrum, et procuratorem laicorum facere praesumpserint, et occasione ipsius administrationis propter pecuniariam caussam deprehendatur in fraude: indignum est* eis ab Ecclesia *subveniri, per quos constat in Ecclesia scandalum generari.*

(5) Reg. de Marinis *lib. 1. resol. 53.* ita decisum in Regia Camera Summariae tradit. De clericis, qui vel deposito acceptas res in foro laico debent, restituere, inibi cogendis agunt Guilielmus de Benedictis in *cap. Rainutius ver., et uxorem num. 419.*, Afflict. *dec. 24. num. 3.*

(6) Rovit. super *Prag. 1. de cler., et diac. silvatic. num. 5.*, et *dec. 20.* hanc sententiam decisionibus Regii Consilii S. Clarae comprobat, Riccius in *collect. dec. 53.*, post glos. in *cit. c. sacerdotibus 2. ne cler., vel mon verb. ab Ecclesia.*

ipsomet iudice, qui alienationem inhibuit (1). Quandoquidem Alexander III. iure decrevit eos, qui in possessionem alicuius rei se ingessissent per calliditatem, et versutiam, futurum de eo iudicium mutandi caussa, compellendos coram iudice alienantis, ut aequitati Iuris pareant (2). Et Ius civile integrum actoribus servat arbitrium adeundi forum vel alienantis, vel possidentis rem eiusmodi litigiosam (3).

VII. Res etiam obnoxias regiis vectigalibus, tributisque, si clericus clam, et fraudulenter *contrabanna*, ut aiunt, adsportaverit: illud suo periculo proverbium saecularis Magistratus, eiusque satellitum experiuntur: *clericum dimittimus, et bona retinemus.* Deferente arma clerico post trinam Episcopi monitionem iussit Rex Robertus, ut spoliarentur armis per ministros saeculares, *sine tamen aliqua iniuria personali* (4). Concordata quoque novissima dum expresse prohibent personas clericorum ob *contrabanna* laicis ministris retinere (5): tacite videntur his contra indulgere consuetam rerum capturam, quae fraudatis vectigalibus, et portoriis traiiciantur, vel adsportentur. Nam res ipsae, non personae regio vectigalium iure afficiuntur (6).

VIII. *Noxales* actiones iure non absimili dantur in servos, et pecora clericorum, ut illata damna vel deditione, ac iactura ipsius pecoris, quod fecit damnum, vel aestimatione litis reficiantur (7). Itaque iis in locis, ubi statuta certam noxae poenam, vel occisionem, ac iacturam pecoris, aliusve corporis damnificantis, vel privatam, aut publicam, donec satisfactum parti laesae fuerit, detentionem, clericos realiter tan-

(1) Car. Ant. de Rosa in *cit. pr. civ. cap. 4. num. 105.*, et Regens de Marinis *lib. 1. resol. cap. 4. num. 15., et 16.*, ex regni const. *eorum fraudibus* sub titulo *de alienat. rer. in iudicio deductarum,* et *cap. conventus sub tit. de conventis, qui alienar. posses.*

(2) Alex. III. in *cap. 1. de alienat. iudicii mutandi caussa facta.* Tum Gregor. IX. in *cap. 2., et fin. eod. tit.* compescendos censura ecclesiastica iussit clericos, *ne sibi dono, vel pretio ab aliquibus laicorum cedi facerent actiones; ut adversarios ad ecclesiasticum forum traherent, et praedam ex huiusmodi commercio assequerentur: cum cessiones, et emptiones litium legitimae prohibeant sanctiones, ita quod iactura caussae afficiant illos, qui sibi potentiorum patrocinium taliter advocare praesumunt.*

(3) *L. cum in rem un. C. de alienat. iudicii mutandi caussa facta.*

(4) Robertus in *Pragm. 6., et fin. de clericis, et diaconis silvaticis.* Plura Regii Collateralis Consilii decreta, quae vetustum in regno morem subiiciendi clericorum res profanas regiis vectigalibus, et portoriis, habet Regens Falletti *ragionamento 5.* In Hispania itidem quod inventos noctu cum armis clericos post campanae signum receptui datum consueverint saeculares ministri eis lem armis absque scrupulo spoliare, tradunt Episcopus Covarruvias *lib. 2. variar. cap. 20. num. 18*, et Carleval. *loc. cit. num. 158.*

(5) Concordata *cap. 3. de immunit. personali num. 4, trovandosi qualunque persona ecclesiastica con roba di contrabanno, non sarà lecito alle Curie, e ministri laici di arrestarne, o carcerarne la persona.*

(6) *Impp. Antoninus, et Verus rescripserunt, in vectigalibus ipsa* praedia, *non* personas *conveniri*, tradit Papirius Iustus in *l. Imperatores 7. D. de publicanis, et vectigalibus, et commissis.* Consonat textus in *l. indictiones 3. C. de annonis, et tributis.*

(7) *L. 1., et seqq. D. de noxalibus actionibus, et l. si servi vestri 2. C. eodem.*

tum subesse tunc laici Magistratus iudicio, probat Carlevalius (1). Quoniam vero famulos clerici, custodesque laicos potest iudex laicus ad emendationem damni compellere facilius ; id quod servari hoc in regno ex consuetudine testantur Doctores (2) : S. Congregatio Immunitatis censuit animantia clericorum noxia esse a laicis ministris ad ecclesiasticum dioecesanum remittenda, quum non liceat iis ea detinere (3). At in locis ditionis ecclesiasticae Benedictus XIV. censuit Episcoporum dumtaxat veros familiares, ac ministros laicos, et colonos partiarios in causis passivis damni dati pulsandos in foro ecclesiastico esse: secus alios cuiuslibet Ecclesiae, aut ecclesiasticae personae colonos. Et ubi animantia Ecclesiae, aut clerici noxalia tantum fuerint capta, iudicium in foro ecclesiastico exercendum : sed in colonum clerici laicum vel captum, vel accusatum in foro laico agi debeat. Captis utriusque, et colonis, et animantibus, possit arbitratu suo damnum passus adire vel ecclesiasticum, vel laicum forum : eoque laicum adeunte, animantia noxalia statim liberentur domino ecclesiastico (4). Hucusque de *rebus* iudicio saeculari affectis.

IX. Ratio quoque altera *coepti* saecularis iudicii efficit, ut illud nequeant clerici declinare: nam *ubi acceptum est semel iudicium*, Marcellus respondit, *ibi et finem accipere debet* (5). Qui ergo post litem in laico foro coeptam fiet clericus: eam cogitur inibi usque ad exitum sustinere citra personae districtionem, et realiter tantum pati exequutionem rei iudicatae (6). Utroque id iure probatur. *Si quis posteaquam in ius vocatus est, miles, vel alterius fori esse coeperit, in ea causa ius revocandi forum non habebit quasi praeventus,* Ulpianus ait (7). Pariter Bononiensi Episcopo rescripsit Gregorius IX., quod quidam ab eo Episcopo *citatus ad caussam, quia postmodum iurisdictionis alterius esse coepit . . . . . revocandi forum non habet, quasi ab altero iam praeventus* (8).

X. Itidem heres laici clericus incoeptam cum defuncto litem nequit ad forum ecclesiasticum trahere (9). *Si is, qui Romae iudicium acceperat, decessit, heres eius, quamvis domicilium trans mare habeat, Romae tamen defendi debet : quia succedit in eius locum, a quo heres relictus est,* Iavolenus censuit (10). Secus erit, ubi nova ex

(1) Carleval. *de iudic. disp. 2. num. 155.*
(2) Grammatic. *cons. 102. num. 10.*, et Vivius *dec. 280.*
(3) Barbosa in *summ. apostol. decis. collect. 7. num. 2.*
(4) Bened. XIV. in *constit. inveterata 38. num. 5.*, *et seq. to. 2. Bullarii.*
(5) Marcell. in *l. ubi acceptum 30. D. de iudiciis.*
(6) Reg. Sanfelic. *lib. 1. dec. num. 11.*, *et 12.*, de Marinis *lib. 1. resolut. cap. 54. num. 1.*, *et 2.*, Rovit. *dec. 20. num. 8.* Videsis dicta superius *tit. V. num. XVIII.*
(7) Ulp. in *l. si quis 7. de iudiciis*, et *l. cum quaedam 19. D. de iurisd. omn. iudic.*
(8) Greg. IX. in *cap. proposuisti 19. de foro competenti.*
(9) Covarruvias *pract. quaest. cap. 8. num. 3.* Surd. *cons. 222. num. 10.*, Paul. de Castro in *l. heres absens n. 2. de iudiciis.*
(10) Iavolen. in *l. si is 34. D. de iudiciis.*

integro lis in clericum heredem instituatur, bona defuncti debitoris possidentem *sine praeambulo*, aut sine vinculo *clausulae* reservantis *iura cuiuslibet* in iudicio saeculari ex rationibus iam supra expositis (1) : quemadmodum et ubi coepta cum defuncto caussa fuerit semel peremptа , quae perinde habetur, ac si nunquam coepta sit. His enim casibus clericum laici heredem, ac successorem apud iudicem ecclesiasticum hereditarii creditores in ius vocabunt (2). Ulpianus adversari hac in re videtur , inquiens : *heres absens ibi defendendus est , ubi defunctus debuit , et conveniendus , si ibi inveniatur*, nulloque suo proprio privilegio *excusatur* (3). At Iureconsultus ab heredis *proprio privilegio* sat palam excludit *privilegium commune* in corpore Iuris clausum (4): quale est illud fori clericalis universo clericorum ordini concessum communi, et publico iure quum Canonico, tum Civili. Huiusmodi ratione ducti Doctores colligunt clericum laici heredem in foro defuncti laico pulsari non posse (5) fruentem communi privilegio iuris publici , quod Ulpiani responso non adimitur.

XI. Qui fundum a clerico emit , aliove oneroso titulo comparavit , si revindicatione, aut quavis alia in rem actione conventus in foro laico laudaverit clericum auctorem evictioni obligatum , postulans ab eo se defendi: eam tunc litem ab laico auctori nunciatam ad iudicium ecclesiasticum avocare clericus indirecte reus nequibit. Paulus enim interrogatus, an *venditor ab emptore denunciatus, ut eum evictionis nomine defenderet*, et dicens *se privilegium habere sui iudicis , possit litem ab eo iudice , apud quem res inter petitorem, et emptorem coepta est, ad suum iudicem revocare?* Iureconsultus respondit, *venditorem emptoris iudicem sequi debere* (6). Idque textus Codicis etiam firmat, definiens (7): *in rem actio non contra venditorem, sed contra possidentem competit. Frustra itaque desideras non tecum congredi, sed cum auctore tuo dominium vindicante, cum te possidere contendas : nam si denuntiasti ei, qui tibi vendidit, intelligis evictionis illi periculum imminere. Nec enim iurisdictionis forma in eadem provincia constitutis tam petitore , quam possessore ob auctoris personam, quam in alia provincia dicis consistere , debet immutari.* Fit exinde , ut clericus *indirecte* reus, vel *auctor* (ut aiunt nostri) *laudatus* privilegium fori sui non conferat reo *directo* , et possessori laico , dum ei evictio-

(1) Hoc eodem *tit. num. III., et IV.*

(2) Reg. de Marinis *resol. iur. lib. 1. cap. 53. num. 5.*, Grammatic. *dec. 103. num. 113.*, Marta *de iurisd. 141.* Hi doctores addunt, si caussa cum defuncto coepta, et perempta restauretur *insufflatione spiritus*, ut aiunt, postquam clericus absque vinculo praeambuli hereditatem adiverit : non tolli tunc quaesitum clerico ius fori clericalis , et forum declinandi laicum.

(3) Ulp. in *l. heres absens 19. D. de iudiciis.*

(4) Ut recte notat Gothofredi glossa in *cit. l. heres absens ver. debuit.*

(5) Felicianus de Oliva *de foro Eccles. par. 3. qu. 24. num. 14.*, et Carleval. *cit. lib. 1. disp. 2. qu. 5. num. 299.*, ex communi plurimorum , quos ii laudant , sententia.

(6) Paulus in *l. venditor 49. de iudiciis.*

(7) Diocl. et Maxim. in *l. 1. C. ubi in rem actio exerceri debeat.*

nem spondet: cumque in laico foro praeventum cogatur inibi defendere, motam suo ipsius periculo caussam pro eo acturus: alias maiorem desertae litis aestimationem victo denuncianti praestabit (1). Verum tribunal Regii Consilii Neapolitani consuevit clericos quidem auctores, ut supra laudatos, qui declinare forum postulaverint, ad Curiam ecclesiasticam remittere caussas cum laicis emptoribus iam coeptas cognoscere, ac definire (2).

XII. Quotiescumque *actoris personam* vel directe, vel indirecte, vel quomodolibet clericus in foro laico sustineat: alia, quam tertio loco posui, ratione compellitur sua inibi iura experiri, sententiamque ferendam accipere. Itaque in iudicio *reconventionis* clericus actor, qui clericum antea in ius vocaverit apud iudicem saecularem, cogitur mutuae postulationi, quam reus faciat excipiendo, respondere in eodem tribunali, eidemque ius dicenti obtemperare. *Qui non cogitur in aliquo loco iudicium pati, si ipse ibi agat, cogitur excipere actiones, et ad eumdem iudicem mitti,* respondit Paulus (3). *Si mutuae sunt actiones*, addit Gaius, *et alter minorem quantitatem, alter maiorem petat: apud eumdem iudicem agendum est ei, qui quantitatem minorem petit* (4). Iustinianus dein Papiniani auctoritatem comprobans rescripsit licere iudici, qui reum absolverit ab impetitis, actorem e contrario condemnare ad aliquid vel dandum, vel faciendum, adeo ut nulla sit ei obstitura exceptio, *quod non competens iudex agentis esse cognoscatur: cuius enim in agendo*, ait Imperator, *observat arbitrium, eum habere et contra se iudicem in eodem negotio non dedignetur* (5). Hanc sententiam nedum Gratianus profert interiectam in apocrypha Zephyrini epistola (6): sed satius comprobant decretales Alexandri III., et Coelestini III. (7). Itaque Iuri et Canonico, et Civili consonat M. C. V. Ritus, quo clericus actor a laico reo reconventus, si voluerit forum huius laicum declinare, non auditur (8). Mox in eo iudicio victus, ut sententiae iudicis laici, postquam ea transiverit in rem iudicatam, pareat necesse est: alias, aut in eum ipsum contumacem implo-

(1) Ex traditis a Covarruvia *pract. quaest. lib. 1. cap. 8. num. 3.*, et Card. de Luca *de iudiciis disc. 60. num. 5.*, qui hanc sententiam a Rota Romana probatam, et usu omnium fere tribunalium Europae receptam fert.

(2) Hunc Regii Consilii morem tradunt Capicius *dec. 187.*, Grammatic. *dec. 21.*, Boer. *dec. 69.*, Ursill. ad Afflict. *dec. 380. num. 8.*

(3) Paul. in l. *qui non cogitur 22. D. de iudiciis.*

(4) Gaius in *l. si idem 11. §. 1. D. de iurisdictione.* Consonat Pomponius in *l. 1., et 2. de quibus rebus ad eumdem iudicem eatur.*

(5) Iustin. in *l. cum Papinianus 14. C. de sent., et interloc. omn. iud.* Auth. *et consequenter C. eod.* ex Novella *96. cap. 1.* Adde Constantini M. sententiam in *l. nulli 10. C. de iudiciis*, ita conceptam: *Nulli prorsus audientia praebeatur, qui causae continentiam dividat: poena imminente ei, qui alium super possessione, alium super principali quaestione iudicem postulaverit.*

(6) In *can. accusatores 1. D. III. qu. 8.*

(7) Alex. III. in *cap. ex litteris 1.*, et Coelest. III. in *cap. prudentiam v. de mutuis petitionibus.*

(8) Ritus 153. M. C. V. incipiens *item*, *quod clericus tit.* quod tenetur clericus respondere per viam reconventionis.

rato brachio episcopali executio fiet quum realiter, tum personaliter (1); aut in fideiussorem ipsius laicum, qui penes acta cautionem pro eo dederit consuetam de stando iuri, et solvendo iudicatum. In rebus autem *spiritualibus* (2), et *criminalibus* (3) fas laicis non est clericos in foro laico reconvenire, neque in caussis possessionum summariissimis (4), aut liquidis paratam executionem habentibus (5), nisi reconventio ex aequo habeant qualitatem summariissimae possessionis, aut crediti quoque liquidi; nec etiam ubi clericus Ecclesiae nomine agens reconveniatur suo ipsius nomine, seu personali actione (6); neque post finitam conventionis caussam (7), neque a reo excommunicato (8).

XIII. Eadem ratione fit, ut clericum actorem, qui succubuerit, utique possit iudex laicus ad reficiendum reo expensas, illata damna, amissa lucra, litis aestimationem, prout iuris erit, condemnare: tum eius fideiussorem laicum vi publica, hoc est manu lictorum armata compellere ad solutionem; vel idoneus ubi defecerit fideiussor, implorato Episcopi brachio, suam exequi sententiam in rebus, et persona ipsius clerici (9).

XIV. Qui iudicem prior adit, quamquam actoris partem fere sustineat (10): attamen reus aliquando praevenit actorem in *iudicio* praesertim *diffamationis*, quod propterea in foro diffamati rei, non diffamantis actoris exercetur. Itaque si quis laicus futuram diffamantis clerici vexationem iudiciariam legitimis exceptionibus elisurum se cito con-

(1) Ex M. A. Genuensi in *praxi Cur. Archiep. Neap. cap. 12. num. 1.*

(2) Alex. III. in *cap. lator. 5., qui filii sint legitimi*, rescripsit nefas esse iudici laico spiritualem caussam de foedere matrimonii cognoscere, quamvis incidenter. Honor. III. in *cap. fin. de iudiciis*, rescripsit Abbatem, Conventumque S. M. de Florentia, qui a saeculari Potestate contra Communitatem Castri de Signo Florentinae dioecesis obtinuerat in agendo quasi possessionem iuris eligendi Rectorem illius Castri: non teneri eidem laicae Communitati super petitorio ipsum Abbatem reconvenienti apud eamdem laicam Potestatem respondere: sed Episcopum loci Ordinarium eam spiritualem, vel spirituali adnexam caussam proprietatis fore una cum coniudicibus cogniturum. Secus dicendum, si profana simul esset proprietas, et caussa petitorii, ex *cit.* Constantini *l. nulli 10. C. de iudiciis.*

(3) *L. 1. C. qui accusare possunt*, et *can. prius est 4. C. 31. qu. 11.*, gl. in *cit. can. accusatores 1. C. 3. qu. 8.* ver. *iudicem.* Inquam explicatius de crimine ad crimen locum non esse reconventioni, quia nequit accusatus delatorem in eo iudicio accusare, *l. 5. ff. de public. iudic.* Item in criminali iudicio accusator pro caussa civili reconveniri quum in eo haec nequeat cumulari. Maranta in *spec. part. 4. dist. 6. num. 6.*, Muscatell. in *praxi gl. actorem part. 3. num. 32.*, quidquid aliter senserit Caravita *super Rit. 163. num. 6.*

(4) De Franchis *dec. 193. num. 11.*, ex Regni const. *quando laicus expediat.*

(5) Caravita *in Ritu 66. num. 7.*

(6) Ex decisionibus relatis a Galluppo in *praxi par. 2. cap. 15. num. 13.*

(7) De Franchis *dec. 349.* In appellationis causa locum non esse reconventioni hinc arguit Carlevalius *de iudiciis lib. 1. tit. 2. disp. 7. num. 8.*

(8) Ex *cap. cum inter de exceptionibus.*

(9) Emman. Gonzalez in *cap. qualiter, et quando de iudiciis num 9.*

(10) Paul. *in l. qui appellat prior 29. D. de iudiciis.*

fidat ; aut iura putet is habere potiora , utens iuris beneficio (1) eum clericum in ius prior vocabit coram suo laico iudice , postulando , ut sua is , quae iactavit, iura cogatur intra certos aliquot dies omnino edere ; quod si citatus neglexerit , perpetuum ei silentium imponatur : si vero ea comparens deduxerit , re cognita rite discutiantur , ut diffinitiva tandem sententia ab eiusmodi molestiis, et iactationibus absolvatur. Iudicium tunc laicum nec declinare , neque protrahere clerico , tanquam actori necessario licebit ex rebus saepe iudicatis (2). Vix poterit , ubi duos , pluresve competentes ex aequo iudices laicus habeat, clericus coram uno eorum sua proponere iura, eum declinandi studio, quem adversarius adiverit (3), antequam in alium citantem consenserit: ne actor suo tunc iure praeeligendi unum inter plures privetur invitus.

XV. Novum opus aedificando, aut demoliendo qui facit, et pristinam operis faciem mutare aggreditur : is etiam nonnullis videtur vicinos re ipsa, non verbis diffamare, atque in iudicium provocare, ideoque personam actoris gerere , qui sequi nunciantes vicinos, tanquam reos debeat in eorum foro. Si enim, docente Ulpiano *edictum , remediumque operis novi nunciationis adversus futura opera inductum est, ne fiant: nam si quid operis fuerit factum , quod fieri non debuit , cessat edictum de operis novi nunciatione , et erit transeundum ad interdictum, quod vi , aut clam factum erit , ut restituatur* (4): consequens inde est, ut facturus novum aedificium, a vicinis sui aut iuris conservandi , aut damni depellendi causa impeditum, nunciatumque, necesse habeat ante probare, tamquam actor sibi illud faciundi ius esse (5). Clericum idcirco in novis eiusmodi operibus faciundis actoris personam , et onus sustinere , eumque ob id in foro laico vicinis laicis nunciantibus suam agere caussam compelli putant (6): quemadmodum e contrario laicos novum opus facientes nunciantibus in foro ecclesiastico clericis caussam inibi egisse indicat textus Decretalium (7). Aliud at alii tenent (8). Quandoquidem ex eiusdem Iureconsulti sententia *in operis novi nunciatione possessorem adversarium facimus* (9): possessor autem

(1) Ex *l. diffamari C. de ingenuis, et manumissis, l. si contendat D. de fideiussoribus , et l. Aurelius §. 10. D. de liberatione legata.*

(2) Apud Capicium *dec. 18.* Capic. latr. *dec. 89.*, ibique Giptius , Sanfelic. *dec. 193.*, Ricc. ad de Franch. *dec. 385.* , ceteros contra opinionem Afflicti *dec. 268.*

(3) Praeses de Franchis *dec. 385.*, post Marian. Socien. in *cap. proposuisti qu. 12. de foro comp.*

(4) Ulp. in *l. 1. D. de operis novi nunc.*

(5) Qui enim agit , et probandi necessitas incumbit *l. verius ff. de probat. l. 1. , et seq. C. eodem.*

(6) Sanfelic. *dec. 379. to. 3.*

(7) Honorius III. in *cap. significantibus 3. , et ult. de novi oper. nuntiat.* rescripsit in causa novi aedificii a Canonicis illud nunciantibus pro mota coram officiali Parisiensis Episcopi contra civem Parisiensem , qui illud opus novum faciebat.

(8) Car. Ant. de Luca ad de Franchis *dec. 656.*, post Guttierez *cons. 48.*, Rip. *observ. 63.* , Mauson. *de caus. executiv. ampl. 39.* , ceteros.

(9) Ulp. in *cit. l. 1. §. 6. , et l. de pupillo 5. §. 10, D. de operis novi nunciat.*

rei personam sustinens nec dominium, nec possessionis suae caussam dicendi, aut probandi onus fere habet (1). Ad controversiam hanc devitandam iudices laici hoc in regno laicis novum opus clericorum nunciantibus solent illud non clericis principalibus, sed laicis eorum operariis inhibire cautius: ut opere sic impedito, clerici exinde sponte sua in foro saeculari agant, si velint contrario ipsius laici iudicis imperio impedimentum amovere (2).

XVI. In caussa *iuris* (ut aiunt) *congrui*, seu *retractus*, clericum, qui praedium emit in fraudem vicinorum prothymesim, praelationemque habentium, facere partes actoris, nostrates vulgo dictitant; eamque ob rem in foro laico sisti a laicis illud retrahentibus (3). Quia clericus emptor vicinos provocat ad retractus iudicium, hos idcirco reos, uti provocatos, illum actorem, uti provocantem opinantur. At nimis probat istaec ratio, ni fallor. Nam quoties aliquid clerici attentent in iura, et res quaslibet, aut personas laicorum: toties hos procul dubio provocant ad iudicium, et nihilominus provocati laici sequuntur in diem provocantes clericos in foro ecclesiastico ex iuribus, moribusque iam expositis. Aliunde igitur est ratio saecularis iudicii hoc in casu repetenda. Hanc equidem puto non ex *actoris* persona, sed ex ipsa *re* oriri, videlicet ex iure, vel consuetudinis, vel statuti locorum, quod Friderici Imperatoris constitutioni *de iure prothymeseos* inhaereus ita indulget vicinis retractum, ut prohibeat praedia in eorum fraudem, iisque irrequisitis, vel posthabitis alienari. Exinde fit, ut praedii tunc cuiuslibet possessionem adipisci legitimam possit nemo, nisi potestas laica de interdicto generali consuetudinis, vel statuti antea iudicaverit auditis partibus: non secus, quam consuevisse in alienationibus iudicii mutandi caussa factis, aut a laico iudice speciatim vetitis fieri iam novi-

(1) *L. cogi C. de petit. haereditat.*

(2) Istiusmodi stylum ostendit, probatque Regia Pragm. 18. *Martii 1738.* §. 1. *num.* 10., dum refert hanc decreti formulam consuetam: *fabricatores desistant.*

(3) Regens de Rosa in *praxi civil. cap.* 13. *num.* 61. Martius Giurba *dec.* 25., *num.* 10., *et observ.* 2., Trivisanus *dec.* 34. *part.* 2., ceteri contra Regentem de Marinis *lib.* 2. *resol. iur. cap.* 44., totis lacertis contendentem clericos emptores, et possessores esse in ecclesiastico foro conveniendos a laicis vicinis. Horum sententiae favet Curiae Archiepiscopalis Neapolitanae *Ritus* 22., statuens clericum iure congrui non teneri, eumque emptorem in ea ipsa Curia absolvi a retractu per laicum petito. Exinde in S. R. C. decisum fert Praeses de Franchis *dec.* 285., ut servetur aequalitas, non posse clericum retrahere a laico emptore, nullumque ius congrui postulare in Curia saeculari. Quidquid hinc, et hinc olim disputaverint: nunc ex iudicatis saepe rebus usus invaluit trahendi clericos praediorum emptores ad forum laicum vicinis prothymesim, et retractum postulantibus, nuper firmatus regiis litteris Delegati Regiae iurisdictionis, iudicio Regalis Camerae S. Clarae, et regio rescripto in caussa Diaconi Prochitani, quam memorat Felix Cappelli *in animadvers.* 34. *in cit. cap.* 44. *Regentis de Marinis*. Ceterum in alicubi, et quandoque clerici quum ementes, tum alienantes iure congrui utantur ex peculiari locorum, et dioecesum consuetudine, ac statuto, iam dixi opportunius in tractatu adhuc ms. *de iure congrui*.

mus (1). Eamque ob rem receptus hoc in regno videtur mos iudicandi quaestiones de iure congrui, et retractus in Curiis saecularibus inter clericos emptores, vicinosque laicos retrahentes.

XVII. Dum conficiat laicus iudex inventarium bonorum alicuius hereditatis, vel patrimonii decocti, aut ad inopiam vergentis debitoris, qui petat dilationem quinquennalem, vel sua omnia bona offerat creditoribus, personam suam a molestiis eximendi studio, vel concursu creditorum sint bona eius omnia sequestro danda: clericos etiam in ius vocat coram se, ut si sua interesse putaverint, ipsi compareant infra tot dies, aut citatione speciali, quoties ipsimet certi sint creditores, ac praesentes in loco iudicii, aut citatione generali per edictum, si absentes, vel incerti fuerint. Iique tunc si iudicio se non sistant, ob contumaciam, vel negligentiam facient iacturam iurium suorum, tanquam actores voluntarii, qui suam deseruerint causam (2).

XVIII. Praeterea necessitas *violentiae* a possessionibus arcendae clericos non raro trahit ad forum laicum extraordinario regiae Potestatis iudicio parituros. Quicumque sua in possessione vim, turbationemque patitur, vel timet futuram a quovis laico, vel clerico, solet regale praesidium implorare beneficio quinque capitulorum regni (3). Postquam viso supplici recurrentis libello Rex, aut Regalis Camera S. Clarae rescripserit, ut *S. Regium Consilium servata forma capitulorum Regni de iustitia provideat super expositis:* datus a Praesidente Commissarius continuo decernit, *ut expediantur citationes per edictum affigendae tam ad valvas S. Regii Consilii, quam in loco rei sitae.* Hisce iubetur, ut omnes, qui sua putaverint interesse, intra novem fere dies peremptorios compareant ad dicendum contra exposita, et quare non sit regale praesidium praestandum violenter spoliato, seu turbato, et videndum iuramenta testium, actusque incumbentes. Mox vel in

(1) Ex supradictis *hoc tit. num. VI.*

(2) Afflictus *dec. 24. n. 8.*, Ursill. ad Afflicti *dec. 380. num. 7.*, de Marinis *lib. 1. resol. cap. 52. num. 12.*, Bellett. *disquis. cleric. par. 1. §. 3. num. 14.* Paulus de Castro *cons. 44.*

(3) Primum ex hisce capitulis incipit *ad Praesidentis spectat officium*, contra laicorum violentias editum a Regina Ioanna II., quo cautum, regali praesidio legitimum quemlibet possessorem, quamdiu iusta possessionis caussa perduraverit, esse defendendum. Alia quatuor capitula edidit Robertus utriusque Siciliae Rex, a Baldo aliter Salomon appellatus: quorum primum incipit *ad regale fastigium*, pro vassallis Praelatorum vim iniuria patientibus, regio auxilio sublevandis. 2. Incipit *Charitatis effectus* pro Rugerio Celano, Regio Consiliario, castrum Castul possidente contra vexationes ei illatas ab Abbate Monasterii S. M. de Victoria. 3. *Omnis praedatio mala* pro Othone Scalensi cuiusdam terrae intra Capuae districtum possessore contra violentias Vicarii Generalis Capuae Archiepiscopi. 4. *Finis praecepti charitas* pro Canonico Consentino Ioanne Cabulacio Praebendam de Capursano vigore litterarum apostolicarum possidente contra clericos Guilielmum et Oliverium de Persona Civitatis Rossani eum in percipiendis fructibus, et quasi possessione iurium iniuria perturbantibus. Plures alias id genus litteras extra corpus constitutionum regni videsis apud Barthol. Chioccarell. *tom.* 13, qui et controversias ea de re praeteritas commemorat.

contumaciam, vel auditis, quae comparuerint, partibus, capta informatione summaria, ubi constiterit tam de iusta, et notoria possessione, quam de violentia spoliantis, vel turbantis legitimum possessorem, decernitur hunc esse in possessione sua conservandum regali praesidio, et manutenendum, *donec iusta possessionis caussa duraverit*, contra quoslibet sive laicos, sive clericos. Dein Regi, vel Regali Camerae fit relatio caussae pro executione decreti, regiisque litteris ad formam capitulorum regni dandis contra clericos. Quoniam hi per edictum citati adiguntur suum non rei, sed actoris voluntarii personam tunc sistere in iudicio (1), et iudicato parere, non secus, quam in iudicio diffamationis iam exposito superius. Vim vi repellere quum leges omnes, omnia cuique iura permittant : facile apparet, cur suos inter subditos quisque Principum saecularium regio armorum iure cohibeat privatas quorumlibet violentias (2). At abusum, et excessum defensionis iura ipsa improbant, etiam nostra municipalia (3). Regens de Ponte cum

(1) Ex traditis ab Afflicto *dec.* 24., a Sanfelicio *in praxi sect. 30.*, Staibano *lib. 1. resol. 39.*, Rovito *super Prag. 1. de Conservatoriis*, Leonardo Riccio *par. 2. prax. tit. 7.*, *et ult. de conserval. contra violent. ecclesiast. vigore capitulor. Regni*, ibique Phil. Ferd. de Caro *in observat.* Altaserra *de iurisd. eccles. lib. 3. cap. 8.*, *moribus nostris*, ait, *non incivile est iudicem saecularem cognoscere de possessione* retinenda, vel recuperanda in beneficiis ecclesiasticis : salvo utique petitorio iudici pontificio. De interdicto autem adipiscendae possessionis non consuevit iudex saecularis cognoscere: quia plus habet petitorii, quam possessorii, plus spiritualis, quam temporalitatis.

(2) Synodus Carthaginens. III. in *can. petimus 19. C. XI, qu. 1.*. id declarat: necessitate cogente liberum sit nobis Rectorem provinciae secundum statuta gloriosissimorum Principum adversus illum adire, qui plebem, quam invaserat, usque hodie commonitus secundum quod statutum fuerat, relinquere contemnit: ut qui miti admonitioni sanctitatis vestrae adquiescere noluit, et emendare illicitum, auctoritate iudiciaria protinus excludatur. In Concilio Chalcedonensi *can. quidam monachi 17. C. XVI. qu. 1.* statutum, ut Defensor Ecclesiae Constantinop. clericos, et monachos, qui excitabant tumultus, statum ecclesiasticum perturbabant, domusque nonnullorum subvertebant, moneret primum ad sua reverti loca, mox contumaces urbe eiiceret. Martini V. bullam referunt Io. Ferrara *de iurib. et priv. Reg. Franc.*, et Guid. Papa *dec.* 1., qua declarantur poenae ab eo Pontifice sancitae in clericos quomodolibet conventos, vel sese convenire patientes coram iudicibus laicis, non afficere illos in caussis possessoriis, nec derogare quidpiam iuribus, moribusque regni Galliae, ubi contra clericos quoque in regia Curia cognoscuntur interdicta retinendae, vel recuperandae possessionis beneficiorum etiam ecclesiasticorum. *Praxim hanc* (scribit Emm. Gonzalez in *cap. qualiter, et quando 17. de iudic. num. 7.*) modo exerceatur modeste, et sine cognitione articuli, qui petit iuris controversi dispositionem, et qui cum plena caussae cognitione apud superius tribunal ecclesiasticum examinandus sit, non solum non improbat Rota, sed aperte comprobat, et laudat, ut notavit Farinac. *lib. 1. cons. 68. num. 6.* Igitur tantum iniustus ad Principem recursus damnatur, non vero iustus ex sensu clausulae Bullae Coenae.

(3) Regina Ioanna I. an. 1373. haec in Pragm. *sub tit. de Conservatoriis* edixit: Conservatoria, quorum originem ab optima iurisprudentia emanasse constat, prohibentia vim alteri, in eum abusum adducta sunt, ut non solum verum possessorem non tueantur, imo per ea vero possessori violentia, et spolium in-

aliis recte commonet locum remedio capitulorum regni extraordinario in clericos non esse, quoties aut sine violentia quispiam possessionem amiserit, aut dubia fuerit possessio, vel pateat iniustitia, seu intrusio illegitimi possessoris, iudiciumque tunc iure ordinario exercendum pertinere ad forum ecclesiasticum (1). Post citationem idcirco edictalem satius erit clerico, cuius intersit, apud citantem iudicem iura sua exponere, et postulare simul caussam remitti ad iudicem suum ecclesiasticum. Si enim turbidam, vel iniustam, vel nullam ipse patefecerit possessionem recurrentis, seque in ea possessione adipiscenda continuisse ab omni violentia: tunc decerni re cognita consuevit, ut partes adeant iudicem clerici competentem.

XIX. Eodem necessariae defensionis iure nititur mos recurrendi ad regiam protectionem contra notorias quaslibet clericorum iniurias, quae ab Ordinariis locorum non cohibeantur in tempore, et contra abusus ecclesiasticae iurisdictionis (2). Quidquid retro disputassent partium studio affecti Doctores, quando hinc suam Episcopi conquerebantur iurisdictionem ordinariam violari, deminui, et impediri querelis subditorum malae frugis, et contumacium ad regios Ministros in diem delatis ad perniciem ecclesiasticae disciplinae; hinc subditi quotidianos Curiarum episcopalium, suorumque Praesulum abusus violentos exagerando non alia fore, nisi manu regia compescendos contendebant: nunc ea quaestio procul a nobis omnino est. Nam arcana ms. concordia inter Apostolicam Sedem, Regemque nostrum Carolum inita die 2 Iunii 1741. *art.* 3. constitutum communi bono est, ut recursus eiusmodi subditorum ecclesiasticorum de violentiis via facti, vel ob aliam quamlibet caussam, occasionemque contra dioecesanos Praelatos, Superioresque Regularium Rex ad Tribunal Mixtum pro relatione, ac voto primum

feratur, quando duobus, vel tribus examinatis clam, et per subornationem falsa forte deponentibus conceduntur, per eaque saepius, qui nunquam possedit, sub conservationis specie possessor constituitur. Quod in futurum fieri praesenti constitutione omnino prohibemus, decernimusque conservatoria, in quibus obtinendis pars legitime citata non fuerit ad dicendum, quare conservatorium impetrare volens in possessione conservari non debeat, et ad videndum testes iurare super dicta possessione recipiendos, pro nullis, et irritis haberi, perpetuoque ad nullum praeiudicium cuiusque, ut praefertur non citati allegari posse: debeat tamen super dicta possessione conservanda, vel non sine figura iudicii summarie procedi, visa facti veritate.

(1) Reg de Ponte in *ms. tract. de Regni Capitulis,* Anna *alleg. 92.*, Cons. Rocc. *cons. 32.*, de Marinis, *resol. 335.*, Altimar. *ad Rovit. dec. 58. n. 14.*

(2) B. Hieronymus in *can. Regum officium 23. C. 23. qu. 5.*, *et Regum officium est,* inquit, *facere iudicium, et iustitiam, et liberare de manu calumniatorum vi oppressos.* B. Augustinus in *can. non frustra 18. eadem C. et qu. non frustra sunt instituta*, ait, *potestas Regis, et cognitoris ius . . . . habent omnia ista modos, causas, rationes, utilitates: haec cum timentur, et mali coercentur, et quietius inter malos vivunt boni.* Consonat S. Isidorus in *can. principes saeculi 20. eod. C. et qu.* supra laudatus *lib. 1. tit. 1. num.* 8. Ioannes VIII. in *can. administratores 7. ibidem* rescripsit, quod *administratores dignitatum saecularium* ad Ecclesiarum tuitionem constituti *querimonias ecclesiasticorum attentius audiant, et secundum quod necessitas, expetierit, absque negligentia examinent, et diligenti studio corrigant.*

remittat, postea iussurus consilio maturiori, quid iuris erit aptius ad maiorem Dei cultum, populorumque tranquillitatem.

XX. Quintum, et postremum superest genus causarum ex *amisso* fori clericalis privilegio explicandum. Aliquot enim vero sunt crimina enormiora, et specialim excepta, quae degradationem, vel ipso iure inflictam, vel sententia iudicis infligendam promerentur; reosque clericos in quovis ordine quum inferiori tum superiori constitutos ad laicorum statum rediguut, cunctis omnino privilegiis nudatos (1). *Homicidas* in primis cum qualitate *assassinii*, tam puta mandantes, quam mandatarios homicidiorum, eorumque fautores ipso facto sine alicuius prolatione sententiae degradatos fore, laicisque iudicibusque ipso iure coercendos, omisso externae degradationis ritu, *postquam probabilibus argumentis constiterit aliquem tam execrabile scelus commisisse*, sanxit Lugdunense Concilium oecumenicum (2). Ex abusu haud raro, vel vinculis saecularibus clericos mancipandi, praetextu assassinii quaesito, vel veros tanti facinoris reos ecclesiastico patrocinio eximendi a legitimis poenis, orta dubitatio est acribus dudum dissidiis exacerbata: liceret ne iudici laico personas Cleri quum saecularis, tum regularis sistere in carceribus laicis, iudiciumque publicum in eas exercere ex indiciis et probationibus mandati accepti, dative ad homicidium, in laico foro productis; an oporteret sententiam ecclesiastici iudicis praecedere, declarantem sat constare hunc, vel illum homicidii reum cum qualitate assassinii esse (3). Novis tandem Concordatis an. 1741. cautum est, ut quoties clericus quilibet, aliave persona ecclesiastica reus assassinii fiat, et iudex laicus praevenerit capturam inquisiti, possit eum retinere nomine Ecclesiae in carceribus laicis, et processum conficere: at ante sententiam, eiusque executionem debeat declarationem Tribunalis Mixti *super qualitate assassinii* expectare, quae viso Curiae saeculâris processu intra quatuor menses exhibendo erit pronuncianda, servatis servandis, auditoque in suis defensionibus reo (4). Itaque Concordatorum lex tacito sensu indulget ecclesiastico iudici praeventionem, ut reum assassinii clericum capere, suisque in carceribus detrudere is valeat, sententiamque canonicam rite proferre.

XXI. Ob crimen laesae Maiestatis in primo capite varia pro tempo-

(1) *Sunt quaedam enormia flagitia, quae potius per mundi iudices, quam per Antistites, et Rectores Ecclesiarum vindicantur; sicut cum quis interficit Pontificem apostolicum, Episcopum, presbyterum, sive diaconum:* ait Haymo, Episcopus Halberstadiensis, saec. IX., in *cap. sunt quaedam 39. C. 23. qu. 5.*

(2) Conc. Lugd. I. sub Innoc. IV. in *cap. pro humani 1. de homicidio in VI.*

(3) Clemens VIII. die 18. Decembris 1595. in bulla, quae incipit *aequa, et circumspecta*, censuit, « ne saeculares iudices in personas ecclesiasticas, et praesertim Hospitalis S. Io. Ierosolymitani sub praetexu criminis assassinii, ultra » quam deceat, manus extendant. . . declarationem criminis assassinii ad iudicem ecclesiasticum omnino pertinere ». Hoc nihilominus in regno nedum ante, sed etiam post eiusmodi bullam consueverunt Iudices regii crimen id inquirere in ecclesiasticos, atque ad poenam capitalem procedere sive ulla iudicis ecclesiastici declaratione, ex relatis a Capicio *dec.* 112., *et* 155., et Grammatico *vot.* 8., *et* 11.

(4) Concordata *cap. 3. de immunit. personali art. 3.*

ris et loci, et caussarum adiunctis fuit conditio iudicandi clericos perduelles, rebellesve, proditores, transfugas, coniuratos, factiosos, foederatos in perniciem sui Principis, Reique publicae. In Gallia crimen perduellionis olim in Episcopos aeque ac in clericos ad forum ecclesiasticum pertinuisse, postea regio foro dimissum, quod ad ecclesiasticos, exceptis Episcopis iudicio Episcoporum reservatis, fert Altaserra (1) Sub Gothis Hispaniae Regibus plures canones in Synodis Episcoporum sancitos, ut ecclesiastici omnes degradatione, sententiaque canonica plecterentur de proditionis, vel conspirationis crimine admisso in regnum, vel patriam, gentemque Gothorum, supra iam innui (2). Synodus Aquisgranensis II. anno 836 sanxit, *ut si quispiam Episcoporum, aut sequentis Ordinis ecclesiastici a domino, et orthodoxo Ludovico Imperatore defecerit, aut sacramentum fidelitatis violaverit . . . . gradum proprium* canonica, *atque* synodali *sententia amittat* (3). Auctoritates, exemplaque recentiora perduelles clericos iudicio regiae ipsius Potestatis obnoxio hoc etiam in regno haud semel fecerunt (4), quae ad necessariam sui defensionem gladio suo usa in eos est.

XXII. Si quando acciderit degradatum ecclesiasticum, Curiaeque saeculari traditum evadere poenam ultimi supplicii vel beneficio generalis indulti, et abolitionis criminum, vel gratia speciali, vel vi defensionum: futuras etiam caussas eius omnes civiles, criminales, et mixtas forus laicus cognoscet, ac iudicabit (5). Propterea degradati coguntur vestem laicorum resumere (6). De tonsis, ac minoribus clericis quomodo, et quando ipsi faciant clericalis fori iacturam ex sola desertione habitus, et vitae clericalis, iam dixi (7), Addam ex Tridentino clericos minoribus ordinibus initiatos cum litteris dimissoriis Capituli Sede vacante intra annum luctus nullo etiam privilegio fori, praesertim in criminalibus gaudere (8).

XXIII. Quaestionem *clericatus* in caussis tam civilibus, quam crimi-

(1) Altaserra *par.* 1. *de iurisd. eccles. cap.* 4., post Guil. de Benedictis in *repetit. cap. Raynutius ver. et uxorem dec.* 2. *num.* 143, et Iul. Clarum §. *fin qu.* 36. *num.* 27.

(2) *Hoc libro* tit. III. num. XX. *Hic addam Synodi Toletanae VII.* can. 1. *ita conceptum.* Placuit nunc concordi sententia definire, ut quisquis in ordine clericatus a maximo gradu usque ad minimum constitutus in alienae gentis regionem se quacumque occasione transduxerit, quo genti Gothorum, vel patriae, vel regno specialiter sub hac occasione possit nocere, vel fieri disposuit, vel aliquatenus fuerit; quisquis hoc fecisse dignoscitur, iste ita indubitanter omni honoris sui gradu privetur, ut locum eius, in quo ministraverit, alter continuo perpetim regendum accipiat. *Synodus hinc Toletana XVI. can.* 11. *ab episcopatu deiecit, et anathemate confixit Libertum Episc. Tolet., qui in Egirum Regem conspiraverat.*

(3) Synod. Aquisgran. II. *can.* 12.

(4) Greg. Grimald. *to.* 1. *hist. leg., et magistrat. Regni lib.* 6. *num.* 93.

(5) Lucius III. in *cap. ad abolendam* 9. *de haeret.* Innoc. III. in *cap. novimus* 27. *de verb. sign.* Bonif. VIII. in *cap. degradatio* 2. *de poenis in VI.*

(6) Ex Trullanae Synodi *can.* 21.

(7) Superiori *tit. V.* huiusce libri *num. III., et seqq.*

(8) Trid. *sess.* 7. *de refor. cap.* 10.

nalibus incidentem sibi etiam vindicant cognoscendam saeculares iudices. Bonifacius VIII. rescripserat, ut eam de clericatu dubio quaestionem iudex ecclesiasticus, adscito laico iudice dirimeret: simul dederat formam decernendi pro manifesto clerico eius remissionem incontinenti ad iudicem ecclesiasticum, secus quam pro eo, qui vitam non egisset clericalem, antequam a iudice laico deprehenderetur (1). Hoc autem in regno mos dudum invaluit, ut clerici in ius vocati, vel capti a iudice laico tanquam laici (puta in laico habitu deprehensi, vel ex opinione, aut dubio eorum statu) quoties forum eius declinare postulaverint, non remittantur ad iudicem ecclesiasticum: nisi antea suum legitimis documentis probaverint clericatum, statumque clericalem (2). Eumque morem obfirmavit Ritus M. C. V. (3), tum regiae plures litterae (4), et

(1) *Bonif. VIII. in* cap. si iudex laicus 12. de sentent. excom. in VI. Si iudex, *ait*, laicus malefactorem captum detineat, et is se clericum dicens ad Curiam ecclesiasticam petat remitti, vel Curia ipsa eum, tamquam suum clericum repetat, iudice illum inficiante clericum, atque ob hoc minime remittendum: dubitationis huiusmodi, an scilicet sit, qui repetitur, clericus, ad iudicem ecclesiasticum (quia de re ecclesiastica, et spirituali; vocato tamen iudice saeculari, vel alio, cuius interest) cognitio pertinebit. Et si notorium fuerit, quod idem malefactor sit clericus, aut ipse pro clerico communiter habeatur: incontinenti etiam ante cognitionem de clericatu, ecclesiasticae Curiae debet reddi. Idem esse censemus, si reus ante deprehensionem pro laico publice se non gerens, deprehensus fuerit in habitu clericali, tonsuram videlicet, et vestes deferens clericales: nam talem debemus clericum, donec constet de contrario, reputare. . . Non sic autem volumus observari, si ante deprehensionem pro laico publice se gerebat, ac pro tali communiter habebatur, quamvis deprehensionis tempore repertus fuerit in habitu clericali: tunc enim restituendus non est, quousque fidem de titulo fecerit clericali, cuius idem probationis onus incumbat propter praesumptionem, quae adversus ipsum orta est ex delatione laicalis habitus praecedenti. Contra eum tamen interim quivis processus iudicis penitus conquiescat.

(2) Ex Theod., et Valent. in *l. si qua* 22. *in fine C. de Episc., et cleric.* quam superius memoravi *tit. V. n. VI.* Innoc. III. in *cap. tuae fraternitatis 3. de cleric. peregrinis* videtur id sensu tacito probasse, dum rescripsit ad Patriarcham hierosolymitanum, *nisi legitime tibi constiterit per litteras, sive per testes de illorum ordinatione canonica, qui penitus sunt ignoti, non debes ipsos permittere in tuis plebibus ministrare.*

(3) *Ritus M. C. V.* de clericis volentibus declinare forum *haec habet.* Item servat ipsa Curia, quod nullus clericus potest comparere, nisi principaliter cum documentis clericatus, alias non auditur in declinando forum Curiae ipsius, et ipso veniente datur terminus ad probandum de clericatu, oblata per eum quadam petitione declinatoria fori. Et raro quasi dictus processus finitur. Unde eo ipso, quod datur terminus, intelligatur esse remissus. Multoties etiam finitur processus, et interponitur decretum eum esse clericum, et remittitur sine servientibus: at si esset suspectus, et de gravi re, cum servientibus, et cum fida custodia ad Archiepiscopum, et si idem Archiepiscopus vult petere copiam inventorum contra eum, Curia mittit sibi. Et haec servantur per ipsam Curiam, quamvis iura canonica (*scilicet Bonifacii VIII. decretalis epistola*) his praedictis videntur aliquantulum refragari. *Consonat alter eiusdem M. C. ritus* item si aliquis tit. clericus citatus debet personaliter comparere, et Curia cognoscit de hoc clericatu.

(4) Apud B. Chioccarell. *in arch. Reg. iurisd. to.* 10. *tit.* 1.

Caroli Regis nostri rescriptum (1). Alia, quae sciam, negotia clericorum a foro clericali non excipere consuetudines, legesque nostrae videntur.

TIT. VII.

De caussis fori ecclesiastici.

I. In spiritualibus, reique spirituali adnexis caussis generatim laici etiam subsunt iudicio ecclesiastico.

II. Tam criminalibus, quam civilibus. Profana vero, et communia crimina laicorum Potestas laica in foro externo coercet.

III. Haeresis, apostasiae, et schismatis reos Episcopi corripiunt poenis etiam corporeis: dummodo semel ante citationem, iterumque ante sententiam hoc in Regno acta ad Regem transmittant, ab eoque licentiam obtineant.

IV. Idipsum in caussis profanae sacrarum functionum administrationis servatur ex regio rescripto, regiisque litteris encyclicis.

V. Quod autem ad sacrilegium, adulterium, concubinatum, usuram, blasphemiam, cetera id genus mixta crimina in laicos Episcopi animadvertunt censuris tantum ecclesiasticis.

VI. Simul et in transgressores festorum dierum.

VII. Falsumque deponentes in ecclesiastico foro testimonium.

VIII. Et contumaces itidem testes.

IX. Occulti etiam, incertique testes ad revelandum, et deponendum monitorio excommunicationis, vel pontificio, vel episcopali coguntur in diem: quod nonnullis ex caussis consuevit partibus auditis impediri.

X. Prioris generis crimina ad forum ecclesiasticum pertinentia nullam ferunt iudicis laici cognitionem: posterioris generis in foro sacro censuris ecclesiasticis, in profano poenis corporeis, ac temporalibus simul compescuntur.

XI. Incidentem in his quaestionem mere spiritualem nostri etiam iudices laici ad forum ecclesiasticum remittunt.

XII. Diuturnas controversias de mixti fori criminibus inter laicos, et sacros iudices ademit lex Concordatorum an. 1741.

XIII. Quaestiones de validitate, aut nullitate matrimonii, vel sponsalium omni iure ad forum episcopalem pertinent.

XIV. Aliae de divortio thori coniugalis in utroque foro sic audiuntur, ut censurae tantum ecclesiasticae in foro sacro valeant infligi.

(1) Superius laudatum *tit. V. num. VI.*

XV. Ad fidem promissi coniugii adimplendam pariter sponsos compellit censuris ecclesiasticus iudex, poenisque pecuniariis, et corporeis laicus.

XVI. Incidentes, aut emergentes in iudicio foederis matrimonii, ac sponsalium lites de dote, mutuisque largitionibus ad forum laicum dimittuntur.

XVII. Legitimorum natalium caussae ex dubia validitate matrimonii parentum profluentes ad forum episcopalem pertinent: aliunde ex facto solum dubio exortae ad laicum.

XVIII. De beneficiis ecclesiasticis, vel conferendis, vel instituendis, vel adimendis controversiae in foro ecclesiastico disceptantur Iure communi, et ordinario.

XIX. Praeterea de adipiscenda, vel retinenda, vel recuperanda eorumdem possessione.

XX. Extraordinario tamen iure caussas turbatae per vim possessionis beneficiorum, Potestas regia, et impedimenta regio placito super pontificiis collationibus Regalis Camera S. Clarae, ac tribunal Capellani Maioris discutiunt, ac definiunt.

XXI. Iuris patronatus etiam lites inter patronos, eorumque praesentatos (exceptis patronatibus regiis, et feudalibus, et de universitate bonorum) forus ecclesiasticus audit, ac dirimit.

XXII. De regiis patronatibus iudicium vetustis huius Regni moribus regiae Potestati reservatum lex Concordatorum an. 1741. simul comprobat.

XXIII. Quemadmodum et de feudalibus Baronum, quoties dubitatur, feudo ne adnexus, an non sit patronatus.

XXIV. Praeterea de iis patronatibus, in quibus praecipua lis agitur simul de universitate bonorum deferenda.

XXV. Quod dubia patronatus adeptio, vel delatio ex legato, aliove titulo particulari ad forum laicum non pertineat, Rex etiam rescripsit.

XXVI. Fundo alicui, velut universitati adnexos patronatus videtur exceptio Concordatorum an. 1741. amplecti.

XXVII. Quaestiones de capellaniis laicalibus, et profanis beneficiis omnes ad forum laicum deferuntur.

XXVIII. De sepulturis, et funerum iuribus lites nonnullas audit, dirimitque forus ecclesiasticus.

XXIX. Alias puta de actione funeraria in laicos exequenda sibi vindicant laici magistratus.

XXX. Ad funera ducenda, ut heredibus liceat advocare quos ii malint ex clericis, et confratribus, salvo iure parochorum, regiis litteris cautum est.

XXXI. De alienandis rebus Ecclesiae quum ordinaria, tum pon-

tificia auctoritate iudicium in foro ecclesiastico exercetur.

XXXII. In eoque adsensus etiam datur pro renuncianda pecuniae ecclesiasticae avocatione.

XXXIII. Pro alienandis regiarum Ecclesiarum rebus adsensus etiam Regis requiritur.

XXXIV. De extauritarum, piorumque locorum laicalium bonis temporalibus Potestas laica notionem, curam, dispositionem sibi retinet.

I. Quemadmodum clericorum *personas ecclesiasticas* generatim in caussis passivis etiam profanis ecclesiastico iudicio, subiicit regula prior hactenus exposita fori competentis, exceptis ab ea speciatim negotiis aliquot profanis ad forum laicum in clericos etiam pertinentibus: ita vicissim in *caussis* omnibus *ecclesiasticis* (puta spiritualibus, reique spirituali adnexis) nedum clericos, sed laicos etiam universos ecclesiastico foro subdit regula posterior nunc explicanda. Quamlibet porro quaestionem de re spirituali, et pure ecclesiastica in iudicio, vel principaliter, vel incidenter motam nefas est iudicibus laicis definire (1): eamque ad forum ecclesiasticum esse omnino remittendam consentiunt Doctores omnes, ususque regiorum huius Regni tribunalium comprobat (2). Vix ubi non de iuris articulo disputetur, sed solius facti pura, puta sit quaestio in rebus ecclesiasticis, et spiritualibus, ex. gr. an matrimonium inter sese ii revera iniverint, a quibus progenitum se dicit petitor hereditatis, eiusve quotae in foro laico: licebit iudici saeculari cognoscere, gestamque rem legitimis probationibus pro veritate scrutari (3). At facti quaestio mixtam simul iuris quaestionem habens, ex. gr. an Berta nuptias in faciem Ecclesiae validas, et legitimas iniverit cum Titio, evadit ab laico ad ecclesiasticum iudicium. Summi vero Pontificis mandato, seu delegatione poterit laicus in ecclesiastica etiam spirituali causa ius dicere (4).

(1) Symmach. in *can. bene quidem* 1. *dist. 99.*, Eugen. III. in *cap. decernimus 2. de iudiciis*, Innoc. III. in Conc. gener. *cap. contingit 8. de arbitris*, Alex. III. in *cap. lator 5.*, *et cap. causam 7. qui filii sint legitimi*, Gratianus *can.* 1., *et seqq. dist. 63.* Fidei quaestionem coram laico incidentem in iudicio contra sacrilegos fures, vel blasphemos ad ecclesiasticum iudicem ex prisco more remittendam iubent Concordata *cap. 6. art. 6.*

(2) Ex traditis a Reg. de Rosa in *prax. civ. part.* 1. *in prima inst. ord. iudic. cap. 2. num. 41.*, de Franchis *dec. 52.*, *512.*, *et 551.*, Sanfelic. *dec. 11.*, Capic. latr. *dec. 73.*, ceteris.

(3) Abbas in *cap. cum sit generale de for. compet.* id communi sententia receptum affirmat. Aufrerius in repetit. Clem. I, *de offic. ordin. reg. 4. fallent. 8.* alia exempla quaestionum meri facti e negotiis spiritualibus emergentium recenset.

(4) Gl. in *can. clericum nullus* 17. *C. XI. qu.* 1. *verb. saecularem*, et gl. in *cap. decernimus 2. de iudiciis verb. non praesumant.* Id colligunt ex *can. illud 4. cap. 10. qu. 1.*, ubi Pelagius illustri defensori Siciliae Cresconio in mandatis dedit, ut Siculis Episcopis ne permitteret a parochiis dioecesanis plus petere, quam duos solidos iure cathedratici.

II. Caussarum huiusmodi spiritualium, et ecclesiasticarum aliae *criminales*, aliae sunt *civiles*, quas operae pretium est sigillatim recensere. Ad *criminales* quod attinet, Ecclesiae iurisdictionem in foro interno amplissimam, nullisque humanarum legum finibus circumscriptam esse iam commonui (1) In foro autem externo Ecclesia ob communia, et profana crimina saeculari Potestati coercendos laicos dimittit: ob ecclesiastica vero, quae Fidei doctrinam, Sacramenta, ritus, christianamque Religionem laedunt, vel commaculant, ipsamet punit ad emendationem potius, quam ad vindictam servata canonum forma.

III. In primis haeresim, apostasiam a fide, schismata ad episcopale iudicium solummodo pertinere, indubium est (2): adeo ut Episcoporum sit nedum inquirere, ac processus rite conficere in quoslibet horum criminum reos, quamvis laicos, verum hos etiam in ius vocare, in carcerem detrudere, ac poenis tam spiritualibus, quam temporalibus, et corporeis citra sanguinem plectere. Hoc autem in regno consuetum episcopalis iudicii cursum istis in caussis nunc moratur Potestas regia. Nam die 29. Decembris 1746. ad Deputatos S. Officii Equites Neapolitanos, atque ad Iurisdictionis Regiae Delegatum Rex Carolus inter alia rescripsit, ut Curiae regni ecclesiasticae tam ecclesiasticos, quam laicos de haeresi, aut levi, vel vehementi haeresis suspicione inquisitos ne citent, vinculisve mancipent, nisi processum, ut aiunt, informativum antea Regi exhibuerint, ab eoque specialem id agendi permissionem impetraverint; nec deinde instructo ita iudicio suam ii sententiam diffinitivam exequantur. nisi Rege annuente, post acta omnia iterum ei idcirco exhibenda. Idque litteris Regiae Iurisdictionis encyclicis promulgatum quaquaversus est.

IV. Ob temeratam Sacramentorum administrationem laicos, qui nimirum audeant vel celebrare Missam, vel audire Confessiones sacramentales, aut quamvis aliam functionem, quae sacri quoque sit Ordinis, exercere: ecclesiasticae dumtaxat Potestati iudicandos, puniendosque dimittit lex Concordatorum an. 1741. (3). Simul et poligamos (4). Verum hosce reos laicos tam in carcerem trudere, ac personaliter citare, quam ad subeundas poenas episcopali sententia inflictas dare postmodum vetuit Episcopis iam dictum Regis rescriptum 29. Decembris 1746., nisi an-

(1) Superiori *tit. VI. de for. compet. num. XVI., et XVII.*

(2) Ex canonibus, et legibus *tit. III.* huiusce libri iam expositis, tum ex titulis Decretalium *de haereticis, de schismaticis, et ordinatis ab eis de apostatis*, ex generali consuetudine, et novissimis Concordatis *cap. 6. art. 1.* In his ita cautum: *oltre alle materie di fede, ed a' delitti di eresia, che non si controverte, che sieno di privativa cognizione de' Vescovi.*

(3) Concordata ibidem continuo haec addunt: *i laici, i quali avranno la sacrilega temerità di celebrar la S. Messa, o di esercitare altre funzioni all'Ordine sagro appartenenti, o di ascoltare le sagramentali confessioni, saranno privativamente processati, e puniti dalla sola Potestà ecclesiastica.*

(4) Ibidem *art. 2. la cognizione, e punizione del delitto di poligamia parimente apparterrà alla sola Potestà ecclesiastica.* Ante Concordata id non patiebantur Magistratus regii ex relatis a Reg. de Ponte in ms. *tract. de bigamia*, et B. Chioccarello *to. 5. arch. tit. 4.*

tea viso bis processu ecclesiastico Rex iis concesserit executioni utrumque demandare (1).

V. In publicos praeterea, et mali exempli peccatores laicos, praesertim sacrilegos, adulteros, concubinarios, usurarios, blasphemos, ceteros eiusdem furfuris ius Episcopis esse animadvertendi censuris ecclesiasticis, poenisque tantum spiritualibus ad sacrorum canonum, Ecclesiaeque disciplinae amussim, lex Concordatorum an. 1741. sic declarat, ut nullum Superioribus ecclesiasticis impedimentum dari omnino velit (2). Tacito vicissim, at perspicuo sensu huiusce legis vetantur iudices ecclesiastici quamlibet poenam temporalem, sive pecuniariam, sive corpoream laicis unquam irrogare in eiusmodi caussis criminalibus, nec personas ipsorum capere, aut detrudere suis in carceribus.

VI. Transgressores festorum dierum, ut mulcta pecuniaria coerceri ab Ordinariis locorum possent, primi Concordiae auctores proposuerant. Id autem regiae Potestati quia non placuit, in articulis mutue conventis reticitum est. Itaque festorum quoque violationes, instar publicorum, quae dixi modo, criminum ab ecclesiastico iudice poenis tantum spiritualibus, ab laico magistratu simul temporalibus vigore edicti regii die 3. Ianuarii 1749. promulgati puniuntur (3).

VII. Falsum deponentes in foro ecclesiastico laico testes noluit itidem regia Potestas remittere plectendos inibi temporalibus poenis, aut personarum districtione. Quamvis enim qui falsum dixerit peierando apud iudicem non suum, hunc sibi ex delicto iudicem sortiatur, nulloque fori privilegio iuvetur ad declinandum eum, cuius aures falsitate, ac periurio offendit (4); tamen ipsamet M. C. Vicariae consuevit contra falsos eiusmodi testes criminale iudicium exercere, denegans caussam remittere speciatim ad Archiepiscopalem Curiam Neapolitanam

(1) Post Concordat. promulgationem prima omnium episcopalis Curia Puteolana quum suos in carceres detrudisset rhedarium polygamiae reum, atque ad triremes per decennium damnasset: eum una cum authentico sententiae sumpto ad M. Curiam Vicariae transmisit, ad regias inde triremes traducendum. At M. Curia episcopalem exequi sententiam renuit, donec eam iustitiae innixam cognosceret ex actis ecclesiasticis, quum suum ea brachium, nonnisi re cognita, visisque actis impertiatur nemini. Hinc abnuente remissionem actorum Episcopo Puteolano D. Nicolao de Rosa Regio Cappellano Maiore polygamus idem in carceribus M. C. V. plures annos, non dirempta quaestione permansit, quoadusque regio criminum indulto generali promulgato petiit, et obtinuit indulgentiam criminis, poenaeque remissionem Episcopo consentiente, quem idcirco fieri eius rei certiorem Rex Carolus iusserat clementissime, antequam precibus servi poenae annueret.

(2) Concordata *cit. cap. 6. art. 5. Oltre a' suddetti casi non dovrà porsi impedimento alcuno a' Superiori ecclesiastici di procedere contra i laici, secondo la disciplina della Chiesa, e le regole canoniche con sole pene* spirituali, *anche di* censure *contro de' peccatori* publici, e scandalosi, *e precise contro dei* sagrileghi, *degli* adulteri, *de'* concubinari, *degli* usurari, *de'* bestemmiatori *e consimili.*

(3) Hoc edicto promulgatae sunt pontificiae litterae super reductione festorum, quas immort. me. Bened. XIV. die 12. Decembris 1748. dedit ad Archiepiscopos regni Siciliae citra Pharum, atque ad Messanensem, et Panormitanum.

(4) Zeno Imp. in *l. nullum 14. C. de testibus.*

quod ad personalem districtionem, poenamque corpoream sibi reservatam; at ea nihilominus eos ab ecclesiastico iudice canonicis, et spiritualibus insuper poenis cohiberi non impedit (1).

VIII. Contumaces itidem testes, qui renuant citati se in foro ecclesiastico sistere ad veritatis testimonium in caussis quum civilibus, tum criminalibus inibi deponendum, censuris tantum spiritualibus in eo coguntur (2). Eaque in re, ut nullum iudicibus ecclesiasticis impedimentum daretur, iussum die 26 Decembris 1561. a Philippo II. fert Genuensis (3). Quibus enim causas in iudicio audire, suaque sententia definire datum est: iis et facultas citandi, et compellendi testes ad iudicium necessaria simul detur oportet.

IX. Occultos praeterea, incertosque testes quoslibet usu probatissimo solent Curiae locorum ecclesiasticae (tam iure ordinario, quam praeviis Sedis Apostolicae litteris in forma *significavit*, ut aiunt) ter primum quotidie commonere ad postulationem eius, cuius intersit, ut sub excommunicationis poena revelent res deperditas, et praeoccupatas huius, vel illius patrimonii, aut hereditatis, earumque ignotos detentores: dein ob contumaciam in eos non revelantes generatim fulminant excommunicationem (4). *Multa enim, quae in iudicio captiosa praescriptionis vincula promi non patiuntur, investigat, et promit sacrosanctae Religionis auctoritas*, apposite inquit Constantinus M. (5). Tantam vero vim utilitas publica tribuit huiusmodi monitoriis excommunicationis, ut ea in diem saepenumero in ipsa etiam M. C. Vicariae, et S. R. Consilii aula more praeconis praevio tintinnabuli sono publicentur, et fulminentur a cursoribus archiepiscopalibus excommunicationes post capita earum ter inibi publicata ad sciendum ignotos, occultosque detentores processuum deperditorum, et quarumcumque scripturarum. Hinc debent non raro laici, quorum interest, Curias ecclesiasticas adire ad impediendum, quominus ea, vel haec excommunicationis capita,

(1) Ex rebus iudicatis apud Afflictum *decis.* 219., Guid. Papa *decis.* 178, Aymon Cravetta *cons.* 232. Alienum idcirco a moribus regni huius est, quod scribit M. A. Genuensis in praxi Curiae Archiepiscopalis Neapolitanae *cap.* 10. *num.* 3., testes videlicet laicos posse in Curia ecclesiastica vinculis mancipari, torqueri, et puniri ob falsum in ea testimonium prolatum: et suam in partem idem Genuensis perperam laudat Afflicti *dec. 219.*, qua probatur falsum testem ciusmodi duplici poenae obnoxium fieri, et utrique simul foro, nimirum ecclesiastico spiritualem poenam infligenti, et laico temporalem.

(2) Ex rubrica 21 *lib.* 2. Decretalium *de testibus cogendis, vel non.*

(3) Genuens. in *cit. praxi cap.* 10. *num.* 1.

(4) Ad formam decretalis Eugenii Papae in *cap. si sacerdos* 12. *de offic. ordin.* et Synodi Trident. in *cap. quamvis excommunicationis gladius 3. sess.* 25. *de reform.* Ex quotidiano monitoriorum excommunicationis usu ad res deperditas inveniendum, supplendamque in iudicio probationem, quae deficiat aliunde, arguitur, quod regius censor in huius Tridentini decreti nota non usum fulminandi excommunicationes in laicos, sed indicendi mulctas pecuniarias, ante quam gladius spiritualis ex Patrum sententia synodica exeratur, Episcopis interdictum ex regni moribus censuerit.

(5) Constant. M. in *l.* 1. *C. Th. de episcop. iudicio*, superius exscripta *tit. III. num. III.*

et monitoria publicentur variis ex caussis, puta si cui infamiam, crimen, iniuriam inferant: si veritas rei, de qua agitur, aliunde pateat, ex inventario ex. gr. bonorum, aliisve scripturis publicis, si testes non ignoti, sed certi, notique adsint, quos proferre in iudicium nominatim citandos iussu competentis iudicis pars queat beneficio iuris ordinario, quod locum adimit extraordinario monitorii ecclesiastici remedio, nonnisi in subsidium, aliisque omnino deficientibus probationibus concedendo; si pro vulgari, et modica re quis gladium spiritualem imploret pro gravibus tantum rebus exercendum ex recepto etiam stylo Archiepiscopalis Curiae Neapolitanae, quae publicari, et fulminari capita excommunicationis cuiusque sub hac indulget clausula, *dummodo petitoris* intersit saltem in ducatis quinquaginta (1). Quoties ergo inter se laici contenderint, alter postulans monitoria publicari, alter e contrario impedimentum obiiciens: ambos in Ecclesiae foro stare tunc oportet, ecclesiastico iudici parituros, quidquid ipse partibus auditis decernendum putaverit.

X. Itaque duas in classes distribuit crimina ad forum ecclesiasticum pertinentia lex concordatorum an. 1741. In priori sunt haeresis, laica Missae celebratio, Confessionum auditio, sacri Ordinis functio, polygamia. Haec enim errores in doctrina Fidei, aut Sacramentorum nefarium abusum quia continent, ita solius Ecclesiae externo iudicio dimittit cum plena facultate plectendi laicos nedum spiritualibus, sed temporalibus etiam, et corpus affligentibus poenis, eosque in carceres rapiendi, undique: ut nullam iudicibus laicis cognitionem permittat, quamvis incidentem ipsa Concordatorum lex. In posteriori autem classe cetera sunt peccata, et crimina cum scandalo, et praecipue sacrilegium, adulterium, concubinatus, usura, blasphemia, festorum violatio, testium falsitas, contumacia, et si quae sunt alia; quae poenis tantum spiritualibus ab ecclesiastica Potestate, corporalibus, et pecuniariis a saeculari ita cumulate compescuntur, ut ecclesiasticus processus iudicii laici cursum non impediat, nec versa vice.

XI. Si quando autem inciderit in foro laico de hisce criminibus quaestio mere spiritualis; puta si ex laico processu contra sacrilegos sacrae pyxidis fures, blasphemos, ceteros id genus reos emergat suspicio haeresis, pravaeque doctrinae: iudex laicus ex inveterato regiorum tribunalium stylo, quem Concordata expresse comprobant (2), ad Curiam tunc ecclesiasticam debet caussam una cum actis, reumque simul remittere, *ut procedat super haeresi*. Et vicissim postquam haec suam vel damnationis, vel absolutionis sententiam super haeresi pro-

(1) Videsis Genuens. in *eadem praxi cap. 1.*

(2) Concord. *cit. cap. 6. art. 6.*, *et ult. Nel delitto*, *come di furto della sagra pisside con le particole consecrate*, *di bestemmie*, *e simili*, *se dal processo risulterà*, *che il reo laico sia sospetto di eresia*, *dovrà il giudice laico*, *secondo quel che fin' ora si è pratticato*, *e si prattica in Regno*, *rimetterlo al giudice ecclesiastico*, ut procedat super haeresi: *dal qual giudice ecclesiastico*, *proferita che egli avrà la sua sentenza*, *o assolutoria* ab haeresi, *o condannatoria*, *dovrà poi con la solita protesta del* cap. Praelatis de homicidio in VI. *consegnarsi il reo al giudice laico*, ut procedat ad ulteriora.

tulerit, eumdem reum foro laico tradere una cum lata iam sententia, *ut procedat ad ulteriora :* praemissa protestatione, quod non ad vindictam, poenamque sanguinis tendat sua eiusmodi traditio (1).

XII. Quum res ita se nunc habeant, palam videmus iam beneficio Concordatorum eliminatas ab utroque huius regni foro contentiones olim acerrimas, et quotidianas de criminibus *mixti fori* (2) et Religionem, et rempublicam laedentibus, quae ad secundam classem retulimus : num scilicet Curiis ecclesiasticis liceret ea coercere poenis etiam temporalibus, et personarum saecularium captura, an spiritualibus tantum? et an unus, idemque reus laicus pro eodem crimine duabus cumulate poenis posset in utroque foro affici ? an potius deberet unam pati ab altero iudicum sive laico, sive ecclesiastico, qui caussam vel citatione, vel captura eius praevenisset ? Ius commune Decretalium ut cumulatis poenis, et *blasphemi*, et *sacrilegi* speciatim plecterentur, canonicis nempe, ac spiritualibus in foro ecclesiastico, pecuniariis, et corporalibus a Potestate laica iam sanxerat (3). Synodus vero Tridentina quum decrevisset, ut Episcopi, Praesulesque dioecesani in *concubinarios* exilio, poenisque arbitrariis pro qualitate sceleris animadverterent (4); in alios criminum reos pertinaces mulcta potius pecuniaria, quam excommunicationis gladio (5) : utrumque idcirco decretum regiae iurisdictioni adversari censuit regius Censor, retulitque Proregi Alcalensium Duci. Tum Prorex idem inhaerens concordibus Regentium Collateralis Consilii votis ad Regem Philippum II. inter alia respondit die 19. Iulii 1570., ad laicos huius regni magistratus dumtaxat antiquis moribus pertinuisse, ac pertinere iudicia criminalia in laicos quod ad poenas temporales, et corpus affligentes in caussis mixti fori, vetitamque idcirco Episcopis corporalem in huiusmodi causis punitionem, et coercitionem (6). Contra ea iteratis Episcoporum discrepantiis, et querelis factum est, ut vetustum regni morem Concordata denique probaverint.

XIII. A criminalibus fori ecclesiastici caussis ad *civiles* converti nunc sermonem ordo postulat. Eae primum, in quibus versatur quaestio de validitate, aut nullitate matrimonii, vel sponsalium, procul dubio pertinent ad episcopale dumtaxat iudicium tam communi (7), quam Con-

(1) Hanc protestationis ecclesiasticae formam imperavit cunctis Praelatis, dum reos ii quoslibet capitalium criminum, sive clericos, sive laicos tradunt iudici laico, Bonifacius VIII. in *cit. cap. Praelatis 2. de hom. in VI.*

(2) De quibus agit B. Chioccarell. *to. 5. arch. tit. 1. ad 10.*

(3) Gregor. IX. in *cap. statuimus 2. de maledicis*, in *blasphemos* poenitentias canonicas inflixit, praeter mulctam 40., vel 30., vel 20. solidorum saeculari Potestati exigendam. Bonifacius VIII. in *cap. foelicis 5. §. per hoc quoque de poenis in VI.* percussores Cardinalium *sacrilegos* nedum poenis canonicis, iisque acerbioribus ab ecclesiastica Potestate, sed legitimis, et corporeis etiam saeculari afficiendos iussit.

(4) Trid. in *cap. grave peccatum est 8. sess. 24. de reform. matr.*

(5) Idem in *cap. quamvis excommunicationis gladius 3. sess. 25. de reform.*

(6) Chioccarell. *loc. cit.*

(7) Alex. III. in *cap. causam matrimonii 16. de offic. iud. deleg. cap. ex*

cordatorum iure (1). Itaque divortia inter coniuges cum dissolutione vinculi coniugalis nonnisi ecclesiastica fiunt auctoritate (2), non cuiuscumque Praesulis inferioris, sed Curiarum dumtaxat episcopalium (3) ex vigentibus novae disciplinae moribus, quae ad Synodorum iudicia maturiora prisci olim canones remittebant (4).

XIV. Cetera solius thori divortia quomodo ecclesiastici iudices nostri censuris tantum ecclesiasticis cohibeant, vel ex legitimis caussis permittant: et quo iure in laico foro quaestiones profanae ex repudio, aut divortio coniugum emergentes audiri, ac dirimi consueverint, iam dixi alias (5). Has enim Potestas laica non patitur ad Ecclesiae forum deferri, ad eumque ipsa idcirco noluit in Concordatis dimittere generatim caussas divortiorum thori, et domicilii, quas quidem ubi adnexas iudicio foederis iugalis pars altera posuerat ecclesiasticis notionibus aggregandas fore. Hinc separatio coniugum, aut permittenda, aut vetanda inter caussas mixti fori non temere adnumerabitur: dum in ea diiudicanda laicus utitur potestate personas distringente, ac poenis temporalibus; ecclesiasticus autem censuris, poenisque tantum spiritualibus.

litteris 1. *de consangu., et affin. et cap. porro* 3. *de divortiis*, totoque Decretal. *tit. de sponsal. et matrim.* Trid. *sess.* 24. *can.* 12. Videsis dicta superiori *lib. II. tit. XI. de Sacr. matr. num.* 44.

(1) Concord. *cit. cap. 6. art. 3. Spetteranno parimente a'soli giudici ecclesiastici le cause matrimoniali, nelle quali si tratta sopra la validità, o invalidità si del matrimonio, come degli sponsali.*

(2) Nicolaus I. *ep.* ad Carolum Calvum rescribens de repudio Theutbergae a Lothario viro suo dimissae: *Ecclesiae refugium*, inquit, *quaerens Theutberga, ecclesiasticum iudicium semper expetens, submitti non debet saeculari iudicio.* Consonat Alex. II. decretalis in *cap. porro 3. de divortiis*, aliorumque Pontificum *eodem tit.*

(3) Quum ad maiores iudices ius civile caussas status, prolisque legitimae declarationem reservet, *l. un. C. ubi causa status*, caussamque huiusmodi adnexam habeat quaestio de foedere matrimonii: patet, cur non ad quoslibet ordinarios, sed ad magis discretos, et peritiores haec iure decretalium pertineat, *cap.* 1. *de consangu., et affin.*, nimirum ad Episcopos dioecesanos, eosve, qui Episcopi vices quum ordinarias, tum delegatas gerant, *cap. significavit* 18. *de convers. coniugat.* ubi Innoc. III. probavit licentiam transeundi ad statum religionis perfectiorem, quam A. mulier viro suo F. dederat coram Decano S. Quiriaci vices Archiepiscopi Senonensis tunc obeunti. Pariter ad Vicarium Capitularem Sede vacante, ex *cap. veniens* 13. *de sponsal. et matr.* ubi Alexander III. ad Procuratorem, et Canonicos Suessanos rescripsit, ut de secundis nuptiis, quas mulier, priori per vim accepto viro, et in Ecclesia rite repudiato, iniverat, cognoscerent. Praeterea Innoc. III. quaestionem de matrimonii foedere coram Capitulo Ravennatensi agitatam, et rite cognitam probavit in *cap. Albericus miles* 13. *de testibus.* Videsis dicta alibi et *lib.* 1. *tit. XXIV. de Praelatis inferioribus num. XIX. et lib. II. tit. XI. de Sacr. Matr. num. CXVIII.*

(4) Alexand. II. in *can. multorum* 10. *C.* 45, *qu.* 6. cuidam Guilielmo rescripsit, suam ut uxorem non auderet consanguinitatis praetextu dimittere, nec alteri adhaerere, *donec Episcoporum religiosorum Concilium causam examinaverit.* De nullitate coniugii inter Lotharium, et Theutbergam Synodus Aquisgranensis primum, dein Methensis in gradu appellationis iudicavit, de qua Nicolaus I. rescripsit in *cit. ep.* ad Carolum Calvum. Alia exempla videsis apud Benedict. XIV. *lib.* 7. *de Synod. dioec. cap. 35. num. 3.*

(5) *Lib.* 2. *cit.* 11. *de Sacr. Matr. num.* XLV.

XV. Utriusque itidem fori cum eodem poenarum discrimine est coactio sponsorum ad contrahendum ex fide iam data matrimonium de praesenti (1) : quotiescumque vel indubitata , et certa sint sponsalia , vel quaestionem super eorum validitate , ac nullitate , aut rescissione iudex ecclesiasticus antea definiverit.

XVI. Ceterum quae in iudicio ecclesiastico , et spirituali super validitate , vel nullitate , aut rescissione matrimoniorum , et sponsalium incidant , vel emergant lites quum civiles de arrhis , et largitionibus , mutuisque donationibus, de dotibus , pactisque dotalibus, de alimentis, tum criminales de adulterio , vel raptu , vel stupro sponsae , nullam omnino ferunt cumulatam utriusque Potestatis cognitionem : quum recepti mores, et Concordata firmaverint in his etiam caussis utcumque Sacramento Matrimonii adnexis iudicium erciscundae iurisdictionis, spiritualia ecclesiasticis cognitionibus , et profana profanis distribuendo, et limitaverint eam Iuris communis regulam , quae iudicem principalis caussae iubet cognoscere incidenter adnexa omnia, quamvis a foro suo aliena (2). Sicut igitur spiritualem controversiam de matrimonii , ac sponsalium foedere incidentem in foro laico abstinet laicus cognoscere in diem decernens , ut *partes adeant iudicem ecclesiasticum*, vel *ut ea caussa remittatur ad Curiam ecclesiasticam* (3) , intereaque suspendit processum ad ulteriora in profana principali caussa haereditatis, et status , et alimentorum , ceteris huiusmodi : ita vicissim prohibetur ecclesiasticus incidentes in caussa matrimonii, et sponsalium quaestiones profanas de dote , aliisque iam dictis rebus tractare, ad forum laicum integre dimittendas.

XVII. Legitimorum hinc natalium caussas, ubi disputatur potissimum de dubio matrimonii foedere inter parentes illius , de quo in iure speciatim quaeritur , an sit legitimis ex nuptiis procreatus , ad forum ecclesiasticum pertinere palam est (4). At quaestio natalium si factum so-

(1) Th. Sanchez *lib.* 1. *de spons., et matrim. disp.* 29. *num.* 9. Hac de re iam dixi *lib. II. tit. XI. de Sacr. Matr. §. III. de sponsalibus num. LXI.*

(2) Impp. Severus, et Antoninus in *l.* 1. *C. de ord. iudic.* ad Marcellinam rescripserunt pertinere *ad officium iudicis , qui de hereditate cognoscit , universam incidentem quaestionem , quae in iudicium devocatur , examinare : quoniam non de ea , sed de hereditate pronunciat.* Et Alexander in *l. quoties 3. C. de iudiciis* Faustinae rescribens , *quoties quaestio status* , ait , *bonorum disceptationi concurrit , nihil prohibet , quo magis apud eum quoque, qui alioquin super caussa status cognoscere non possit, disceptatio terminetur.*

(3) Ex traditis a Reg. de Rosa in *praxi civ. decr. dist.* 3. *cap.* 2. *num.* 41. de Franchis *decis.* 52. , *et* 512. , Sanfelic. *decis.* 11. *n.* 3., Capic. latr. *dec.* 73.

(4) Alexand. III. in *cap. lator* 5., *et cap. caussam* 7. *qui filii sint legitimi*, et Honor. III. in *cap. tuam* 3. *de ordine cognitionum.* Haec in textu mutila Honori decretalis , quam habet integram , illustratque Cironius in *cap.* 1. *eod. tit.* in quinta compilat. definit legitimos natales Adelae Reginae Cypri Hugoni III. nuptae controversos ob successionem Comitatus Campaniae, quem sua in hereditate reliquerat Henricus Comes Trecensis Adelae pater. Pares Franciae iam an. 1226. sub Philippo Augusto eum Comitatum adiudicaverant Theobaldo, qui Henrici nepos ex fratre superstes fuit: propterea quod Henricus in Terram

lummodo dubium verset, valido, ac certo coniugii foedere in controversiam nullatenus deducto, utrum scilicet Titius revera progenitus; ortusque sit ab his, illisve legitimis coniugibus, an suppositiis: non episcopalis, sed saecularis fori est (1). Et quoniam ex legitimorum natalium iudicio diversi profluunt effectus nedum civiles pro parentum hereditatibus vindicandis, rebusque profanis adipiscendis, verum ecclesiastici etiam, et spirituales ad sacros ordines, et beneficia ecclesiastica iure canonum consequendum: fit, ut declaratio legitimae prolis ad utrumque forum sacrum, et profanum insimul pertineat, atque inter caussas mixti fori idcirco adnumeretur (2).

XVIII. *Beneficiorum* ecclesiasticorum caussae inter eas, quae ad forum dumtaxat ecclesiasticum pertinent, locum secundum obtinent (3); propterea quod rem aut mere spiritualem, aut rei spirituali maximopere adnexam pertractant. Rem redolent procul dubio spiritualem tam *collatio* beneficiorum simplicium, quae nulli scilicet iurispatronatus vinculo sunt obnoxia, quum *institutio* canonica eorum, quos patroni vel ecclesiastici, vel laici elegerint, vel praesentaverint. Beneficium ecclesiasticum reapse quum sit perpetuum spirituale ius duplex, et obeundi aliquod in altaris ministerio, ecclesiaeve famulatu officium, et fruendi altaris, Ecclesiaeve fructibus unde vivat (4) cum onere administrandi: nulla sacrae disciplinae ratio patitur, alios in perpetuum altaris officia eiusmodi beneficiaria obtinere, nisi ab ipsis Ecclesiae Praelatis delectos, et canonice institutos (5). Absurdum porro est clericos Eccle-

sanctam transfretaturus germano suo tunc Comiti Francisco cuncta dimiserat bona sua sub conditione, si e transmarinis non redisset. At Henricus rite ducta suum in coniugium Isabella Hierosolymorum Regis filia, relicta primum Henfredi Toroni dein Conradi Marchionis Montisserrati vidua Adelam ex ea progenuit, cui Comitatum paternum vindicanti Theobaldus per calumniam, iniuriaque obiecit exceptionem non legitimorum natalium, iudicio Sedis Apostolicae remissam. Hinc Honorius III. Philippo Augusto rescribit ob delatam ad se caussam natalium Reginae Cypri, *quae ad forum ecclesiasticum pertinet*, litem successionis ex ea pendentem fore suspendendam, donec *iam dicta caussa natalium apostolico iudicio finem acceperit.*

(1) Eiusmodi profanam de natalibus litem ius civile Pandectarum apud Consules in urbe disceptandam statuit in *l. divi D. de liberali causa*, vel apud Praetorem *l. 4. D. de libertis si libertus ingenuus esse dicatur:* Codex Iustiniani apud cuiusque Provinciae Praesidem in *l. 1. et 6. C. de ordine cognition. l. 1., et penult, C. ubi causa status agi debeat.* Cuiacius dum extra urbem Praesidibus denegat caussarum status cognitionem ex *l. 1. et seq. C. de ordine iudic.* falsus videtusr. Ambae enim leges istae incidentem status quaestionem ab iudice principalis caussae devolvi ad Praesidem provinciae vetant: id quod nil facit ad Cuiacii propositum de principali status caussa coram Praesidibus agenda.

(2) Ex iis, quae iam dixi *lib. II. tit. XI. de Sacram. matrim. num. CXVI.*

(3) Ex Concordatis *cit. cap. 6. art. 4.*

(4) Ex traditis in *tract. de beneficiis ecclesiast. cap. II.*

(5) Ex *can. omnes basilicae* 10. *C. XVI. qu.* 7., Alex. III. in *cap. ex frequentibus 3. de instit.* Bonif. VIII. in *cap. 1. de reg. iur. in VI., beneficium ecclesiasticum*, ait, *non potest licite sine institutione canonica obtineri.*

siae titulis perpetuis summo, liberoque laicorum arbitrio mancipari (1): nisi horum quis ab Apostolica Sede privilegium collationis ecclesiasticae alicuius speciatim beneficii an expressum, aut ex immemorabili consuetudine praesumptum habeat (2). Quoties ergo lites promoveantur de titulo beneficii ecclesiastici, aut valida nimirum collatio sit, aut institutio canonica, et utri contendentium sit ea concedenda, itidem, an bulla pontificia collationis erit ex vitio, quod saepe obiicitur, subreptionis, aut obreptionis, aliisve defectibus exequenda (3): in foro solum ecclesiastico rite definiuntur (4). Quemadmodum et causae tam criminales, quam civiles, ubi disputetur, an sit clericus beneficio sibi collato privandus, et deponendus (5): nam potestas adimendi ius spirituale ab ipsa conferendi potestate sacra profluit.

(1) Iustinianus *Nov. 57.*, *ne profanentur sancta Dei*, iussit nominatos a fundatoribus fore dioecesani Episcopi examine, iudicioque probandos, usus verbis Ezechielis *cap. 2.* In Synodo Melphitana an. 1089., cui Rogerius Apuliae Dux adfuit, Urbanus II. decrevit *can. 8.*, *ut nullus in clericali ordine constitutus, nullusque monachus Episcopatus, aut Abbatiae, aut cuiuslibet ecclesiasticae dignitatis investituram de manu laici suscipere audeat: quod si praesumpserit, depositione mulctetur.* Consonant S. Greg. VII. in Conc. Roman. *cap. 1. an. 1074.* idipsum statuens, *ne aliquis clericus, vel monachus a laicis Ecclesius recipiat dono, vel pretio, nisi ab Episcopo.* Tum Alexander III. in *cap. consuluit 15. de iurepatr.*

(2) Regem nostrum utriusque Siciliae privilegio eiusmodi potiri nonnulla conferendi beneficia, dixi iam in *tract. de beneficiis cap. 7. num. 6., et 7.* Ceteri laicorum quamvis illustrium hoc in regno nequaquam, unus si excipiatur Dux Montis Calvi, ius iamdiu quaesitum, pacificamque simul possessionem habens conferendi arbitratu suo libero regiam Abbatiam S. Petri ad Curtim in urbe Salerni erectam, uti descendens e sanguine D. Troiani Mormilis: cui, eiusque successoribus in perpetuum Ferdinandus Rex Catholicus, mox Carolus V. Imperator iuspatronatus in ea regium pleno iure, cum praerogativa etiam liberae collationis concessere, commemoratum *lib. 1. Inst. tit. XXIII. num. X.* Id quod firmatum fuisse pontificiis Clementis VII. litteris, eiusque apostolico adsensu, rescripsit Praeses Argentius die 26. Maii 1730. litteris ad Vicarium Capitularem Salernitanum tunc datis.

(3) Eas explicui in *tract. de benefic. cap. XII. de precum veritate*, *subreptione, et obreptione.*

(4) Alexander III. in *cap. relatum est 21. de iurepatr.* ad Angeliae Episcopos rescribit, *quod nonnulli occasione* laicae recognitionis, *non requisita Episcopi audientia, beneficia ecclesiastica sibi praesumunt in vestris parochiis vindicare:* iubetque, *ut eos, si commoniti praedicta minime resignaverint (nisi episcopali concessione muniti fuerint) ab officio reddatis, et beneficio alienos.* Idemque Pontifex *ep.* ad Episcopos Galliae in *append.* Conc. Lateranens. *par. 5. cap. 33.* rescripsit eos, qui in saeculari foro, *non requisita Episcopi audientia*, beneficia ambiunt, vel impetrant, cogi ad ea resignanda in manibus Episcopi debere. Nam etsi de sola beneficiorum possessione laici magistratus in Gallia consueverint iudicare, et superius dixi *tit. VI. num. XVIII.*: at irritum omnino, et nullum in eo etiam regno iudicium laicum de titulo, et collatione beneficii, tradit Thomasinus *par. 2. lib. 1. cap. 36. num. 13.*

(5) Quas recensui in *tract. de beneficiis cap. ult.* In vita B. Thomae Cantuariensis *lib. 2. cap. 6.* fertur Ludovicus iunior Galliae Rex, ut audivit Henricum II. Anglorum Regem velle ab archiepiscopali Sede Cantuariensi B. Thomam, quem inter sanctos martyres colimus, amovere, tantum nefas ita exhor-

XIV. Ingressos ecclesiastica beneficia, eorumque possessionem adeptos absque dioecesani Episcopi, aut Ordinarii, aliusve legitimi ex apostolico indulto collatoris, aut Romani Pontificis auctoritate, ac litteris bullatis, Ius canonicum, ut praedones intrusos excoratur, et procul arcendos iubet (1). Singulae idcirco litterae collationis ecclesiasticae imperant, ut beneficii, Ecclesiaeve possessioni detur, qui canonicam, vel collationem liberam, vel institutionem obtinuerit, in eamque, amotis detentoribus iniustis, rite immittatur a datis earumdem litterarum executoribus tam meris, quam mixtis (2). Horum enim est, quoties ab Apostolica Sede sint dati, audire contradictores, suamque sententiam rite pronunciare nedum super controversa collationis validitate: verum etiam super possessione vel danda, vel deneganda, aut pro eo manutenendo, qui eam ipsam nactus antea sit. Cuiusmodi quaestiones, ubi collatio, vel institutio ab Ordinariis locorum fiat, in dioecesana eorumdem Curia disceptantur, nisi cui Delegato speciatim ab Ordinario Praesule sit mandata iurisdictio. Igitur caussas etiam de *possessione* beneficiorum, Ecclesiarumque sive adipiscenda, sive retinenda, sive recuperanda forus ecclesiasticus *iure ordinario* cognoscit, et iudicat, non uti spirituales, sed uti adnexas rei spirituali: quum possessio in mero facto sita naturam nequeat spiritualem habere.

XX. *Iure* inquam *ordinario*. Nam *ius extraordinarium* privilegii puta apostolici, vel diuturnae consuetudinis dat non semel foro laico iurisdictionem in caussis eiusdem possessionis beneficiariae (3). Hoc speciatim in regno consuetudinem vigere deferendi ad Regium S. Clarae Consilium praevio Regis, vel regalis Camerae rescripto caussas turbatae per vim possessionis etiam beneficiorum, easque definiendi iudicio summarissimo vigore Capitulorum regni, monui iam superius (4). His adde extraordinariam cognitionem in Regia Curia Capellani Maioris, et Regali Camera consuetam de impedimentis postulantium, ut Sedis Apostolicae Bullis beneficia conferentibus, ne detur placitum regium, quod quoties denegari, aut suspendi contigerit, possessio collati beneficii toties inde suspenditur, aut denegatur.

XXI. Adhaesio itidem iuri spirituali collationis, et institutionis ecclesiasticae facit, ut caussae inter patronos quoque laicos de suo patronatus iure quomodolibet contendentes, aut una cum clericis ad va-

ruisse, ut palam dictitaret: *Certe sicut Rex Anglorum, ita et ego Rex sum: et tamen minimum de clericis mei regni deponere ego non valerem.*

(1) Innoc. III. in *cap. cum iamdudum 19. de praebendis.* Eos Ivo Carnotensis appellat *incubos, et paedagogos. Hoc enim modo*, scribit *epist. 98, et vos, et Ecclesiam vestram a multiplici paedagogorum invasione liberabitis.* Et *ep. 66.* itidem dicitur Turonensis Archiepiscopus *praedictae Ecclesiae pedagogus, et incubus.* Servius ad illud *Æneid. 1. ponto nox incubat atra:* animadvertit, quod *incubare* latini eum dicunt proprie, qui dolo, vel vi rem possidet alienam.

(2) De quibus dixi in *tract. de beneficiis cap. XIV. de exequutione bullarum, et cap. XV. de quasi possessione eiusque effectibus.*

(3) Ex traditis a Bened. XIV. *lib. 7. de Synodo dioeces. cap. 35. num. 7.*, et supradictis *tit. VI. num. XVIII.*

(4) Eodem *tit. VI. num. XVIII.*

cantia beneficia praesentatis, aut separatim, ad forum ecclesiasticum pertineant iure tam communi (1), quam Concordatorum (2): tres tantum species iurispatronatus *regii*, *feudalis*, *et de universitate bonorum*, paulo inferius edisserendas, ab hac regula excipientium. Quod laici possident communiter, atque ad profanos heredes ex testamento, et ab intestato cum universitate profani patrimonii transmittunt, aliosque successores, quamvis particulares ex legato, vel donatione, aliisve actibus inter vivos, et caussa mortis: idipsum esse non spirituale iam inde patet (3). At istud iuri spirituali adnexum probe agnoscunt, qui duce Alexandro III. (4) considerant onerosum, sive mavis honorificum dicere, patronorum ius deligendi, et praesentandi beneficiarios clericos, et presbyteros concurrere cum spirituali Episcoporum iure instituendi, et ordinandi praesentatos, eosque idoneos probandi, promovendique uti arctatos ad clericalem gradum, sacrosve ordines beneficiis eisdem adnexos: quoties ea curam habeant animarum, aliudve ministerium sacerdotale. Nam Ecclesiae maximopere interest, qui, et quales ad altaris ministerium, atque reddituum ecclesiasticorum administrationem, et cuius auctoritate, ac testimonio adsumantur (5). Propterea

(1) Alexander III. ad Henricum II. Angliae Regem rescribens in *cap. quando 3. iudiciis*, ait: *Iurispatronatus caussa ita coniuncta est spiritualibus caussis, quod nonnisi ecclesiastico iudicio valeat definiri.*

(2) Concordata *cit. cap. 6. art. 4.* haec habent: *Così pure saranno di privativa giurisdizione ecclesiastica le cause beneficiali, purchè non si tratti di iuspadronati regi, o feudali per quelle sole cause, la decisione delle quali principalmente dipende dal vedere, se il padronato sia annesso, o no, al feudo, o de universitate bonorum negli altri padronati laicali.* Ab his parum differre videntur Concordata inter Carolum V. Imp., et Leodiensem Episcopum die 11. Ian. 1543. publicata in Camera Concilii Brabantiae, *tit. 3. art. 13. §. 14.*, his verbis concepta. De iure vero patronatus *Principis*, suorum vassallorum, et aliorum laicorum iuspatronatus ad caussam feudorum suorum, aut alterius rei immobilis habentium, quando inter duos laicos quaestio erit, quis eorum sit patronatus, solus iudex saecularis cognoscet, sive super illis principaliter, et de per se agatur, vel cum *universitate*. Si vero inter duos, vel plures praesentatos, vel patronos laicos quaestio fuerit, coram iudice *ecclesiastico* de institutione sua quis eorum praeferri debeat, et inciderit quaestio iurispatronatus: de illa sic incidenti in praeiudicium partium litigantium, non autem patronorum absentium, iudex *ecclesiasticus* cognoscet, ac definiet.

(3) Iuris enim spiritualis incapaces laicos aestimat Ecclesia, *can. illud autem 22. dist. 93.*, *et cap. sacrosancta 51. §. attendentes de elect.*

(4) Alex. III. in *cap. de iure vero 16. de iurepatronatus.* Videsis dicta in *tract. de iurepatr. II. num. II.*, *et III.*

(5) Claud. Fleury *par. 3. Inst. Can. cap. 5. de comp. iudic. Eccl. num. 6.* Hisce rationibus innixus potissimum B. Thomas Cantuariensis improbare non omisit istud inter alia iurisdictioni ecclesiasticae adversantia capita iam dicti Henrici II. Anglorum Regis, de *advocatione*, *et praesentatione Ecclesiae*, *si controversia emerserit*, *vel inter laicos solos*, *vel inter laicos*, *et clericos*, *vel inter clericos*, *in Curia Regis tractandam*, *et terminandam*, Matthaeus Paris ad *ann.* 1164. Eiusmodi statutum ab Alex. III. iam improbatum scio. In Gallia etiam caussas iurispatronatus laicorum, nedum in possessorio, sed petitorio etiam delatas ad forum laicum respectu, et personarum illud obtinentium, et hereditatis profanae, cui cohaerens transit de uno in alium successorem cum

omnes de patronatibus laicorum quaestiones iure ordinario probatissimo definiuntur in Curiis ecclesiasticis, nedum incidenter motae in caussis canonicarum institutionum, ubi suo quisque praesentato patroni ferunt patrocinium: sed etiam principaliter, ac directe, aut a laicis contra laicos compatronos *de pertinentia*, ut barbare loquuntur contendentes; aut inter Fiscum ecclesiasticum pro libertate beneficii, et laicos pro sui patronatus *existentia* disputantes, ubi nulla pendeat caussa institutionis.

XXII. *Regios* patronatus primum ab hac regula excipit lex Concordatorum, peculiares Regum praerogativas (1), et vetustos regni mores comprobans (2). Quum temporalem utique rem iuspatronatus esse agnoverimus: nil obstabit adhaesio rei spirituali, quominus iure illud suo Rex vindicet sibi, regioque iudicio definiendum res servet. Quamvis plura de regiis patronatibus iudicia ecclesiastica tulerint pontificiae decretales (3): tamen ius regium stetit incolume. Huc redit illud Innocentii III. responsum. *Cum Rex superiorem in temporalibus minime recognoscat: sine iuris alterius laesione in eo se iurisdictioni nostrae subiicere potuit, in quo videretur aliquibus quod per seipsum potuit dispensare* (4). Ante ortum Regni Neapolitani, et utriusque Siciliae plurima priscis Apuliae, et Calabriae Ducibus, et Principibus quaesita patronatus iura ex fundatione, vel dotatione iam patent, quae aut praesentationem subditis patronis communem, aut eximiam liberae collationis praerogativam Principibus ipsis, eorumque successoribus attule-

nniversitate bonorum, nullamque inibi rationem haberi spiritualis iuris conferendi, et instituendi, cui adhaeret, sed ipsam in se rem temporalem; conqueritur Altaserra *lib. 6. de iurisd. cap. 11.*, et memorat Bened. XIV. *lib. 7. de Syn. dioec. cap. 35. num. 6.*, ex Francisco le Roy in *prolegom. de iurepatr. cap. 29*, et Wan-Espen *par. 2. tit. 25. cap. 4. num. 16.*

(1) Iura decretalium Reges ab novis constitutionibus aperte haud semel excipiunt. Bonifacius VIII. in *cap. ult. de offic. deleg. in VI.*, ait: *Regibus, et Reginis, qui sicut dignitatis altitudine praeeminent, sic praerogativa gratiae ipsos convenit anteferri, dumtaxat exceptis.* Eodem iure Clemens IV. in *cap. ne aliqui 5. de privilegiis in VI.*, et Ioan. XXII. in Extravag. *execrabilis de praebendis § nos itaque* Regum etiam filios eximunt. Tridentinum *sess. 25 de reform. cap. 9.* a communibus patronatuum legibus eos excipit patronatus, qui *ad Imperatorem, et Reges, seu regna possidentes, aliosque sublimes, ac supremos Principes iura imperii in dominiis suis habentes, pertinent.*

(2) Ex monimentis apud B. Chioccarell. *to. 6. arch. num. 40., 51., 65., et 66.*, et alibi.

(3) Honorius III. in *cap. ult. de concess. praeb.* ad Episcopum, et Praepositum Cameracensem rescripsit de regio patronatu Comitissa Flandriae, et donationibus, puta collationibus beneficiorum nondum vacantium. Innocentius III. in *cap. dilecto filio 40. de testibus* postulante Ariensi Praeposito censuit eosdem iudices Episcopum, et duos Abbates cognituros causam super donatione sex praebendarum sacerdotalium, quae inter Ariensem Praepositum, et eamdem Flandriae Comitissam agitabatur. Idemque Pontifex consultus respondit de patronatu Regis Angliae cum iure conferendi Decanatum, et praebendas Ecclesiae S. Petri de Curia Coenomanensi, in *cap. cum olim 5. de consuetud. in 3. compil. Decret.*

(4) Innoc. III. in *cap. per venerabilem 13. qui filii sint legitimi.*

runt (1). Inter Hadrianum IV. Pontificem, et Regem Guilielmum motae super Ecclesiarum huius regni collationibus vicissim quaestiones hoc fuere pacto diremptae anno 1156., ut servetur solitum (2). Andegavensium capitula, ut solum in Ecclesiis regii patronatus sit salvum iuspatronatus, expresse cavent (3). Nil interea disputatum occurrit, aut constitutum de competenti foro eiusmodi patronatus. Dein temporum iniuria neglectas quum praesentationes, tum collationes regias in nonnullis Ecclesiis, et beneficiis de iurepatronatus regio in integrum restituere Rex Robertus (4) primum, mox Ferdinandus Rex Catholicus (5)

(1) De regia beneficiorum collatione iam dixi in *tract. de beneficiis cap. VII. num. VI., et VII.* Quam habuisse olim nostros Apuliae Duces tradit primus omnium Ioannes Semeca vita functus anno 1269., ex Pancirolo *de claris iuris interpretibus lib. 2. cap. 112.* Tum inter ceteros Andraeas de Isernia *in prooemio constit. Regni num. 50.* haec scribens: *olim praesentabant, et* investiebant *de beneficiis ecclesiasticis, et* conferebant *ea per privilegia Papalia, quae possunt hoc concedere laico.*

(2) Exscripta iam *lib. 1. tit. X. num. II.* Concordata Hadriani, et Guilielmi *art. 7.* haec habent: *De Ecclesiis, et monasteriis Terrae nostrae, de quibus Romanae Ecclesiae quaestio mota fuit, sic fiat. Vos quidem et vestri successores in eis habebitis eas, quae in ceteris Ecclesiis, quae sub nostra potestate consistunt*, solitae *sunt accipi* consecrationes, et benedictiones *a Romana Ecclesia.* Sicuti verbum *solitae* sat excludit *consecrationes*, et *benedictiones* Romanas, puta collationes, in aliis Ecclesiis, et monasteriis non consuetas: ita innuit has alias regiis collationibus ad formam consuetudinis relictas.

(3) Capitula Caroli I. Andeg. cum Clemente IV. *art. 16.*, et Caroli II. cum Honorio IV. *art. 6.*

(4) Rex Robertus die 24. Octobris 1334. iussit officialibus suis, ut Forminus Scottus regius capellanus redintegraretur in possessione Ecclesiae S. Restitutae de Morraea dioecesis Sorae de iure patronatus regio, vel Ioannae Ducissae Calabriae neptis suae, illiusque Comitatus Dominae, rescisso iudicio Sorani Episcopi, qui eum ex illa deiecerat, apud Chioccarell. *tom. 6. archiv. num. 40.*

(5) Tametsi capitulis anno 1486. conventis ab Innoc. VIII. cum Rege Ferdinando fuerat cautum, *quod Episcopatus, et beneficia regni Neapolitani distribuantur per Papam:* at anno seguenti 1487. conquestus idem Pontifex est Regem ipsum *conferre beneficia in regno suo, et quod illa, quae Papa contulisset, non acceptasset, et quod de cetero abstineret*, commonuit per Episcopum Sedis Apostolicae Legatum, scribit Raynaldus *ad ann. 1487. n. 11.* Idemque Rex die 29. Augusti 1492. iussit Gubernatori, seu Capitaneo Casacarboris, ut diligentem caperet informationem de regio praesentandi iure ad Archipresbyteratum illius Terrae, quod ad regiam Curiam pertinere putabat ex praevia quasi possessione magni Siniscalchi, Chioccarell. *to. 6. num. 51.* Prorex Ripacursae Comes die 1. Ian. 1509. Capellano maiori Archiepiscopo Nazareth, Ferdinandi Regis Catholici iussu, imperavit, ut omnia, et singula regio patronatu affecta beneficia inquirens regiam Curiam in eorum possessione redintegraret, eaque vocatis vocandis rite in publicum, et solemne inventarium redigeret ad futuram rei memoriam. Singulis mox Gubernatoribus provinciarum regni mandavit, ut praefato Capellano maiori obtemperarent, quod ad beneficia regia investiganda, et recensenda, et redintegranda, Chiocc. *ibid. n. 65.* Tum die 17. Aug. 1510. pontificiis de annuo censu remisso, novaque investitura huius regni litteris a Iulio II. datis ad Ferdinandum Regem clausula haec addita: *sine praeiudicio iuris ipsi Ferdinando, alias in regno Siciliae, et Ierusalem, ac ducatibus, et provinciis praedictis forsan competentis, cui per praesentes non intendimus derogare*, apud Chioccarell. *to. 1. num. 101.*

sua in regia Curia, tum eorum in regno successores vindicare studuerunt (1). Hinc Regia Camera, et Curia Capellani Maioris consuevit regium placitum denegare pontificiis collationibus eorum, quae ad iuspatronatus Regis pertinere dignoscat ex catalogo beneficiorum, quem suo in archivio servat, a regiis ministris confecto (2). Et quoties in quaestione fuerit, an hoc, illudve beneficium sit regii patronatus: mos invaluit eam iussu Regis in petitorio, ac possessorio cognoscendi, ac definiendi in ipsa Capellani Maioris Curia, vel in regali Camera S. Clarae, ut fiebat olim in regio Collaterali Consilio (3), iam dicta Concordatorum exceptione prima firmatus.

XXIII. Altera eorumdem exceptio regiis etiam tribunalibus dimissos indicat *feudales patronatus* Baronum *in iis tantum caussis*, *quarum*

(1) Regia Camera Summariae die 9. Decembris 1559. litteras dedit ad Bartholomaeum Stinca, quibus probavit possessionem ab eo pro regia Curia captam beneficii sub titulo S. Silvestri Terrae S. Angeli ad Scalam, iubens, ut illam detineret, donec aliter ea ipsa decrevisset: si quid vero ius in eo beneficio habere Aquilanus Episcopus praetenderet, illud is exponeret in regia Camera dijudicandum Chioccarell. *to. 6. num. 73.* Prorex Alcalensium Dux die 9. Iulii 1559. ad Regiam Cameram, et sequente die 10. Iulii ad Capellanum Maiorem, et regios Consiliarios Io. Andraeam de Curtis, et Felicem de Rubeis rescripsit, ut cunctas Ecclesias, et beneficia regiae tum collationis, tum praesentationis ex anteactis Regum, et Proregum provisionibus inquirerent, atque in scriptis referrent una cum reditibus cuiusque, omnia dein Regi distincte relaturos, apud Chioccarell. *ibidem num. 77., et 78.* Tum Rex Philippus II. Proregi Oxunae Duci die 22. Novembris 1583. mandavit, ut librum, in quo universa regii patronatus Beneficia cum distincto iure aut collationis aut praesentationis, et singulorum annuis redditibus ad Regem transmitteret conformem ei, quem servat Curia Capellani Maioris. Chioccarell. *ibid. num. 23.*

(2) Litteras ad Commissarium Principatus citerioris dedit die 7. Novembris 1560. Regia Camera iubentes, ut ne lineret in possessionem beneficii S. Catarinae ad altare cathedralis Ecclesiae Salernitanae, quod iurispatronatus regii est, immitti cum, qui litteras collationis ab Apostolica Sede impetraverat, vel immissum ex ea deiiceret, Chioccarell. *to. 6. num. 81.* Tum eadem Regia Camera die 14. Febr. 1569. postulante clerico Carolo Patigno consultationem ad Proregem dedit pro eo in possessione Bariensis Ecclesiae S. Leonardi a Prorege collatae manutenendo, posthabita Sedis Apostolicae collatione, quam subreptitio placito regio munitam impetrarat Fridericus Anastagni, Chiocc. *ibid. num. 83.* Prorex Mirandae Comes die 17. Augusti 1590. D. Philippum Fusco regiae Ecclesiae S. Egidii Altaevillae sine regiis litteris possessorem amovendum iussit, dum eam contulit Abbati Io. Vincentio della Gatta, *ibidem num. 103.* Iudicio Curiae Romanae contra D. Ioannem Sabater, cui Prorex idem anno 1591. contulerat Abbatiam S. Petri Roccaesiccae dioecesis Aquini, lato in caussa illius regii patronatus ad postulationem Episcopi Aquinatis, obstitit Rex. Cetera in diem exempla prostant in actis Curiae Capellani Maioris, et Regalis Camerae.

(3) Ex relatis a Regio Consiliario Io. Andraea de Curtis Capellani Maioris Consultore die 15. Octobris 1567. ad Proregem Alcalensium Ducem, atque ab hoc ad Regem Philippum II. die 3. Novembris, qui rescripsit die 17. Iulii, et 18. Novemb. 1569. servandum ea in re solitum fore, Chioccarell. *to. 17. Arch. tit. 3.* Simul ex responso Cardinalis Granuelae Proregis dato die 31. Martii 1572. ad eumdem Regem super articulis controversiarum propositis a duobus Legatis apostolicis, apud *cit.* Chioccarell. *to. 14.*

decisio ex eo pendeat articulo, utrum sit patronatus feudo adnexus, an non. Secus ergo in aliis ex tacita, sed certa Concordatorum sententia: ubi qualitas patronatus feudalis indubia sit, et liqueat ad hunc, illumve feudi possessorem, et usufructuarium pertinere ius praesentandi ex fundatione, ac dotatione, aut longaeva quasi possessione. Itaque si quaestio solummodo sit inter praesentatos a pluribus, feudum iure Langobardorum in hereditarias quotas divisum possidentibus, et ob discordiam in praesentando vota sua dispertitis, vel inter duos ab uno, eodemque patrono feudatario praesentatos, aut cumulante novam, aut variante priorem nominationem: uter eorum sit in beneficio instituendus ex potiori praesentantium iure, aut ex qualitatibus in fundatione praescriptis, aut ex meritis personae maioribus, id consuevit iudicio tantum ecclesiastico definiri (1). In his enim caussis nullum feudi ius controvertitur, quod oporteat directo ipsius domino Regi sua in regia Curia cognoscere, ac tueri. Nam regia feudorum proprietas, eorumque futura ad Regem devolutio efficit, ut de patronatibus cuilibet feudo adnexis instar patronatuum regiorum ipsa Regis Curia sueverit iudicium exercere, sibique vindicare (2).

XXIV. Tertio demum ab ecclesiasticis Curiis adimunt, excipiuntque Concordata eas tantum caussas aliorum patronatuum laicorum, in quibus agitur *de universitate bonorum.* Itaque si quis, ex. gr. universum patrimonium suum, aut hereditatem reliquerit in dotem Ecclesiae, aut beneficii cum reservatione iurispatronatus, aut sit heres universalis, non particularis declarandus, qui successionem ad patronatum simul atque ad hereditatem postulaverit; et quotiescumque patronatum adnexum alicui universitati bonorum nequiverit sine ipsa bonorum universitate adipisci: debent ii, quorum interest, illud laicum tribunal adire, ad quod pertinet, aut ubi pendeat iudicium principale universitatis bonorum. Nam iure decretalium patronatus quum transeat cum universitate bonorum (3): leges iubent, ut quaestio principalis iudici laico definien-

(1) Alexander III. in *cap. ex litteris 7. de iurepatr.* Willelmi cuiusdam militis, qui villam, seu feudum conduxerat ad firmam *non excepto iurepatronatus* ei adnexo, probavit praesentationem a Monasterio de Winton controversam. Idemque Pontifex in *cap. cum saeculum 13. eod. tit.* Hospitalariis prohibuit, *ne quum ratione* feudorum *emptorum, aliterve adquisitorum, vel etiam alio modo* iuspatronatus *in Ecclesiis parochialibus adquisivissent: Episcopo ius parochiale* minuerent. Innocentius III. in *cap. cum Bertoldus 18. de sent.*, *et re iudic.* quaestionem super iure praesentandi motam inter Bertoldum militem Curiae seu villae, ut Gonsalez inibi exponit, feudatarium, et Peregrinum, cui eam ipse oppignoraverat, contendenti patronatum ad se cum universitate feudi transisse, definivit.

(2) Cardinalis Granuela Prorex praevia Collateralis Consilii consultatione ad Regem Philippum II. die 31. Martii 1572. haec inter alia respondit super querelis Legatorum Sedis Apostolicae ad *cap. 9. sess. 25.* Tridentinae reformationis pertinentia. *Quei, che chiamano iuspadronati de'Baroni, considerandosi la sostanza del negozio, sono iuspadronati di V. M. perchè s'ineludono nella università del feudo, col quale vanno per disposizione di ragion canonica*, apud B. Chioccarell. *to. 14. arch.* Confer huc dicta superius *tit. VI. num.* 2.

(3) Innoc. III. in *cit. cap. cum Bertoldus 18. de sent.*, *et re iudic.* Fagnan. in *cit. cap. ex litteris 7. de iurepatr. num. 4.*

da super bonis universis ad forum eius etiam simul attrahat incidentem, aut emergentem patronatus litem (1), ne lites frustra multiplicentur, utque discordia vitetur iudiciorum, eventura facile, si unus de principali bonorum universitate, alius de consequenti patronatus adhaesione iudicarent.

XXV. At *bonorum appellatio, sicut hereditatis, universitatem quamdam, ac ius successionis, et non singulas res demonstrat* (2). Res ergo singulae, puta praedia ex legato, aliove titulo particulari quaesita, quia universitatem revera non habent, iudicium de patronatu dubio, utrum sit illis, an non adnexus, ad forum laicum non pertrahunt. Id quod regio iam rescripto definitum est die 26. Octobris 1757. in caussa iurispatronatus beneficii ecclesiastici, quod D. Isabella de Franchis fundaverat in rurali Capella SS. Trinitatis Dioecesis Neapolitanae, inter Melissani Principem universalem familiae de Franchis successorem, et Tocci Ducem Franciscum Pinellium, ruris, praediique, in quo ea est Capella, possessorem ex particulari legato Hieronymi de Franchis Ducis Longani, familiae suae postremi (3): *Si quis vendat fundum*, scribit Fagnanus, *vel palatium, intra cuius fines Ecclesiam habeat, numquid iuspatronatus transeat in emptorem? Non* respondet: *quia iuspatronatus titulo venditionis transferri non potest, nisi cum* universitate: fundus *autem, vel* palatium *non est* universitas (4).

(1) Ex *l. 1.* C. *de ordine iudicior. et l. quoties 3. C. de iudiciis.*

(2) Ulp. in *l. bonorum 208. D. de verb. signif.*

(3) En verba rescripti: *In vista de'ricorsi rispettivamente umiliati dal Principe di Melissano, e dal Duca di Tocco circa la pertinenza giuridica tra dette parti controvertita del* padronato *del beneficio fondato dalla fu Isabella de Franchis nella Cappella della SS. Trinità situata nella sua massaria detta* la Scampia, *e in risulta delle varie rappresentanze fatte su tale assunto, il Re ha sapute le circostanze particolari di questa dipendenza, e che si tratta unicamente della pura, ed assoluta pertinenza d' un vero* padronato *personale familiare nella sua origine,* e lasciato *dall' ultimo maschio della famiglia con* titolo particolare di legato, *senza esservi alcuna lite sopra* l' università *dei beni, e sopra alcun* fondo particolare, *a cui siasi quel* padronato annesso *dalla sua prima fondazione. Perciò la M. S. si è servita di determinare, che debbano le sopradette parti interessate ogni loro rispettiva ragione sulla cennata legittima pertinenza del* padronato *medesimo privativamente dedurre ne'tribunali* competenti ecclesiastici *per la dovuta providenza di giustizia. D' ordine sovrano lo significo a V. S. Illustriss., affinchè disponga, che il Consiglio lo sappia, ed eseguisca questa sovrana determinazione. Portici 26. Ottobre 1756. Bernardo Tanucci. Al Sig. Marchese Danza Presidente del Consiglio.* Idipsum iisdem verbis nunciatum dein fuit Archiepiscopali Curiae Neapolitanae alio rescripto die 28. eiusdem mensis, et anni. Haec enim anno 1740. auditis duabus partibus quum definivisset istud iuspatronatus ad Melissani Principem uti heredem pertinere: obstitit decretum S. Regii Consilii die 27. Ian. 1756., regio rescripto mox abrogatum, quod declaravit idemmet iuspatronatus ad Tocci Ducem spectavisse, ac spectare, uti possessorem ruris, quamvis nulla de illo praedio lis penderet inibi, nec de universali successione bonorum familiae de Franchis.

(4) Fagnan. in *cap. ex litteris 7. de iurep. num. 19.*, ubi pro hac sententia laudat Innoc. Hostiens. Io. Andr. Abbatem, Rochum de Curte, Lambertinum, Baldum, Rotam, ceteros. Huc spectat Pauli iurec. responsum in *l. si mercedem 53. D. de actionibus empti*, et glossa Gothofredi, *ibi verb. sepulchrum.*

XXVI. Sunt autem praeter haereditates patrimonia, et praedia, instar feudorum quamdam constituentia bonorum universitatem, et patronatus beneficiorum adnexos habentia ex lege fundationis expressa, qui dicuntur idcirco *reales*: quia transeunt fere ad possessorem patrimonii, praediive, cui adhaerent (1). *Cum fundus nominatim legatus sit, si quid ei post testamentum factum* adiectum *est, id quoque legato cedit, etiamsi illa verba adiecta non sint, qui meus erit: si modo testator eam partem non separatim possedit, sed* universitati *prioris fundi adiunxit*, ex responso Iureconsulti Iavoleni (2). *Fundi appellatione*, addit Florentinus (3), *omne aedificium, et omnis ager continetur: idemque ager cum aedificio fundus dicitur.* Et Ulpianus, *fundus*, ait, *integrum aliquid est* (4). Nam S. Isidorus Hispalensis *fundum dici* monet, *quod in eo fundetur, et stabiliatur patrimonium* (5). Quum non raro contingat universitatem ut personarum, ita bonorum redire ad unum (6), si cui specialim fundo, aut domui, aut villae fundator beneficii, Ecclesiaeve maluerit patronatum realem addere, atque adnectere, exclusis ab eo personis ad universam eius haereditatem successuris: tunc idcirco patronatus eiusmodi iure accessionis transibit cum ea, quamvis minori universitate fundi, aut domus, aut villae (7). Exinde consequitur, quoties in foro laico lis pendeat principalis, ac tractetur de controversia eiusmodi fundi, vel domus, villaeve universitate, inibi de patronatu etiam accessorio fieri iudicium. Secus erit, ubi nulla super eo fundo, eiusque universitate versetur controversia coram laico iudice: tunc porro hunc non licebit pro solo Ecclesiae patronatu iudicando adire, qui sane in causis omnibus a primaria quaestione de universitate profana bonorum seiunctis pertinet ad iudicium ecclesiasticum ex recitatis regii rescripti verbis genuinum Concordatorum sensum explicantibus.

XXVII. Inter beneficiarias fori ecclesiastici caussas illae non adnumerantur, in quibus agitur de Capellaniis mere laicis, legatisve piis, et beneficiis profanis: cuiusmodi sunt, quae a laicis patronis conferuntur sine litteris bullatis Episcopi dioecesani, aut Sedis Apostolicae, quotiescumque fundata sint sine ullo Episcopi adsensu, et fundatores aut expresse, aut tacite noluerint ea conferri per canonicam institutionem.

(1) Ex dictis iam in *tract. de iurepatr. cap. III. num. XI., et cap. XIV. num. VII., et seq.*

(2) Iavolen. in *l. cum fundus 10. D. de legatis 2.*

(3) Florentin. in *l. fundi 211. D. de verb. signif.*

(4) Ulpian. in *l. locus 60. D. eodem tit.*

(5) S. Isid. apud Gothofred. in verb. *modicus locus.*

(6) Ulpianus in *l. sicut 7. in fine D. quod cuiusque universitatis nomine* id exponit inquiens. *Si* universitas *ad* unum *redit, magis admittitur, posse eum convenire, et conveniri, cum ius omnium in* unum *reciderit, et stet nomen* universitatis. Idemque in *l. 8., et 10. D. quibus modis usufructus, vel usus amittitur* docet: *Fundi usufructu legato, si villa diruta sit, usufructus non extinguetur: quia villa* fundi accessio *est. . . .* Quid *tamen si fundus villae fuit accessio? et idem dicendum est, ut non extinguatur*

(7) Ex *cit. cap. ex litteris 7., et cap. cum saeculum 13. de iurepatr., et cap. cum Bertoldus 18. de sent., et re iudic.*

Explorati enim iuris est pias eiusmodi fundationes Capellaniarum, et beneficiorum non sortiri naturam beneficii ecclesiastici: nisi postquam ad preces vel viventis fundatoris, vel pro exequenda eiusdem defuncti voluntate Ordinarius loci suo probaverit assensu fundationem, eodemque tempore Capellaniam, beneficiumque in titulum ecclesiastici beneficii erexerit (1), quo exinde bona dotalia evadunt ecclesiastica, et sacro usui rite dicata. Iudex idcirco laicus tam in petitorio, quam in possessorio de legatis piis, et Capellaniis laicis cognitionem habet, earumque bonis, et redditibus tamquam profanis, quamvis pios in usus addictis. Vix onera Missarum, aliave id genus, quae spiritualia sunt, ad forum episcopalem pertinent, cuius interest Capellanos clericos ad ea implenda compellere (2). Laicos vero patronos ea in re negligentes iudex laicus tantum cogit (3).

XXVIII. Appendices ad patronatus Ecclesiarum sunt sepulcra, et iura funerum. Inter honorifica enim iura, quibus fundatores et patroni fruuntur, Doctores accensent sepulcrum in loco intra Ecclesiam digniori (4). Sepulcra quidem loca esse religiosa extra urbem (5), locumque sepulturae destinatum, statim ac in eo esset corpus humatum, fieri tunc apud paganos religiosum Ulpianus cum Celso censuit (6): adeo ut humana semel ossa inde sine decreto Pontificum, seu iussu Principis eruere, aut effodere liceret nemini (7), nec opus reficere (8), nec

(1) Ex iam dictis in *tract. de Beneficiis cap. II. num VI.*, *et cap. III. num. VI.*

(2) Ex Panormitani sententia in *cap. Ioannes de testam. n. 7.*, usu recepta.

(3) Ex lege Concordatorum *cap. 9. art. 10.*, data vix est Tribunali Mixto facultas excitandi iurisdictionem laici fori competentis in laicos ecclesiastici in clericos pia opera, et legata exequi negligentes.

(4) Gl. in *cap. 1. de iurepatr. verb. item istud*, Zypaeus *resp. 3. de iurep. num. 9.* Wan-Espen *par. 2. tit. 25. n. 10.* Videsis quae dicta sunt in *tract. de iurepatr. cap. II. num. VIII.*

(5) Lex XII. tabularum, *hominem mortuum*, inquit, *in urbe*, *ne sepelito*, *neque urito.* Extra portam Exquilianam communia Romanorum sepulcreta tradit Horatius *lib. 1. sermonum satyra 8. Huc prius angustis eiecta cadavera cellis. Conservus vili portanda locabat in arca. Nunc licet Exquiliis habitare salubribus.* A Tullio insuper *Tusculan. quaest. 5.* fertur fuisse *ad portas Agraganias magna frequentia sepulcrorum.* Eusebius in *chron.* tradit quod Traianus *solus omnium intra urbem sepultus est*, collocatis in urna aurea ossibus, quam in foro sub columna posuere. Antoninis imperantibus morem cremandi cadavera desiisse ferunt, suadentibus, ut verosimile videtur, christicolis.

(6) Ulp. in *l. locum 2. de relig. et sumptibus funer.*

(7) Idem iurec. in *l. ossa 8. D. eod. tit.* Commodi Imperatoris cadaver erui e sepulcro iussit Cingius Severus Pontifex una cum collegio Pontificum, teste Lampridio, qui haec de Commodo scribit. *Cingius Severus dixit: iniuste sepultus est, quia Pontifex dico, hoc Collegium Pontificum dicit.* Huc spectat ea veteris monumenti inscriptio apud Io. Scaligerum *lib. 1. Ausonianar. lect. cap. 12. Reliquiae traiectae ex permissu Collegii Pontificum piaculo facto.*

(8) Ulp. in *l. si in eo 5.*, *et ult. D. de mortuo inserendo* ait: *Sed si* religiosus *locus iam factus sit, Pontifices explorare debere, quatenus salva religione desiderio reficiendi operis medendum sit.* Hunc textum adeo sapienter illustravit vir clarissimus Alexius Symm. Mazochius in celeberrima epistola *de dedicatione sub ascia cap. 4.*, adeo apte, ut nihil supra.

aliud quidpiam attentare (1), ne religio, quae locum semel iam occupaverat, violaretur (2). Sacro Ecclesiarum, et monasteriorum ambitu, quo ex agris tandem transiere sepulcreta fidelium, facta ea sunt multo religiosiora (3). Ad Episcopos idcirco, et Pontifices olim delata ecclesiasticae sepulturae politia, et iurisdictio, eam vel dignis fidelibus concedentes prope, aut intra Ecclesiam, vel indignis, et impoenitentibus denegantes (4): tametsi novo iure decretalium cunctis generatim fidelibus usque adeo patuit ecclesiastica sepultura, ut alio in loco, minus

(1) Impp. Diocl., et Maximian. in *l. monumenta 14. C. de legatis* inhibent idcirco libertatem cuique sua legandi sepulcra.

(2) Idem in *l. 1. §. 6. D. de mortuo inferendo*, et *l. 2. C. Th. de sepulcro violato.*

(3) Quoadusque prioribus Ecclesiae saeculis cogebantur Christiani, salva fide, leges, moresque gentilium, vel Iudaeorum sectari, extra urbes ii etiam sepulti sunt. Constantinus M. primus omnium sibimet in atrio, et vestibulo Constantinopolitanae basilicae SS. Apostolorum ab ipso aedificatae sepulcrum extruxit, ut narrat Eusebius in eius vita *lib. 4. cap. 60*: ubi et Theodosium, et Honorium Impp. quoque sibi sepulturas destinasse tradunt B. Chrysostomus *hom. 26. in ep. 2. ad Corinth.* Eugarius, Nicephorus, Sozomenus, Spondanus *lib. 1. de coemeteriis part. 3. cap. 14. num. 4.* Anastasius bibliothecarius *in vita S. Marcelli Papae, et martyris*, qui sedit ineunte saeculo IV., fert ipsum Pontificem *constituisse in urbe viginti quinque titulos*, idest Ecclesias, *propter Baptismum, et poenitentiam eorum qui converterentur ex paganis, et propter sepulturam martyrum.* Propterea quod Ecclesiae persecutores, uti praedixit David *psalm. 75. vers. 2., effuderunt sanguinem eorum sicut aquam, et non erat qui sepeliret.* Nondum ergo indulgebatur cunctis fidelibus tunc intra Ecclesiam sepultura, quae sensim exinde usu invaluit IV., et V. saeculo B. Ambrosius Satyrum fratrem suum prope S. Victoris martyris sepulcrum humasse in eius epithaphio testatur. Idemque in *conc. 6. de Sanctis* ait: *Ideo hoc a maioribus provisum est, ut Sanctorum ossibus nostra sociemus, ut dum illos tartarus metuit, nos poena non tangat... et sicut eis ossibus parentum nostrorum iungimur, ita et eis fidei imitatione iungemur.* Contestis hac in re S. Augustinus in *can. non aestimemus 19. C. 13. qu. 2.* inquit: *Quod vero quisque apud memoriam martyrum sepelitur, hoc tantum mihi videtur prodesse defuncto, ut commendans eum etiam martyrum patrocinio affectus pro illo supplicationis augeatur.*

(4) Sexto saeculo Pelagius II. Papa decrevit, *ut corpora defunctorum nullo modo intra basilicam sepeliantur: sed si necesse est, foris circa murum basilicae.* Idipsum iisdem verbis vetitum a Concilio Bracarensi *1. can. 28.* hanc addens rationem: *nam si firmissimum hoc privilegium usque nunc manet civitatis, ut nullo modo intra ambitus murorum cuiuslibet defuncti corpus humetur: quanto magis hoc venerabilium martyrum reverentia debet obtinere?* Martinus Papa in Concilio Bracarensi II. an. 572. monuit non oportere clericos *super monumenta* fidelium defunctorum *in campum ministeria portare, aut distribuere Sacramenta: sed aut in Ecclesia, aut in Basilica, ubi martyrum reliquiae sunt depositae, can. non oportet 29. de cons. dist. 1.* Saeculo VII. Synodus Nannetensis *can. 6.* statuit, ne quis intra Ecclesiam sepeliatur, sed in atrio, vel porticu, aut extra in contiguo loco. Hincmarus Archiep. Rhemensis *cap. 12.* inter dioecesana, quae edidit anno 852., capitula, iussit, *ut nemo presbyterorum quemquam in Ecclesia sepeliat sine consultu Episcopi.* Nono saeculo Synodus Arelatensis VI. *can. 12.*, Carolo M. imperante, honorem sepulturae ecclesiasticae iis tantum indulsit, qui eam probitate morum, et chri-

religioso electa improbetur (1). Ecclesiastico enim iudicio sicuti suspensis in patibulo, et furibus, latronibusque in actu praedandi laethaliter vulneratis, ceteris publicis peccatoribus, qui sacramentalem, antequam obirent, acceperint absolutionem (2), nec non improvisa morte abreptis (3) indulgetur sepultura ecclesiastica: ita vicissim denegatur voluntariam sibi necem inferentibus, et publicis peccatoribus, et manifestis usurariis, haereticis, et excommunicatis absque poenitentia obeuntibus (4). Episcopi etiam iudicant de controversa electione sepulturae in Ecclesiis tam Regularium (5), quam Cleri saecularis, definiuntque, utrum de-

stianis virtutibus promeruissent. Tum saeculo IX. Concilium Moguntinum I. in *can. nullus 18. C. 13. qu. 2.*, *nullus*, ait, *mortuus intra Ecclesiam sepeliatur*, *nisi Episcopi*, *aut Abbates*, *aut digni presbyteri*, *vel fideles laici*. Et Synodus Agrippinensis seu Coloniensis eodem saeculo sanxit, ne ubi cadavera infidelium sepelirentur, Ecclesia consecraretur: nec Missas in ea celebrari, nisi tantum fideles inibi sepulti sint, *can. Ecclesiam 28. de cons. dist. 1.* Decimo saeculo Atto Vercellensis Episcopus *in Capitulare canonum cap. 23.* in Ecclesia sepeliri neminem cavit, *nisi forte talis sit persona Sacerdotis*, *aut cuiuslibet iusti hominis*, *qui per vitae meritum talem vivendo locum suo corpori defuncto adquisivit*. Hugo Dunalmensis Episcopus quum visitans dioecesim inspexisset in quodam monasterio tumulum serico velatum, et lampadibus accensis circumdatum Rosimundae Henrici II. Regis Anglorum concubinae: *tollite eam hinc*, iussit, *quia scortum fuit, et sepellite eam extra Ecclesiam cum ceteris*, *ne christiana Religio vilescat*, ex relatis a Rogerio Hovedeno in vita Richardi I. ad an. 1191., et Alsaserra *lib. 6. de iurisd. eccl. cap. 13.*

(1) Innoc. II. ad Ianuensem Episcopum in *cap. fraternitatem 3. de sepulturis*, quod falso inscriptum Innocentio III. monet Gonzalez *ibidem* ex prima decretalium compilatione, rescripsit: *Mortuorum sepulturas, et coemeteria apud illas* Ecclesias, *et* monasteria *ex antiquo esse disposita*, *in quibus religiosorum fratrum conventus sunt constituti, et orationes, atque Missarum solemnia tam pro vivis*, *quam pro defunctis frequentius celebrantur: unde ipsorum devotioni*, *et extremae voluntati*, *qui apud huiusmodi Ecclesias sepeliri desiderant*, *minime contradicendum est. Qui vero relictis antiquis Ecclesiis, et patrum*, *aliorumque parentum suorum sepulcris contra consuetudinem Patrum veteris Testamenti*, *qui cum patribus suis sepulti esse leguntur, ad minus* religiosa *loca se transferunt*, *irrationabiliter, et contra antiquam institutionem facere videntur*. Neapolitana Synodus Provincialis Card. Cantelmi *tit. 2. cap. 4. num. 12.*, *et ult.* decrevit sub poena interdicti, et excommunicationis, ut sanctio S. Pii V. *cum primum* servetur, vetans, ne cadaverum conditoria parietibus Ecclesiarum, Capellarumve adhaereant: simul ad arbitrium Ordinarii, ut puniantur, qui pro sepeliendis corporibus pavimenta Ecclesiarum, aut sacristiarum scindi sine permissu Ordinarii gratis concedendo consenserint: aut interdicto Ecclesia subiiciatur, id si laici attentaverint.

(2) Conc. Moguntin. II. sub Rabano in *can. quaesitum 50.*, et *can. latrones 31. C. 13. qu. 2.*, et Greg. IX. in *cap. parochiano tuo 15.*, *et ult. de sepulturis*.

(3) Innoc. III. in *cap. ex parte 11. de sepulturis*.

(4) Idem in *cap. sacris est 12. cod. tit. cap. quia de usuris*, *cap. sicut de haereticis*.

(5) Intra Ecclesiam Regularium sepulturam eligere olim prohibitum fert Gratianus ex Nicaena Synodo in *can. placuit 1. C. 16. qu. 1.*, quem canonem Romani Correctores monent in duabus Nicaenis Synodis non reperiri, sed tantum in Codice Arabico Nicaenorum canonum. Id nihilominus indulsit ex privilegio

functus debeat in sepulcro maiorum tumulari, an ubi lares habuit suos, et suevit Sacramenta percipere, decimasque solvere (1), an in Ecclesia sibi electa (2), vel quam parens elegerit pro natu minoribus, aut dominus pro servo (3), posthabita domicilii Parochia, an valeat alieno arbitrio mandata electio (4), et satis, an constet electio alibi optata extra Parochiam (5). Ipsorum quoque Praesulum est prohibere funebre carmen, et praeficarum eiulatus (6), tempus efferendis, humandisque defunctis aptum designare (7), usum Crucis parochialis, aliusve Ecclesiae (8), presbyteros, et clericos funera sociantes a turpi quaestu, aliisve abusibus cohibere (9), simul quaestiones de iuribus funerariis

B. Gregorius M. in *can. Agapitus 13. eadem C., et qu.*, tum saeculo VII. iterum vetuit Eugenius Papa in *can. placuit 8. ead. C., et qu.* Iustinianus ne ad monasteria virginum deferrentur cadavera virorum imperavit, *Nov. 133. cap. 3.* At novae disciplinae canonibus, et legibus data cuique facultas est eligendi etiam in monasteriorum Ecclesiis, et coemeteriis sepulturam.

(1) Ex decretis Concilii contra Donatistas habiti a Melchiade Papa seculo IV. ineunte in *can. placuit 7. C. 13. qu. 2.*, et Triburiensi in *can. ubicumque 6. ead. C. et qu.*

(2) Ob arbitrium electionis cuique datum a Paschali II. in *cap. 2. de sepult. in prima compil.* Leone III. in *cap. nos instituta 1.*, Alexandro III. in Conc. Lateran. *cap. fraternitatem 3.*, et *cap. cum liberum sit 6.*, Lucio III. in *cap. de uxore 7. de sepulturis:* dummodo iura non fraudentur parochialia, *cap. cum super 8. eod. tit. cap. cum quis §. si quis eod. tit. in VI.*

(3) Luc. III. in *cit. cap. de uxore 7. utrum autem pater, et cap. licet eod. tit. in 6.*

(4) M. A. Genuensis in *prax. Cur. Archiep. Neap. cap. 76. n. 2.*

(5) Neapolitana Synodus provincialis Card. Cantelmi *tit. de sepulturis* eiusmodi electionem probari monet vel testimonio Confessarii, aut aliorum testium idoneorum, aut testamento. Guid. Papa *dec. 594.* plenam hac in re fidem habet testibus etiam singularibus.

(6) Anastas. Papa in *can. habent 27.*, et Synod. Tolet. III. in *can. qui divina 28. C. 12. qu. 2.* Nam Apostolus *de dormientibus nolo*, ait, *vos contristari, sicut ceteri, qui spem non habent, 1. ad Thessalonic. cap. 4.*

(7) Neap. Synod. Prov. *loc. cit. num. 6., et 7.*, vetat deferri ad Ecclesias cadavera ante solis ortum, et post occasum, absque licentia Ordinarii; tum in sepultura condi, nisi post duodecim horas a naturali obitu, et post viginti quatuor a repentinis mortibus elapsas ad formam Ritualis Romani.

(8) Eadem Neap. Synodus *num. 3.*, presbyteros funera ducentes absque parochiali Cruce ad mulctam ducatorum centum damnat in pios usus applicandam, Ecclesiasque Regularium, ad quas deferantur, interdicto facit obnoxias.

(9) Priscis canonibus, novisque decretalibus exactiones pecuniarum pro sepultura omnino vetitas esse liquet ex B. Hieronymo in *can. postquam 13.*, et Synodo Triburiensi in *can. in ecclesiastico 14. C. 13. qu. 2.*, Honor. III. in *cap. abolendae consuetudinis 13. de sepulturis*, ibique Gonzalez multa et Synodorum, et Pontificum decreta congerit. Attamen hac in ipsa decretali Pontifex iniungit *laicis, ut laudabilem consuetudinem erga Dei Ecclesiam pia devotione fidelium introductam observent, ne fermento haereticae pravitatis illam corrumpere videantur sub praetextu ecclesiasticae puritatis.* Concilium quoque Lateranense in *cap. ad apostolicam 42. de simonia* super exequiis mortuorum *pravas exactiones* fieri prohibet, *pias consuetudines* praecipit observari. Rituale Romanum insuper statuit, *ut Parochi, aliique Sacerdotes iis eleemosynis contenti sint, quae aut probata consuetudine dari solent, aut Ordinarius constituerit.*

*

distribuendis inter Ecclesias mutuo contendentes, vel inter Parochum, et Clerum sociantem, aut Ecclesiam, quo funus ducitur, aut mensam episcopalem dirimere (1). In his ergo caussis mortuariis, et funerum, et sepulcrorum notionem habet forus ecclesiasticus (2).

XXIX. At laicos ad consuela funerum iura persolvenda in foro ecclesiastico pulsari non patiuntur hodierni mores huius etiam regni (3): quum actio funeraria in laicos personalis, et pecuniaria videatur laicam fori saecularis auctoritatem iure postulare. In oblationibus funerariis consuetudinem, et cuiusque loci statuta fore servanda iam innui. *Cessante particulari consuetudine*, monet Wan-Espen (4), *aut privilegio, aliove titulo, oblationes hae funerariae, tamquam iura pastoralia spectant ad illos, quibus alia iura pastoralia competunt. . . Et sicuti decimarum solutio in sua origine voluntaria sensim in necessitatem versa est: ita et circa has funerarias oblationes contingit.* Quoties autem sint laici ad solutionem, sive decimarum, sive oblationum, iuriumque funeralium cogendi: oportet saeculares tunc iudices adire (5). Idcirco Principem Lequilae renuentem dioecesano Episcopo Lyciensi dare equum, lectum, cetera praedefuncti Principis patris mortuaria ad formam consuetudinis, in ius vocaturus adiit procurator Episcopi regiam Cameram Summariae: quae die 18. Maii 1726. de voto regii Fisci caussam remisit iudicandam regio Consilio S. Clarae, quum ea nullam rei feudalis, aut fiscalis mixturam haberet. Et ubi id postulent Episcopi regiae nominationis: caussae notio tunc ad regiam Curiam Capellani Maioris mandari ab Rege consuevit quum in petitorio, tum possessorio,

(1) Honorius III. Episcopo Assisinati quartam mortuariorum adiudicat in *cap. conquerente 16. de offic. ordin.* Quam Clemens III. ex regionis consuetudine quandoque tertiam, quandoque mediam partem fore censuit in *cap. certificari 9. de sepultur.* Bonifacius VIII. dividendam inter duas Ecclesias parochiales, ubi defunctus duo habuerit simul domicilia, canonicam portionem statuit, in *cap. cum quis 2. de sepult. in VI.* Clemens V. Regulares ad solvendam Parocho quartam funerariam, et non ultra pro funeribus, quae suis in Ecclesiis celebrentur, cogit, *cap. dudum 2. de sepulturis* §. *verum* in Clementinis. Id quod antea caverat Bonifacius VIII. in Extravag. *super cathedram 2. de sepulturis* §. *verum.* Denique Tridentinum *sess. 25. de reform. cap. 13.* quartas funerum cathedrali, aut parochiali Ecclesiae solvi solitas nullo Ecclesiarum, monasteriorumque privilegio abrogari.

(2) Ex Panormitani sententia, qui generatim loquitur de funeribus, monumentis, et mortuariis, in *cap. quanto de iudiciis.* Concordata superius dicta inter Carolum V. Imp., et Leodiensem Episcopus ius funerandi caussis itidem ecclesiasticis accensent.

(3) Rebuff. *in quib. casib. iud. saecul. num. 6.* scribit laicos pro iustis funerum exolvendis ex laudabili consuetudine in foro episcopali conveniri debere. Hinc Altaserra *lib. 6. de iurisd. eccl. cap. 13.*, conqueritur aevo suo priscum Galliae morem ea in re abrogatum regia constitutione *an. 1539.* exolevisse.

(4) Wan-Espen *par. 2. tit. 38. de sepulturis num. 36., et 50.*

(5) Beatus Rhenanus *lib. 2. Germanar. rer.* scribit hoc in multis Germaniae locis institutum usu vigere, ut Abbates potissimum ex mortui cuiusque patris familias stabulo equum praestantissimum, aut ex armario vestem abripiant pretiosissimam.

audito etiam Fisci Patrono regalis patrimonii, cuius interest iura Episcopatuum regiorum tueri (1).

XXX. Pompa quoque nimia exequiarum in comitatu ampliori quum saecularis Cleri, tum confratrum, in multiplici sumptum cereorum, in apparatu Ecclesiae, domus, feretri, culcitrae, vestium sepulcralium (2) ansam iurgiis, et funerariis querelis praebet longissimam. *Curatio funeris, conditio sepulturae, pompa exequiarum magis sunt vivorum solatia, quam subsidia mortuorum*, inquit S. Augustinus (3): monens ea ob id instituta, ut nostram resurrectionis futurae fidem, atque spem excitent, et foveant, nosque ad officia humanitatis extimulent. Recentioribus litteris Delegati regiae iurisdictionis provisum regnicolis est, ut salvo iure Parochorum liceat haeredibus ad funera ducenda, et celebranda vocare arbitratu suo quos ipsi maluerint de Clero tam saeculari, quam regulari, aut de confratribus laicis, et cum eis pacisci mercedem laboris: ne quis ultra vires, aut invitus cogatur comitatum Capituli, et Cleri ferre sumptuosiorem. Civibus autem, incolisque Neapolitanis prospexit regalis Camera S. Clarae, quae taxationem fune-

(1) Ut multa, quae prostant in Curia Capell. Maior. acta sileam, id speciatim rescripsit Rex Carolus die 1. Novembris 1745. ad Coelestinum Galianum Archiepiscopum Thessalonicensem Capellanum Maiorem in caussa Hydruntini Archiepiscopi contra Baronem Starneziae Marchionem Granafaci super controverso iure funerario lecti, equi, aliarumque rerum haereditatis singulorum illius dioecesis Baronum obeuntium.

(2) Expilationes exuviarum sepulcralium, studiosaeque investigationes ut olim, ita nunc patefaciunt sumptuosus cadaverum cultus. Hoc mulieris testantis iussum fert Scaevola in *l. modico 40.*, *et ult. §. 2. D. de auro, argento, mundo, ornamentis legatis. Funerari me arbitrio viri mei volo, et inferri mihi quaecumque sepulturae meae caussa feram ex ornamentis, lineas duas ex margaritis, et viriolas ex smaragdis.* Idcirco lex Iulia cavit, *ne quis ex pecunia religiosa auferat, neve intercipiat*, Ulp. in *l. 1. D. ad legem Iuliam peculatus, et de sacrilegis.* Principes dein successores quum pecuniam sepeliri vetassent, Marcianus tradit in *l. 4. §. 6. D eodem*, inquiens: *Non fuit locus religiosus, ubi thesaurus invenitur: nam etsi in monumento inventus fuerit, non quasi religiosus, tollitur: quod enim sepelire quis prohibetur, id religiosum facere non potest: at pecunia sepelire non potest, ut et mandatis principalibus cavetur.* Ad Christianorum quoque sepulcra alicubi, et quandoque transiit cultus eiusmodi S. Gregorius Turonensis ad annum 590. scribit consanguineam Reginae Brunichildis mortuam sine filiis in basilica urbis Methensis fuisse *cum ornamentis grandibus, et multo auro* sepultam. Gothos consuevisse *cum thesauris, et opibus suis cadavera humare*, ostendit D. Fontanini. Ex legibus Langobardis latrocinia, et spolia sepulcrorum punientibus arguitur apud eos etiam usus eiusmodi viguisse. Durandus *lib. 7. Rational. cap. 33. num. 4.*, qui XIV. saeculo floruit, de tumulandis fidelium corporibus loquens, *nec debent indui*, ait, *vestibus communibus, prout in Italia fit. Et ut quidam dicunt, debent habere caligas circa tibias, et sotulare in pedibus, ut per hoc ipsos esse paratos ad iudicium repraesentetur.* Alii more Iudaico involvunt in syndone defuncta corpora, et condunt in religiosa humo coemeteriorum, quae sunt revera dormitoria nostra, unde angelicae tubae sono resurrecturi sumus.

(3) S. Aug. *lib. 1. de Civ. Dei cap. 12.*, idemque in *can. non aestimemus 19. C. 13. qu. 2.*

brium expensarum reformatam edixit die 15. Augusti 1738; dein confirmatam regia Pragmatica die 26. Aprilis 1754. (1).

XXXI. De rebus demum Ecclesiae alienandis, vel non iudicium foro tantum ecclesiastico vindicant canones quum veteris (2), tum novae disciplinae (3). Quae igitur bona, et iura temporalia semel quaesiverint, ac possideant Ecclesiae, beneficia, Capellae ecclesiasticae, aut Monasteria, eorumque vel clerici beneficiarii, vel Praesules administrant, quoties urgeat necessitas, vel evidens ipsius Ecclesiae, aut beneficii, et Monasterii utilitas postulaverint, ut ea quovis titulo alienentur, aut venditionis, aut permutationis, aut cessionis, aut emphyteusis, et locationis ad longum tempus ultra triennium, aut hypothecae, ac pignori ob acceptum, vel accipiendum aes alienum subiiciantur: oportet assensum ab Apostolica Sede obtinere (4). Haec autem solet, post notionem expositae necessitatis, aut utilitatis vel in ecclesiastico foro dioecesano, vel in S. Congregatione Cardinalium urbis habitam, vel pontificiis Datariae litteris assentiri, vel per S. Congregationem, ut saepius fit, rescribere, ut Episcopus loci Ordinarius praevia subhastatione, si cognoverit contractum expositum fore in evidentem Ecclesiae utilitatem cessurum, aut ex necessitate ineundum, eum auctoritate delegata permittat, et comprobet. Vix in alienandis modici pretii terrulis, vineolis, domunculis, quae scilicet non excedunt valorem scutorum quadraginta monetae Romanae ex recepta consuetudine plurima-

(1) Hanc luctus expensas, et tempus, et vestes moderantem Pragmaticam videsis integram apud Iosephum Sorge *to. 9. enucleat. cas. forens in fine.* Eiusmodi taxationem typis vulgari, et denuo imprimi ser. ser. indulsit eadem regalis Camera S. Clarae die 31. Martii 1756. apud acta mag. Io. Thomae Athanasii, in typographia Mutiorum. Ex ea constat, ut cetera sileam, consuevisse mutuo partium consensu pro singulis funeribus intra urbis districtam comitanti Collegio Hebdomadariorum Cathedralis Ecclesiae ducatos viginti, totidemque Capitulo Collegialis Ecclesiae S. Ioannis Maioris, Beneficiariis Parochiarum singularum, vulgo *fratanzari*, ducatos tres, et asses viginti quinque, Clero S. Eligii triginta octo presbyteris conflato carolenos triginta octo, Clero SS. Annunciatae carolenos quadraginta quinque, Clero Ecclesiae Spiritus Sancti carolenos triginta, Clero S. Iacobi carolenos quadraginta, Clero S. Annae Lombardorum carolenos viginti octo. Quamvis aequus sit inter omnes hosce Cleros numerus presbyterorum triginta octo, imparem tamen mercedem singuli ex pactis conventis, et arbitrariis, et mobilibus accipiunt.

(2) Gratianus tam ex Romana I. Synodo sub Symmacho in *can. bene quidem 1. dist. 96.*, quam *can. 22. ad 29. C. 16. qu. 7.* plures Conciliorum, et Pontificum sanctiones promit, interdicentes cunctis omnino laicis quamlibet facultatem administrandi, ac disponendi, aut dispensandi quovis titulo bona Ecclesiarum quaelibet, ac iura semel iis quaesita: praesertim cit. Synodi, Romana sub Symmacho Papa an. 501. in *can. 23.*, Hispalensis II. sub S. Isidoro an. 619. in *can. 22.*, Calixti, seu rectius Paschalis II. saec. XI. in *can. 25.* Id quod auctoritate imperiali communivit Iustinianus *Nov. 120. cap. 6.*

(3) Ex rubricis Decretalium, et Sexti, et Extrav. *de reb. Eccl. alien., vel non.*

(4) Ex constitutione Pauli II. in Extravag. *ambitiosa un. eod. tit.* Huic adde vinculum iuramenti, quo sigillatim Episcopi suam ante consecrationem spondent non alienare bona episcopalis mensae, iam relatum supra *lib. 1. tit. XX. de confirm., et consecr. Episc. num. XII.*

rum dioecesum regni, aut ducatorum centum ex peculiari stylo huius Archiepiscopalis Curiae Neapolitanae, licet nunc Episcopis auctoritate ordinaria, servatis tamen solemnibus, assentiri necessariis, aut proficuis alienationibus rerum, et iurium Ecclesiarum (1).

XXXII. Inter ecclesiastica iura sine adsensu vel pontificio, vel episcopali non alienanda accensetur *avocatio* pecuniae ecclesiasticae, quamvis consumptae a creditoribus communis debitoris vel posterioribus, vel potiora hypothecae iura non habentibus (2). Leges quum indulgeant Fisco pecuniam suam, vel debitoris sui solutam alteri creditori, et bona etiam fide consumptam auferre, atque avocare (3): fit exinde, ut Ecclesia etiam privilegio Fisci fruens valeat in eisdem casibus pecuniam avocare suam, vel iure dominii, ea si extet, vel iure hypothecae, ubi consumpta fuerit (4). Quoties idcirco pecunia ecclesiastica, solvitur ex gr. venditori, vel cuilibet cum Ecclesia contrahenti eo pacto, ut impendenda sit in emptionem frugiferam pro cautela evictionis, aut in satisfactionem aeris alieni ab ipsomet contrahente delegatam, quod pactum exprimi in versura publicarum cedularum Banci, vel instrumentis depositi consuevit: eam renuant sibi accipere, nisi Ecclesia suo avocationis iuri antea cum adsensu vel Romanae, vel dioecesanae Curiae rite renunciaverit.

XXXIII. Quae sunt de patronatu regio cum iure nominandi, aut praesentandi Ecclesiae, pro earum bonis ex necessitate, aut utilitate alienandis Praelati, et beneficiarii non modo adsensum vel pontificium, vel episcopalem, ut supra, sed regium debent itidem obtinere. Regis enim patroni, et defensoris officium est bona, et iura Ecclesiarum regiarum tueri speciatim, eorumque dissipationes propulsare. Quandoquidem si privatis Ecclesiarum patronis fas est suum eis ferre patrocinium apud iudices quum ordinarios, tum extraordinarios, et recursum simul ad Principem habere ad praeteritas revocandas, futurasque impediendas alienationes, quas ii inutiles, minusve necessarias, aut fraudulentas, et illegitimas dignoverint, aut contra fundationis legem attentatas (5): iure quidem potiori bona regiarum Ecclesiarum, inscio Rege, non sunt quovis titulo distrahenda (6). In Ecclesiis autem regiae collationis, ex recepto stylo autumant solum sufficere adsensum Regis.

(1) Ex recepta communiter sententia Concilii Agathensis in *can. terrulas 53. C. 12. qu. 2.*, quae hoc in casu Episcopo sine consilio fratrum distrahendi attribuit potestatem.

(2) Quoniam extravagans constitutio Pauli II. iam dicta *omne pactum*, quo vel *dominium*, vel *hypotheca* Ecclesiae distrahitur, prohibet et sine adsensu irritas pronunciat, ius avocandi pecuniam ecclesiasticam, ab hypothecae iure vel anterioris, vel potioris profluens, non immerito complecti ea putatur.

(3) Ex Papiniano Marcianus in *l. deferre 18. §. 10.*, Papin. in *l. denique 19. D. de iure fisci*, et Alex. Imp. in *l. pecunia 5. C. de privilegio fisci.*

(4) De isto avocationis iure fuso calamo scribit Regens de Marinis *to. 1. resol. iur. cap. 71.*

(5) Ex Conc. Tolet. IV. *can. constitutum 60. C. 16. qu. 1.*, et Conc. Tolet. IX. *can. filiis 31. eadem C. 16. qu. 7.*, qua de re dixi in *tract. de iurepatr. cap. 1. num. XXXVI., et cap. II. num. IX.*

(6) Adsensum regium in eiusmodi alienationibus regiarum Ecclesiarum in

XXXIV. Bona *Extauritarum*, quo nostri vocabulo generatim Ecclesias, Capellas, Oratoria confratrum, hospitalia, loca quaelibet pia ab laicis administratoribus gubernata nuncupant, quum in manus, et possessionem clericorum non transiverint, nec episcopali auctoritate sint sacris Ecclesiae usibus rite dicata, ea non ecclesiastica, sed saecularia aestimantur, quamvis pios in usus destinata (1). Quidquid post Tridentinum decretum loca pia universa Episcoporum visitationi subiiciens (2): concertaverint Doctores, an istorum bona, ut ecclesiastica cetera, essent legibus, et iudiciis ecclesiasticis obnoxia (3): nova lex Concordatorum iam definivit Episcopos in hisce locis piis fore *spiritualia tantum* cognituros (4). Cuiusmodi verbis temporalia eorumdem bona, et negotia excluduntur apertissime. Hinc patet, cur hoc in regno placitum regium nunc prorsus denegetur iis Curiae Romanae litteris olim frequentissimis, quas contrahentes, piorumque locorum laici administratores religiosa forsan sollicitudine ducti acceperint sive a Dataria, sive a sacris Congregationibus Concilii, aut Episcoporum, ac Regularium ad firmos, ratosque faciendos pontificio adsensu contractus venditionis, emphyteusis, permutationis, transactionis, hypothecae, ac pignoris, et cuiuslibet alienationis temporalium bonorum ab extauritariis initos, vel ineundos (5). Quo enim ritu ad forum laicum deferuntur alienationes bonorum pupillarium, ut in eo re cognita, visaque, priusquam fiant, forma futurae stipulationis, cui solent adnotationes adiici a pe-

Gallia etiam usu vigere tradit Altaserra *lib 3. de iurisd. eccles. cap. 23.*, comprobatum *can. ult.* Synodi II. Suessionensis *an. 853.*, *et Capitulari 12.* Caroli Calvi ibidem edito.

(1) Ex iam expositis iuribus in *tract. de beneficiis cap. III. n. VI.*, et inferius exponendis *tit. VIII. num. XXII.*, *et XXXIV.*

(2) Trid. in *cap. admonet 8. sess. 25. de reform.*

(3) Negarunt in primis Napodanus in *cons. 81 Ecclesia 4. de iure prothymeseos num. 74.*, is floruit saeculo XIII. regnante Carolo II. Andegavensi, *M.* de Afflictis initio *tract. de iure prothymes. num. 13.*, Torus in *compend. dec. par. 3. sect. 3. vers. remissio,* Danza *de pugna Doctorum tit. de legat. piis cap. 3. vol. 1.*, Iul. Capone *to. 5. discept. 397. num. 59.*, Reg. Capic. latr. *dec. 95.*, de Marinis *to. 1. resol. cap. 117.*, de Ponte *to. 1. cons. 18.*, *et in ms. tract. de iurisd. cap. 13. de exempt. visitat. hospital.* Constant. Cafarus *peregrin. quaest. lib. 1. qu. 18.*, B. Chioccarell. *to. 15. arch.* Reg. Falletti *ragionam. 1*, ceteri. Affirmabant alii cum Barbosa *par. 3. de pot. Episc. alleg. 75. num. 15.*, et Iosepho de Rosa *consult. 6.*, Episcopum Cavensem tuente in causa Confraternitatis, et Ecclesiae SS. Conceptionis Caveae contra praedictum Const. Cafarum.

(4) Concordata *cap. 5. num, 1.* Idem ius esse in *mixtis* locis piis observandum, quae scilicet ab laicis una cum ecclesiasticis administrantur. Rex rescripsit die 2. Maii 1752. praevia Tribunalis Mixti consultatione. Secus autem in iis locis, quorum administrationem gerant, ac regimen personae tantum ecclesiasticae: haec porro nedum quod ad spiritualia, sed temporalia etiam bona, et negotia subesse dioecesanis Episcopis declarant inibi Concordata *art. 6.*, *et ult.*

(5) Quum Benedictus XIII. in Synodo Romana provinciali *cap. un. tit. 19. de reb. Eccl. non. alien.* sanxisset alienationes bonorum temporalium cuiuslibet hospitalis, Collegii, Confraternitatis, domusque religiosae non aliter faciendas esse, nisi ad formam Extravag. *ambitiose eod. tit.* Censores Regii adnotarunt decretum eiusmodi moribus regni contradicere.

ritis negotii curatoribus, decernatur, an *expedit* eas fieri, liceatque contractum perficere, ac publico instrumento stipulari ad praescriptam, probatamque formam: eo pariter modo laica solum tribunalia nunc habent notionem contractuum de alienandis extauritarum bonis, suamque super iis rite celebrandis auctoritatem praestant. Id quod Iustiniani leges quoque iubent (1).

TIT. VIII.

De caussis olim ecclesiasticis ad forum laicum avocatis.

I. Quinque olim ex titulis caussae in laicos ad forum ecclesiasticum deferebantur.

II. In primis rei ecclesiasticae qualitas iudicium de decimis, qua petitorium, qua possessorium foro episcopali addicebat, quod in laicos laici magistratus hoc in regno exercere iamdudum consueverunt.

III. Temporalium quoque bonorum, et iurium Ecclesiae cuiusque laicos detentores ab Episcopis, ut olim fiebat, ad restituendum compelli non patiuntur laici.

IV. Nec emphyteutas, neque conductores praediorum ecclesiasticorum.

V. Tridentino decreto locationes cum anticipatis solutionibus, et ad longum tempus rescindenti obstiterunt regii censores.

VI. Secundo, ob religionem iuramenti contractibus adnexi de iis vel servandis, vel rescindendis olim Episcopi, nunc laici iudicant.

VII. Exceptio periurii ad contractum accessorii notionem caussae in foro laico non impedit amplius.

VIII. Sicui tamen invalido contractui leges vim obligandi ratione iuramenti attribuunt, absolutio ecclesiastica esse tunc petenda videtur.

IX. Puta in iuramento de solvendis mutuanti usuris, vel de usu fraudulentae monetae bona fide convento, deque pactis aeternam salutem non laedentibus.

X. Ante periurium consuevit episcopalis absolutio nemine audito concedi postulantibus ad finem agendi in foro competenti, post periurium nonnisi partibus auditis et re cognita.

XI. Iurans contra Ius divinum, aut naturale nullam omnino contrahit obligationem, nullaque indiget relaxatione: secus alii quidpiam legibus humanis vetitum iurantes.

(1) *Nov. 46. cap. 1.* Iustinianus immobilem domus religiosae rem posse pro solvendis functionibus fiscalibus, si aliunde pecunia deficeret, servatis solemnitatibus alienari, *et decreto*, ait, *celebrato apud provinciae iudicem.*

XII. Apud notarios ecclesiasticos, laicosve ab Episcopis, vel Apostolica Sede creatos laici pacta stipulantes consueverant in ecclesiastico foro etiam pulsari.

XIII. Hoc in regno Pragmatica sanxit anno 1571. profanos contractus, testamenta, codicillos, quaevis acta publica nonnisi a regiis notariis, et coram regiis iudicibus ad contractus esse deinceps conficienda. Tum anno 1750. rescriptum est, ut placitum regium Romanis apostolicorum notariorum privilegiis denegetur.

XIV. Tridentinum decretum Episcopis mandans laicos negotiorum ecclesiasticorum notarios examinare, ac punire hoc in regno non placuit.

XV. Testamenta ad pias etiam caussas a notariis apostolicis conscripta publicam fidem non obtinent, iure Decretalium, et Romana synodo iis concessam.

XVI. Ea ipsa in re Parocho, et confessario unius vix testis fidem dat forus laicus.

XVII. Animarum testamenta episcopalia pro defunctis ab intestato nullam hoc in regno executionem invitis heredibus sortiuntur.

XVIII. Tertio, pietatis caussa ad Episcopos dudum transtulerat facultatem exequendi pias quaslibet dispositiones.

XIX. Utrumque Ius Canonicum, et Civile, simul et municipale caussas piarum dispositionum in utroque foro iudicandas constituit primum.

XX. Tum tribunali R. Fabricae mixto, quod heic viguit ab anno 1540. usque ad annum 1717., id mandavit ius municipale.

XXI. Dein ad forum laicum in laicos piorum legatorum debitores iurisdictio remissa, ad Tribunal vero mixtum cura vix demandata excitandi cuiusque fori competentis iurisdictionem.

XXII. Piorum quoque locorum caussae ad forum episcopalem prisco iure pertinebant.

XXIII. Id quod instaurare, aut firmare Patres Tridentini studuerunt decretis quatuor.

XXIV. Tribus eiusmodi decretis obstitit regius Censor, quam executi sunt Proreges cum Collaterali Consilio.

XXV. Clementis VIII. constitutio, et Benedicti XIII. synodus Romana episcopalem in locis piis potestatem hinc sustinere, illinc regii censores ac magistratus abigere penitus contenderunt.

XXVI. Concordatorum denique lex Episcopis agere spiritualia eorundem, exceptis locis immediata regia protectione fruentibus, concessit, laicis magistratibus temporalia: in locis autem ecclesiasticis temporalia quoque subiecit Episcopis.

XXVII. Spiritualia extauritarum negotia ad quinque redigun-tur species.

XXVIII., et XXIX. Temporalia vero ad decem.

XXX. Oneribus ecclesiasticis realibus loca pia laicalia non succumbunt, nec decimis temporariis, nec episcopali cathe-dratico, vel synodatico, nec visitationis annuae expensis.

XXXI. Nullamque de rebus eorum temporalibus notionem dant Episcopis Concordata, nisi destinationem unius Deputati ad discutiendas cum laicis ratiocinatoribus annuas rationes ad-ministratorum, curamque deferendi ad Regem fraudes, et abusus.

XXXII. Frequentes nunc lites obstrepunt, laicalis ne, an ec-clesiasticus, an mixtus, an immediatae protectioni regiae subiectus hic, et ille sit locus pius.

XXXIII. Vario, incertoque marte olim nostri ea de re cer-tabant.

XXXIV. Lex Concordatorum laicalia nuncupat, quae ab lai-cis administrantur oeconomis, ecclesiastica, quae ab eccle-siasticis tantum, mixta, quae ab utrisque reguntur, inspecta fundatorum voluntate.

XXXV. Immediatae simul protectionis regiae characteres, ac limites olim dubii nimis fuere.

XXXVI. Eam ex duobus tantum titulis oriri palam declarant Concordata, ex regia nimirum fundatione, ac dotatione, tum ex voluntate subditi fundatoris in limine fundationis a Rege probata.

XXXVII. In hisce immediatae protectionis regiae locis, quum laicalibus, tum ecclesiasticis nullam omnino iurisdictionem ha-bent Episcopi Rege invito, cuius est in iis destinare Prae-sulem quoque visitatorem, et qui spiritualia, et sacra inibi gerat.

XXXVIII. Viduarum, pupillorum, aliorumque miserabilium caussas insuper pietatis ratio ad forum ecclesiasticum de-volvebat.

XXXIX. Eas in proprio cuiusque foro ut laici audiant cele-riter, ac definiant, satis prospexerunt leges civiles.

XL. Quarto, incidentes in iudicio ecclesiastico quaestiones pro-fanas iura communia Episcopis dimisisse videbantur.

XLI. Quinto denique spectata Episcoporum sapientium probitas effecit olim, ut ad eorum arbitrium aequum, et bonum sponte sua laici profanas lites deferrent.

XLII. Utque in subsidium, defectumque laicae Potestatis ad Episcopos, et Sedem Romanam recurrerent, pro discutien-dis etiam suspicionibus iudicum saecularium.

I. *Quum desperandum iam sit*, ingenue monet Benedictus XIV., *ut Potestas saecularis intra constitutos sibi ab antiquo limites contineri patiatur : imprudenter ageret Episcopus , si . . . . iurisdictionem sibi olim iure communi adtributam recuperare tentaret. Rem siquidem impossibilem aggrederetur , et sine ulla Ecclesiae utilitate graviter apud Principem offenderet. Quare suo muneri satis abunde facturum se credat, si animum intendat . . . ne iudex laicus eam quoque partem ecclesiasticae iurisdictionis invadat, quae hactenus perseverat intacta* (1). Quinque potissimum tituli, ut opinor, ad episcopale iudicium deferebant olim caussas laicorum plurimas. 1 , qualitas rerum ecclesiasticarum quamvis temporalium. 2 , religio iurisiurandi , et notariorum ecclesiasticorum stipulatio profanis contractibus addita. 3 , pietatis causa. 4 , mixtura quaestionum profanarum in spiritualibus causis incidens. 5 , maxima in Episcoporum fide fiducia. De his omnibus nulla nunc ratio habetur.

II. Inspecta rei ecclesiasticae *qualitate* in primis Episcopi caussas *decimarum* perinde in petitorio , ac possessorio iudicabant (2). Patriarcharum sententia, et exemplo freti quum aestimarent (3) *decimam* esse *censum Deo debitum* in signum supremi , et universalis dominii , et *sacrum Domini peculium* (4) ; earumque debitores idcirco tributarios, subiugales, et vestigales Dei (5): ipsarum iudicium inde sacrum esse,

(1) Bened. XIV. *lib. 7. de Synod. dioeces. cap. 35. num. 12.*

(2) Alexander III. in *cap. pervenit 5.* , et *cap. nuncios 6. de decimis* rescripsit, ut Episcopi parochianos ecclesiastica districtione compellerent ad decimas persolvendas. Innocentius III. in *cap. tua nobis 26. eod tit.* dominos, et colonos praediorum, ut Episcopus *appellatione remota* compelleret. Tum in Conc. generali *cap. in aliquibus 32. eod. tit.* constituit eos fore *per censuram ecclesiasticam* compellendos. Trid. in *cap. non sunt ferendi 12. sess. 25. de reform.* praecipit *omnibus cuiuscumque gradus, et conditionis sint : ad quos decimarum solutio spectat, ut eas, ad quas de iure tenentur, in posterum cathedrali , aut quibuscumque aliis Ecclesiis vel personis , quibus legitime debentur , integre persolvant. Qui vero eas aut subtrahunt, aut impediunt , excommunicentur : nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur.*

(3) Genesis *cap. 48. vers. 22.* Iacob ante legem Mosaycam haec Deo vovens ait: *Cunctorum, quae dederis mihi , decimas offeram tibi.* Tum Salomon Proverb. *cap. 3. vers. 9. Honora Dominum* , inquit , *de tua substantia , et de primitiis omnium frugum tuarum da ei.* Malachias *cap. 3. vers. 8 , et seq. Revertimini ad me , et revertar ad vos , dicit Dominus. . . . Dixistis in quo configimus te ? In decimis, et in primitiis. Et in penuria vos maledicti estis, et me vos configitis gens tota. Inferte omnem decimam in horreum, et sit cibus in domo mea , et probate me super hoc , dicit Dominus. . . . si non effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam.*

(4) Fridericus II. Imp. in huius Regni const. *quanto ceteris 7. de decimis praestandis* , imperans consuetam super bonis etiam feudalibus ecclesiasticam decimam sic in posterum persolvendam , ut retro consueverat regnante Guilielmo II, ait : *solutio decimarum , quarum debitum ex utriusque Testamenti tabulis confirmatur , tanto in Ecclesiis Dei gratiosior redditur , quanto decimalis oblatio de bonis hominum , velut electum quoddam* spirituale peculium *a Domino reputatur*, apud Greg. Grimald. *to. 2. hist. leg., et magistr. pag. 58.*

(5) Doctores in *cap. parochianos 14. de decimis.* Helmodius *lib. 1. histor.*

et non profanum censebant, ab Ecclesiae Praesulibus ita exercendum, ut hebraeorum Pontifices exercuere (1). At nono Ecclesiae saeculo morem viguisse cogendi renitentes, morososque laicos Potestate saeculari ad solvendas decimas, ostendunt potissimum acta Italae Synodi Ticinensis anno 855. (2), et Capitularia Ludovici Pii (3); tum posteriores aliorum Principum (4), et huius etiam regni consuetudines (5). Quo-

Sclavor. cap. 3. de conditionibus pacis a Carolo M. initae cum Saxonibus loquens, *ea conditio inter alias*, ait, *a Rege proposita, et ab ipsis suscepta est, ut abiecto daemonum cultu, Christianae fidei Sacramenta susciperent, essentque* tributarii, *et* subiugales *Domini Dei, omnium iumentorum suorum et fructuum culturae, seu nutriturae suae* decimas *Sacerdotibus legaliter offerentes.* S. Augustinus in *can. decimae 66. C. 16. qu. 1.*, id explicat, dicens. *Dominus Deus proemium non postulat, sed honorem. Deus enim noster, qui dignatus est totum dare, decimam a nobis dignatus est recipere non sibi, sed nobis dubio profuturam. . . Decimae tributa sunt egentium animarum.*

(1) Tametsi nullum verbum in sacris veteris Testamenti litteris innuit, quanam Potestate fuissent hebraei ad solvendas decimas coacti, ex Iosepho tamen hebraeo exscribit Eusebius Caesareae Episcopus *lib. 2. hist. eccles. cap. 20.*, id inter alia hebraeorum mala, et scandala contigisse post Christi Servatoris nostri crucifixionem Claudio imperante, ut Pontificis Iudaeorum servi per areas vi raperent decimas, quae Levitis iam fame tunc pereuntibus non solvebantur, seditiosis turbis divina, humanaque iura per fas, nefas miscentibus.

(2) Leone IV. Pontifice, et Ludovico Pio imperante Patres Cisalpini an. 855. in Conc. Ticinensi hanc ad Ludovicum Pium postulationem scripta dederunt: *In sacris canonibus praefixum est, ut decimae iuxta Episcopi dispositionem distribuantur. Quidam autem laici, qui vel in propriis, vel in beneficiis suas habent basilicas, contempta Episcopi dispositione non ad Ecclesias, ubi Baptismum, et praedicationem, et alia Christi Sacramenta percipiunt, decimas suas dant: sed vel propriis basilicis, vel suis clericis pro suo libito tribuunt. Quod omnimodis divinae legi, et sacris canonibus constat esse contrarium. Unde* vestram Potestatem, *ut* eos *corrigatis, expetimus. Sacra docet auctoritas, ut publice peccantes publicae poenitentiae subiiciantur*, ex Biniana Conc. collect. *to. 3. par. 1.*

(3) Ludov. Pius Imp. an. 829. Capitularium Francorum Regum *lib. 5. cap. 101.*, laicis magistratibus imperat laicos compellere ad consuetam decimarum solutionem.

(4) Lotharius Imp. anno circ. 1133. *lib. 3. legum Langobardarum tit. 3. cap. 6.*

(5) Carolus II. Andegavensis in *cap. volumus 1. de privileg.*, *et immun. Eccl. et ecclesiast. person.* quod exscriptum est ex capitulis in planitie S. Martini latini latis an. 1283., iussit *inviolabiliter observari, quod* decimae, *et alia, quae debentur Ecclesiis, et personis ecclesiasticis a tempore catholicorum Regum Siciliae usque nunc, et quae recipi consueverunt ab eisdem Ecclesiis et personis, sine difficultatis obstaculo ac morae dispendio persolvantur: scilicet, quae debentur in pecunia, in festo Pentecostes; et alia, quae debentur in frumento et aliis victualibus, vino, oleo, seu fructibus aliis, illis temporibus, quibus percipiuntur.* Monet Gregorius Grimaldi *to. 2. lib. 12. num. 5., et 6. pag. 367, et seq.* cautum quoque inibi a Carolo II. Ecclesias, et personas ecclesiasticas annuis regiis litteris opus non habituras inde amplius, ut suas ipsae decimas exigerent a Magistris procuratoribus, et Ballivis, quos in solutione solita deficientes fore poena dupli coercendos sanxit. Idemque Rex in alio *cap. Comites 2. de solvendis decimis*, constituit, *quod Comites, Barones, et ceteri, qui tenentur ad decimas, et iura alia Ecclesiis, vel personis ecclesiasticis pro bonis, quae tenent, ea teneantur solvere suis tempori-*

niam Christus Dominus decimas, non ita sacerdotibus novae Legis, ut Levitis, lex Mosayca reservavit, sed palam docuit populos praecepto naturali obstrictos ad alimoniam, et substentationem eorum omnium, qui et altari, et Evangelio inserviunt (1): divus Thomas apposite docet pro alendis Ecclesiae Christi sacerdotibus, et ministris naturalem magis attendi rationem, quae variantem pro loci, et temporis, et personarum conditionibus necessitatem inspicit, ac moderatur, quam legis Mosaycae litteram, fixamque in ea decimarum taxationem (2). Cumque partem praediorum, qua mosaycus Levitarum ordo penitus caruerat, Ecclesiis, et ecclesiasticis personis plerumque populi annuentibus Principibus (3), immo Principes, et ipsi largiti iam sint in earum vel fundatione, vel succedanea superdotatione, adeo ut Ecclesiam ubivis fundari sine congrua dote quum leges, tum canones vetent (4): fit exinde, ut more vario decimas eae solum Ecclesiae, quibus fuisse, aut statuto fundationis, aut longaeva consuetudine (5), vel pactis conventis, ac transactio-

bus, sicut hactenus extitit consuetum: quodque a Iustitiariis Provinciarum compellantur etiam balii Baronum in pupillari aetate degentium, et regia etiam Curia pro feudis, vel Fisco adiudicatis, vel ab eo administratis. Mox in sequenti *cap. Officiales Comitum 23. eod. tit.* iussit, ut ubi Comites, Baronesque abessent a feudis, Officiales eorum inibi residentes absque alio mandato persolverent Ecclesiis, Praelatisque decimas debitas. Isthaec capitula Rex Ferdinandus I. Aragonius die 25. Maii 1466., dum inseruit in Pragm. 2. *cleric.*, *et diac. silvat*, ut observentur inviolabiliter, sanxit.

(1) *Dignus enim est operarius cibo suo*, ait apud Matth. *cap. 10. vers. 10.* Cuiusmodi oraculum dominicum affatim explicuit Apostolus *ep. 1.* ad Corinth. *cap. 9. vers. 7. ad 15.*, et *ep. 1.* ad Timoth. *cap. 5. vers. 18.* Dum vero exprobavit Christus ipse pharisaeis, et scribis nimiam in exigendis decimis sedulitatem, ut praevaricationes eorum in Legem divinam graviores redargueret, inquiens Matth. *cap. 23. vers. 23.*, et Lucae *cap. 11. vers. 42.*: *vae vobis scribae, et pharisaei hypocritae, qui decimatis mentam, et anethum, et cyminum; et reliquistis, quae graviora sunt legis, iudicium, et misericordiam, et fidem: haec oportuit facere, et* illa *non omittere*: ipse videtur nil novi praecepisse, quod praeceptum seu iudiciarium, seu coeremoniale mosaycum, aut firmandum, aut extinguendum innueret.

(2) S. Thom. 2. 2. *quaest. 87.*

(3) Constantinus M. in *l. 1. C. de sacros. Eccles.* primus omnium Ecclesias hereditatum, legatorumque capaces fecit, dum edixit: *Habeat unusquisque licentiam sanctissimo catholico, venerabilique Concilio* (puta coetui seu ordini Sacerdotum, Corpus Ecclesiae repraesentanti) *decedens bonorum, quod optavit, relinquere. Non sint cassa iudicia.* S. Augustinus in *can. quicumque vult 43. C. 17. qu. 4*, falsam, et inordinatam cuiusque testantium pietatem redarguit, qui *exheredato filio heredem* faceret *Ecclesiam:* partem at virilem accipere inter filios coheredes non renuit.

(4) Iustinian. Imp. *Nov. 67. cap. 2.*, Synod. Aurelian. in *can. nemo Ecclesiam 9. de cons. dist. 2.*, Bracarens II. in *can. placuit 1. C. 1. qu. 2.*

(5) *In causa exactionis decimarum*, scribit Ioseph de Rosa *consult. 9. num. 42.*, *consuetudo in primis attenditur, et quod alias observatum fuit, omnino in posterum debet inviolabilem firmitatem obtinere.* Card. de Luca *disc. 1. de decimis num. 36., et 37.*, decennali consuetudini vim esse decimas praescribendi, multis comprobat.

nibus legitimis (1) reservatas constiterit, quaesitum exigendi ius habeant, et postulandi manutentionem iudiciariam. Quidquid autem in iudicio controvertitur de statutis locorum, de pactis hominum, et consuetudine, id omne quia meri facti quaestionem humanis legibus finiendam, non iuris divini, aut communis Ecclesiae continet: iudicium idcirco de consuetis, vel transactis, vel speciatim reservatis huic, aut illi Ecclesiae decimis non ecclesiasticum, aut spirituale, sed laicum, et profanum putant (2). Propterea hoc in regno iudices laici, et praecipue regium Consilium caussas decimarum consueverunt in petitorio cognoscere (3): nec patiuntur eas in foro ecclesiastico quomodolibet audiri, neque laicos, quamvis debitores earum certos, liquidosve ab ecclesiasticis compelli (4). Distinctio hinc prorsus exulat Doctorum, qui iudicium de decimis *petitorium* foro *ecclesiastico* tantum spirituale, *possessorium* laico, ut spirituale tribuunt (5).

III. Qui temporalia quaevis bona, et iura Ecclesiarum invaderent, occuparent, detinerent iniuste, in eos, ut sacrilegii reos censuris ecclesiasticis forus episcopalis consueverat iamdudum animadvertere, obsequens canonibus antiquae disciplinae, non quidem apocryphis, quos caeco consilio pseudo-Isidorus effinxit (6) splendidam undelibet veritatem

(1) Hadrianus Papa in *cap. ex multiplici 3. de decimis* concordiarum, et transactionum pacta fore in iure decimarum vel quaesito, vel abrogato servanda rescripsit.

(2) Ioseph de Rosa *loc. cit.* de Franchis *dec. 103. num. 4.*

(3) Ex traditis ab Ant. Capicio *decis. 20.*, et Praes. de Franchis *dec.* 124. Ex plurimis in Regio Consilio peractis decimarum caussis patet iudicatum inibi, praedialis, ne, an mixta decima esset, num cathedrali, an parochiali, aliisve deberetur Ecclesiis; num a colonis, an ab ipsis praediorum dominis; num ab originariis tantum civibus, an ab alienigenis etiam inculis; num super fructibus naturalibus tantum, an super aliis omnibus quavis arte, aut negotiatione quaesitis; nam decima pars ipsa fructuum, an vicesima, aliave minor, aut maior esset quota persolvenda. Cuiusmodi quaestiones petitorium spectantes ex varia locorum consuetudine definitas legimus in textu Decretalium *tit. de decimis.*

(4) Ex quo Regius Censor obstitit iam dicto decreto Synodi Tridentinae in *cap. non sunt ferendi* 12. *sess. 25 de ref.* Prorex Alcalensium Dux vetuit hortatoriis litteris Episcopo Tricaricensi die 30. Novembris 1565. laicos decimarum debitores excommunicare. Idipsum patet ex consultatione Comitis Mirandae ad Philippum II. data die 31. Iulii 1590. contra Beneventanum Archiepiscopum, et Archipresbyterum S. Marci, aliisque monimentis apud B. Chioccarellum *to. 3. arch. tit. 8.*

(5) Covarruvias *pract. quaest. cap. 35.*. Altaserra *de iurisd. cap. 4.*, Barbosa *lib. 1. iur. Eccl. cap. 39. num.* 181. Wan-Espen *par. 2. tit. 33. cap. 9. num.* 14., qui eam in Belgio distinctionem servari tradit Benedictus XIV. *lib. 7. de Synod. dioec. cap. 35. num. 7.*, qui eamdem pluribus in locis ab Ecclesia toleratam, vel diuturna consuetudine, aut expresso privilegio Sedis Apostolicae inductam docet.

(6) Gratianus ex apocrypha S. Pii, I. *epistola 2.*, *ut sacrilegum* habendum esse, qui praesumpserit praedia Ecclesiarum usurpare, promit in *can. praedia 3. C.* 12. *qu. 2. Ut homicidam*, qui res matris Ecclesiae rapit aut fraudat, ex *epist.* 1. S. Anacleti pariter commentitia in *seq. can. qui abstulerit.* Praeterea poenis sacrilegorum, perpetua scilicet infamia, carcere, exilioque perpetuo

deturpando, sed genuinis Pontificum Bonifacii I, Gelasii, S. Gregorii M. Sextae Synodi oecumenicae, aliis passim (1), quorum nonnulli ad priscos huiusce regni mores pertinent (2), alii ad abolendum usurpatas Ecclesiarum investituras laicas, amovendosque Abbates Comites, et Duces, militesque laicos ab occupationibus reddituum ecclesiasticorum (3):

plectendos, qui dedicata usibus Ecclesiae praedia vexarent, addit ex S. Urbani epistola etiam falsa ad omnes Episcopos in *can. attendendum est* 13. *C.* 17. *qu.* 4. Quod morem aevi sui studuisset pseudo-Isidorus firmare hisce ante Sirici nis decretalibus, non semel monui, custoditum exinde saeculis etiam posterioribus.

(1) Saeculo V. Bonifacius I. decrevit: *Omne, quod Domino consecratur, sive fuerit homo, sive animal, sive ager, sanctum Domino erit, et ad ius pertinebit Sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis, qui a Domino, et Ecclesia, cui competunt, aufert, vastat, invadit, vel eripit, et usque ad emendationem, Ecclesiaeque satisfactionem ut* sacrilegus *iudicetur, et si emendare noluerit, excommunicetur, can. nulli liceat 3. C.* 12. *qu* 2. Tum Gelasius Maiorico, Severo, et Ioanni Episcopis rescripsit privandos participatione muneris sacri esse, qui sacrilegis ausibus ecclesiastica privilegia violare, et iura calcare praesumpserint, *can. qui et divinis 24. ead. C. et qu.* Mox S. Gregorius M. in *can. cum devotissimam 8, et can. si saeculi leges 9. ibidem* firmato Bonifacii sui praedecessoris decreto censuit *sacrilegos*, et *canonica auctoritate*, et *regia dignitate* compescendos. Idemque in *cap. sicut 2. de privilegiis* episcopalem in violentos laicos rerum Ecclesiae usurpatores potestatem comprobat. Sexta Synodus Constantinop. III. an. 680. anathemate quoque percutit praedia Ecclesiarum iniuste detinentes, *can. indigne 21. ead. C. et qu.* Pariter Nicolaus I. in *can. de viro nefando* 17., *et can. de rebus* 22., et Urbanus II. in Conc. Claramont. *an.* 1095. *can. de laicis 46. C.* 12. *qu.* 2., usurpantes spolia clericorum.

(2) Externos aliarum regionum mores ut omittam, Alexander II. in Melphitana Synodo an. 1067., postulante Alphonso Archiepiscopo Salernitano excommunicavit Guillelmum Tancredi filium, eiusque milites ex eo, quod invaserant hereditates ad Ecclesiam Salernitanam pertinentes. Tum in Salernitana Synodo, quam idem Pontifex habuit cum Hugone Hydruntino Archiep. Ioanne Tusculano, et Ambrosio Terracinae Episcopis, et Hildebrando S. R. E. diacono Cardinale, cui adfuerunt simul Gisulphus Salernitanus Princeps cum fratribus suis, Robertus Dux, et Rogerius Comes, aliique plures Longobardi, et Normanni; *iudicio Episcoporum*, et annuentibus Langobardis, et Normannis iam dictus Guillelmus, et Girmonnus Gimundi filius plures nominatim curtes, et loca, et res Ecclesiae Salernitanae quum restituissent, et Alfano illius tunc Archiepiscopo, declararunt sese in anathema relapsuros, quoties easdem res invaderent amplius. Haec liquent ex *to.* 12. Labbaeanae collect. Concilior. *pag.* 165., *et seq.* et Ughellio *to. 7. Italiae sacrae de Salernit. Archiep.* Paulo post B. Gregorius VII. in Romana Synodo *an.* 1074. in *can. quicumque 4. cit. C.* 12. *qu.* 2., generatim excommunicatione percussit praedia ecclesiastica invadentes, aut detinentes.

(3) A Carolo Martello primum Caroli M. avo Abbatiis, et Monasteriis investitos Comites, Duces, militesque suos remunerandi gratia, fert Baronius ad *an. 839. num.* 31. ex Capitular. *lib. 5. cap.* 181., de quibus Carolus du Fresne in *glossar. verb. Abbates Comites.* Tantum at scandalum repurgare studuerunt Pontifices, et Patres iteratis ad Principes postulationibus, et censurarum fulminibus, praesertim Nicolaus I. *ep.* ad Odonem Belluacens. Episcopum, Synodus ad Theodonis villam *can. 3.*, tum Aquisgran. *an. 838. cap. 3.* Meldensis *an. 845. cap. 9.*, Trosleiana *an. 909. can. 3.*, Ivo Carnotensis *ep.* 181. Carolus M. in sacrilegas investituras legem tulit *lib. 6. Capitular. cap. 423.*

tum novo iure Decretalium (1), et constitutionibus Ecclesiae recentioribus (2). Huius regni postea mores laicam possessoris personam potius, quam Ecclesiae rem intuentes, in laico tantum foro ab ecclesiasticis actoribus consuetudine antiquiori leges Iustinianaeas (3), et communem fori competentis regulam usu quotidiano servant (4), canonico iure non improbatam (5), et regiis post Tridentinum gestis (6) obfirmatam. Verum Episcopis in ius vocandi necessitatem iamdiu induxerunt, et posthabita con-

(1) Alexander III. in *cap. si clericus 5. de foro compet.* ita censuit: *Si clericus laicum de rebus suis, vel Ecclesiae impetierit, et laicus res ipsas non Ecclesiae, aut clerici, sed suas proprias asseverarit: debet de rigore iuris ad forensem iudicem trahi, quum actor forum rei sequi debeat, licet in plerisque partibus aliter de consuetudine se res habeat.* At Lucius III. in *cap. cum sit generale 8. de foro compet.* rescripsit *in favorem Ecclesiae introductum, ut malefactores suos, qui* sacrilegi *sunt censendi, venerabilium locorum rectores possint sub quo maluerint iudice convenire*, puta vel laico, vel ecclesiastico. Innocentius III. in *cap. novit ille* 13. *de iudiciis* ampliori sententia inquit: *decernere censemus de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura.*

(2) Concilium Lateranense V. an. 1511. sub Leone X. *sess.* 10. sanctionem promulgavit pro tuitione libertatis et iurium Ecclesiae. Trid. in *cap. si quem clericorum vel laicorum 11. sess. 22. de reform.* decrevit cunctos quavis dignitate praefulgentes anathemati Sedi Apostolicae reservato fore ipso facto obnoxios, qui occuparint *alicuius Ecclesiae, beneficii, Montium pietatis, aliorumque piorum locorum* iurisdictiones, bona, census, *ac* iura *etiam* feudalia, *et* emphyteutica, fructus, emolumenta, *seu quascumque* obventiones, *quae in ministrorum, et pauperum necessitates converti debent, vel impediverint, ne ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur.* Addit, si patronus Ecclesiae fuerit, qui id attentarit, patronatum ipso facto eum insuper amittere. Tandem in bulla coenae *art. 17.* S. Pius V. primum, et sequuti exin Pontifices censuram Papae reservatam innovarunt in eos, qui iurisdictiones, seu fructus, redditus, et proventus Ecclesiarum, et beneficiorum ecclesiasticorum usurpant, vel sequestro dant.

(3) Criminale iudicium publicum in sacrilegos moderatori Provinciae mandarunt Impp. Arcad., et Honor. in *l. si quis in hoc genus 10. C. de Episc. et cleric.* Civilia vero pro rebus Ecclesiae vindicandis iudicia in foro laico exercita iam supra diximus.

(4) Quam exposui superiori *tit. IV. num. V.*

(5) In citatis Alexandri, et Lucii III. decretalibus *cap. 5., et 8. de foro competenti.* S. Greg. M. in *cit. can. cum devotissimam 8. C. 12. qu. 2.* Reginam Galliae Constantiam commonuit, ut sacrilegos Ecclesiae praedones plecteret secundum leges saeculi, qui noluerant violatam immunitatem emendare iuxta decretum Bonifacii Papae. Itali etiam Patres in Concilio Ticinensi *an.* 855. sub Leone IV. Pontifice Ludovico Imperatori plura scisciitanti censuerunt inter alia rescribere, ut *laicos socios* expilationis rerum Ecclesiae, tanquam furti reos iudiciaria ipse auctoritate compescendos iuberet, ex *to. 3. par. 1. Concil. collect. Binii fol. 300.* Paulo post Nicolaus I. Adoni Episcopo Viennensi rescripsit, ut Principem ante consuleret; quam excommunicaret res Ecclesiae diripientem, *can. de rebus 22. C. 12. q. 2.*

(6) Inter alia, quae Potestati regiae non placuere capita reformationis Tridentinae, quum accenseant iam dictum *cap. si quem clericorum 11. sess. 22*, Cardinalis Granuela Prorex *cap. 31.* consultationis ad Regem Catholicum datae die 31. Martii 1572. retulit inveteratos huius regni mores nullum dare locum extraordinario excommunicationis remedio in laicos bonorum Ecclesiae possessores, eosque ad episcopalem forum, tanquam reos trahi nullatenus indul-

scopos hoc in regno non impediri, quominus generalem fulminent excommunicationem in omnes, eosque incertos, et occultos rerum Ecclesiae detentores; certas autem personas laicas ab iudice laico tantum compelli ad restitutionem, instructo processu, et causa rite cognita: mox post rem in foro saeculari iudicatam contra laicos detentores, ubi censeant Episcopi in eos contumaces, ut sacrilegos notorios censura canonica etiam animadvertere, nullamque tunc regiis iuribus offensionem inferri censuit Cardinalis Granuela Prorex, et regium Collaterale Consilium (1). Cumque Neritonensis Episcopus anno 1598. declarasset Marchionem Uritanum incidisse in excommunicationem latae sententiae, ut invasorem bonorum episcopalis mensae, scilicet medietatis pretii herbarum feudi de Arnaeo; spretis duabus regii Consilii S. Clarae sententiis pro Marchione in ea herbarum causa latis: oeconomicam Potestatis regiae vim in se infeliciter irritavit (2). Quoties vero Praesul ecclesiasticus tamquam Baro feudum nobile cum vassallis ex regia investitura possideat: eos procul dubio compellit in foro suo baronali ad solvendum quidquid ii debeant Ecclesiis, prout iuris erit (3).

IV. Eodem iure iudex tantum laicus compellit laicos emphyteutas, aut conductores praediorum ecclesiasticorum, tam ad solvendos Ecclesiae statos canones, quam ad restituenda ei praedia in casibus devolutionis, aut servandum pactum legis commissoriae, aliasque conventiones quomodolibet initas in foro ecclesiastico apud acta pontificii, vel episcopalis adsensus, quo sit contractus emphyteusis, aut longae locationis rite permissus (4). Nam de alienandis Ecclesiae bonis iudicium ecclesiasticum mores regni non sinunt extendi ad caussas exinde futuras de restituendis eisdem, quoties laici ea iam detineant (5), aut de rescindendis male gestis alienationibus (6).

V. Tridentina Synodus, ut abusui locationum ad longum tempus cum anticipatis canonum solutionibus prospiceret, sic decrevit (7): *Ma-*

gere in caussis eiusmodi ad iudicium laicum iure ordinario pertinentibus, apud B. Chioccarell. *to. 14. arch. tit. 1.*

(1) In *cit. relatione* ad Philipp. II. data die 31. Martii 1572. Id quod firmant Concordata *cap. 6. art. 5.*, dum Episcopis animadversionem canonicam *in sacrilegos* concedunt.

(2) Ex traditis a Reg. Io. Franc. de Ponte in *ms. alleg. 11. de remediis Regi competentib. adversus turbantes*, etc.

(3) Ex Capitulis Caroli II. Andegavensis cum Honorio IV. *cap. item statuimus, quod Praelati Ecclesiarum, et* Pragm. 2 *de cleric. et diac. silvat. §. 2.*

(4) De quo dictum superius *tit. VII. num. XXXI.*

(5) Leonard. Ricc. in *addit.* ad Reg. de Rosa in *prax. civ. cap. 10. dist. 1. num. 22.*

(6) Pius V. Paulo Odescalco suo huic Nuntio quum inter cetera mandasset inquisitionem, iudiciumque de revocandis alienationibus bonorum Ecclesiarum ab annis inde centum factis, cum facultate redintegrandi Ecclesias in eorum possessionem amotis detentoribus: Dux Alcalensium Prorex placitum regium censuit eiusmodi litteris pontificiis denegare, tum ea de re consultationem dedit ad Philippum II. die 28. Febr. 1568, apud B. Chioccarell. *to. 4. arch. tit. 3. de visitationibus apostolicis.*

(7) Trid. in *cap. magnam Ecclesiis perniciem 11. sess. 25. de reform.*

gnam Ecclesiis perniciem afferre solet, cum earum bona, repraesentata pecunia, in successorum praeiudicium aliis locantur. Omnes igitur hae locationes, *si* anticipatis *solutionibus fient, nullatenus in praeiudicium successorum validae intelligantur, quocumque indulto, aut privilegio non obstante, nec huiusmodi* locationes *in Romana Curia, vel extra eam confirmentur...* Locationes *vero rerum ecclesiasticarum etiam auctoritate apostolica confirmatas S. Synodus* irritas *decernit; quas a triginta annis citra ad* longum tempus, *seu ut in nonnullis partibus ad viginti novem, seu bis viginti novem annos vocant, factas Synodus provincialis, vel deputandi ab ea in damnum Ecclesiae, et contra canonicas sanctiones contractas fuisse iudicabunt.* Regius Censor aegre ferens, quod iudicium de abrogandis locationibus ad longum tempus, locatisque praediis a manu saecularium conductorum vindicandis Concilium demandarit Synodo cuiusque Provinciae, aut iudicibus ecclesiasticis ab ea deputandis, censuit idcirco istud etiam decretum regiis iuribus, regnique moribus adversari. Tum in Synodo Romana Benedictus XIII. sanctiones canonicas innovans de immobilibus Ecclesiarum bonis ad longum tempus ultra triennium, vel quadriennium non locandis, neque in emphyteusim perpetuam concedendis, nisi ad formam Extravag. *ambitiosae*: addit (1) hanc semper conditionem decreto adsensus vel apostolici, vel episcopalis adiiciendam fore, ut *concessio fiat absque spe renovationis,* expletoque tempore concessionis *bona ipsa cum suis membris, iuribus, et pertinentiis universis, nec non et melioramentis quomodolibet factis ad Ecclesias, et loca pia, quibus ex directo dominio pertinent, pleno iure, atque omnino libera, vacua, et expedita relinquantur.* Praeterea sub poena nullitatis contractus vetat, *ne quid pro* laudemio, *seu pro* primo, *ut aiunt,* ingressu *a quoquam recipiatur,* quo detrimentum Ecclesiae, vel iusto canoni deminutio irrogetur. Tandem prohibet contractum locationis, et emphyteusis renovari familiae, heredibusve conductoris, aut emphyteutae, id nisi consuetudo loci, vel apostolicum privilegium indulgeat: praeterquam ubi ex aequitate ad formam constitutionis Alexandri III. (2) terras incultas, sterilesque iam fecerit emphyteuta, vel conductor arabiles, et frugiferas. At censores regii eadem ratione huic obstitere decreto.

VI. *Religio iurisiurandi,* quo roborari humani contractus fere omnes consueverunt, ad forum ecclesiasticum saepius trahebat laicos inter se contendentes de iusto, vel iniusto iuramenti vinculo, eoque, vel servando, vel episcopali auctoritate dissolvendo, ne locus esset periuriis. Adeo religiosum idolatris quoque Romanis fuit iusiurandum (3), ut vo-

(1) Romana Synodus Bened. XIII. *tit. 19. de reb. Eccl. non alien.*

(2) Alex. III. in *cap. ad aures 7. de reb. Eccl. non alien.*

(3) Quum per deos tantum iurarent pagani, Ennius dictum inde putat iusiurandum, quod sit Iovis iurandum: et Demosthenes a Plutarcho fertur concitasse tumultum Athenis, quum iurasset per fontes, fluvios, latices. Ulpiano autem non iurasse visus est, qui per salutem suam iuravit, *l. qui per salutem 33. D. de iureiur.* Quia Genius habebatur naturae Deus ex virtute gignendi omnia: mos fuit ingenuis iurandi saepius per Genium suum, servis per Ge-

cabulo id usitatiori *sacramentum* appellaretur, de quo Pontificum collegium, et sacri flamines, non profani magistratus iudicarent (1); captos autem iuramenti religione Imperatores dumtaxat, qui simul Pontifices maximi erant, ex gratia, et non sine caussa iusta solvebant (2). Lux Evangelii quum sanctiora fecisset iuramenta fidelium, qui Deum vivum invocant, faciuntque sibi sponsorem (3), iurando vel tactis Evangeliis

nium domini, cunctis post extinctam Reipublicae libertatem per Genium Principis; poena fustium in peierantes sancita ex *l. si duo 13. §. ult. D. de iureiur.* mulieribus vero, et ancillis per Iunonem suam, vel herae suae Genium, ex Tibull. *IV. 13. vers. 15.*, et Iuvenal. *II. 98.* Apud idoneos scriptores nunquam invenies, ut monet A. Gellius *lib. 11. cap. 6.*, aut *mehercle* foeminam dicere, aut *mecastor* virum: quia mulieres ab Herculaneo sacrificio abstinentes non iurabant per Herculem. Mos Graecorum addebat ritum tangendi aram sacram. *Cum quidam testimonium publice dixisset, ut mos Graecorum est, iurandi caussa ad aras accedere*, ait Cicero in *orat.* pro Corn. Balbo. Huc Virgilius allusit, canens: *Tango aras, mediosque ignes, et numina testor.*

(1) Cicero *lib. 1. de oratore num. 10.*, *quibuscum*, ait de Pythagoricis, et Democriticis, ceterisque physicis loquens, *tibi iusto* sacramento *contendere non liceret.* Idemque *lib. 7. ep. 32. ad Volumnium* scribit: sacramento *contendas mea non esse.* Tum *orat. pro A. Caecina* prope finem haec enarrat. *Cum Aretinae mulieris libertatem defenderem, et Cotta decemviri* religionem *iniecisset, non posse* sacramentum *nostrum iustum iudicari.... decemviri prima actione non iudicaverunt: postea re quaesita, et deliberata* sacramentum *nostrum iustum iudicaverunt.* Praeterea *lib. 2. de legibus* explicans iurisdictionem sacerdotalem lege duodecim tabularum institutam, *plures omnium*, docet, *singuli singulorum Sacerdotes, et respondendi iuris, et confitendarum* religionum *facultatem afferunt. Foederum iudices sunto.* Pomponius Iurec. insuper potestatem Collegii Pontificum amplissimam tradit in *l. necessarium 3. §. 6. D. de origine iuris.*

(2) Impp. Verus, et Antoninus *rescripserunt gratiam se facere iurisiurandi ei, qui iuraverat se Ordini non interfuturum, et postea duumvir creatus esset*, testimonio Papirii Iusti in *l. Imperatores 38., et ult. D. ad municipalem et de incolis.* Gaius insimul tradit in *l. admonendi 31. D. de iureiur. interdum etiam post iusiurandum exactum permitti constitutionibus Principum ex integro caussas agere.* Tiberius etiam Imp. equiti Romano *gratiam iurisiurandi* fecisse, *ut uxorem in stupro generi compertam dimitteret, quam se nunquam ante repudiaturum iuraverat*, fertur a Svetonio in eius vita.

(3) Iudaei pro exiguis plerumque rebus iurabant non per Deum, sed per patrem, matremve, per terram, solem, astra, coelum, mundum, uti Philo tradit initio *lib. de special. legib.* et observat Grotius *ep. 122. par. 1.* Christus autem Dominus noster pravos hominum abusus legis veteris correcturus: *audistis*, inquit Matthaei *cap. 5. vers. 33.*, *et seq. quia dictum est antiquis:* non periurabis: reddes autem Domino iuramenta tua (Levit. 19. 11., Exodi 20. 7.. Deuteron. 3. 11.) *ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per coelum, quia thronus Dei est, neque per terram quia scabellum est pedum eius; neque per Hierosolymam, quia civitas est magni regis; neque per caput tuum iuraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester, est, est, non, non: quod autem his abundantius est, a malo est.* Id explicat B. Hieronymus in *can. considera 7.*, et S. Augustinus *can. 3., et seq. C. 22. qu. 1.* Errores insuper, fallaciasque Phariseorum retundens Christus Dominus Matth. 23. v. 16. ait: *Vae vobis duces coeci, qui dicitis*: quicumque iuraverit per templum, nihil est; qui autem iuraverit in

aut ara sacra, vel alio quovis modo, ac ritu (1): eo curatius ad ecclesiastici iudicii deliberationem, ac censuram ea sibi Patres vindicarunt. *Emendate iuramenta forensia*, in concione palam edicebat B. Chrysostomus Patriarcha Constantinopolitanus, *eos autem, qui non obtemperant, omnes mihi indicate* (2). Tum Innocentius III., *numquid non poterimus*, ait (3), *de iuramenti religione cognoscere, quod ad iudicium Ecclesiae non est dubium pertinere, ut rupta pacis foedera reformentur?* Laicum dato iuramento fideiussorem clerici fore coram ecclesiastico iudice conveniendum, rescripsit Bonifacius VIII. (4): *ad cuius forum*, ipse ait, *ratione iuramenti caussae huiusmodi* cognitio noscitur pertinere. Hoc proinde titulo cunctas de civilibus contractibus causas olim devolvi ad Curias ecclesiasticas consuevisse, quum tabelliones fere numquam omitterent praestitum a contrahentibus sacramentum de servandis mutuo pactis conventis, fatetur Benedictus XIV. (5).

VII. Hoc in regno sub notionem laicam iamdiu ceciderunt quaestiones de iureiurando incidentes in profanis caussis contractuum, et stipulationum: quamvis religiosi caussarum actores viam plus tutam calcantes consueverint adhuc absolutionem episcopalem petere ad finem agendi

auro templi, debet. *Stulti et coeci, quid enim maius est aurum, an templum, quod sanctificat aurum?* Et quicumque iuraverit in altari, nihil est; quicumque autem iuraverit in dono, quod est super illud, debet. *Caeci, quid enim maius est, donum, an altare, quod sanctificat donum.*

(1) Priscum iurandi ritum tactis Evangeliis, vel altare, vel Sanctorum reliquiis, vel in communi loquela, tradunt Patres, in his Chrysostomus in *can. si aliqua 11.*, *et can. habemus 12. C. 22. q. 1.*, Gregorius M. in *can. quoties 9. C. 1. qu. 7.*, alii apud Gratianum in *can. 5.*, *et 9. C. 35. qu. 6.* Iustinianus in *l. generaliter 12. §. fin. C. de rebus creditis et iureiur.* Quamvis enim satius quidem sit nunquam iurare ex oraculo Christi Domini: tamen licitum inter fideles iuramentum recte censuit Ecclesia, quod Apostolus usurpavit, scribens ad Romanos *cap. 1. vers. 9. Testis est mihi Deus, cui servio.* Mox ad Galatas *cap. 1. vers. 20. Ecce coram Deo, quia non mentior.* Et rursum 2. ad Corinth. *cap. 11. vers. 31. Deus... scit, quod non mentior.*

(2) Chrysost. *hom. 9. in Acta Apostol.* Ad rem Philo Iudaeus *lib. de decalogo* haec monuit. *Primum utillimum fuerit, et rationali naturae convenientissimum omnino* abstinere a iureiurando, *et sic veritati assuescere, ut simplex sermo vim iuramenti habeat. Secundaria vero iuxta proverbium navigatio est* recte iurare. *Iam enim qui iurat, suspectus est de perfidia... Est enim* iusiurandum *non exiguum negotium, tametsi contemnitur propter consuetudinem, videlicet* testimonium Dei de rebus dubiis. *Deum autem citare testem mendacii, scelus est nefarium.*

(3) Innoc. III. in *can. novit ille 23. de iudiciis*, idemque in *cap. ea te 22.*, *et alibi de iureiur.*

(4) Bonif. VIII. in *cap. cum. C. 3. de foro compet. in VI.*

(5) Bened. XIV. *lib. 7. de Syn. dioeces. cap. 35.*, ex Mornacio *ad l. 8. C. de episcopali audientia.* Additque disciplinam illam ad plura saecula servatam adeo sancte fuisse, ut Principes laici eam infringere non ausi, quum deliberassent caussas eiusmodi profanas in foro tantum laico iudicandas retinere, consilium non aliud iniverint, nisi vetandi generatim subditis, ne contractus, aliave negotia profana iureiurando firmarent. Cuiusmodi leges in Lusitania, et Gallia, alibique sancitas olim, enarrant Felicianus de Oliva *par. 1. de foro Eccl. qu. 3.*, et Altaserra *lib. 6. de iurisd. cap. 10.*

coram iudice competenti, antequam in quovis foro iudicium instituant ad abroganda, vel rescindenda quaelibet instrumenta iurata. Quaedam Lucilla in regio Consilio S. Clarae quum sua, quae iuramento antea renunciaverat, bona vindicaret sine praevia iuramenti absolutione, nullam ex metu renunciationem suam obtendens: Senatus censuit, exceptione periurii non obstante, ad ulteriora procedere, tunc ratus absolutionem episcopalem non necessariam actrici fuisse, metum sibi incussum alio ex processu iam probanti, secus aliis actoribus, qui metum, aliamve irriti iuramenti sui caussam non ostenderint; posthabita unius Consiliarii M. de Afflictis sententia, qui cunctis absque ullo discrimine putabat nefas esse in iudicio agere contra iurata instrumenta, eosque, uti periuros a limine iudicii repeliendos, nisi absolutionem antea episcopalem, aut pontificiam obtinuissent (1). Sensim deinde stylus irrepsit, quem sua iam aetate Consiliarius Altimari quotidianum (2) fuisse testatur, ut exceptio periurii numquam impediat in foro laico litis ingressum, processumve ad ulteriora, neque ad ecclesiasticum iudicem remittatur: sed reservetur ad merita caussae, aut in calculo diffinitivae sententiae discutienda; quatenus instructo rite iudicio, et re cognita satis, ubi liqueat contractum esse irritum, vel rescindendum ex dolo, metu, enormi laesione, aliove quovis defectu iuris, eum iudex laicus irritum declaret, vel rescindat, nulla iurisiurandi habita ratione, quod uti accessorium aestimant irritum ipso iure in contractibus iniustis, et invalidis.

VIII. At quoties iuramento leges peculiarem obligandi vim tribuunt in contractibus nullam, aut infirmam sine ipso parientibus obligationem: tunc necesse cuivis litigantium erit absolutionis gratiam petere ab ecclesiastica Potestate, si velit periurii labem, poenasque declinare, aut diluere (3). *Tribus si quidem modis*, B. Hieronymus docet (4), *iuramenta contracta solvenda sunt.* 1, *cum quis male iurat.* 2, *cum quis incaute.* 3, *si pueri, vel puellae se iuramento constrinxerint*, cui parentes, postquam id audierint, contradicent. Permulti, quos Gratianus habet, canones patefaciunt episcopalia, et synodica priscorum Patrum iudicia tam de abrogandis ex iuxta causa iuramentis, quam de periuriis, illicitisque sponsionibus cohibendis (5). B. Gregorius Episcopum

(1) Ex traditis ab ipsomet M. de Afflictis *dec. 263.*

(2) Quem refert idem Altimari *de nullitat. rubr. 12. qu. 25. num. 98.*, et Car. Ant. de Luca ad Gratiani *dec. 165.*, ceteri. Ita laicos nunc de accessoria vi iuramenti cognoscere, ac reapse iudicare, quamvis nequeant ipsi certam illius obligationem relaxare, aut solvere, observat Gonzalez in *cap. 2. de iudiciis n. 10.* Accessio enim iurisiurandi naturam p'erumque sequitur principalis obligationis, arg. *l. indubitati 16.*, *et ult. C. de non numerata pecunia.*

(3) Christianos Principes ab indulgenda iuramenti venia abhorruisse patet ex *l. 1. C. si adversus venditionem*, ubi Alexander Imp. ita Florentino militi rescripsit: *si minor annis 25. emptori praedii cavisti nullam de cetero te esse controversiam facturum, idque etiam iureiurando corporaliter praastito servare confirmasti; neque perfidiae, neque periurii me auctorem tibi futurum sperare debuisti.*

(4) Hieronym. in *can. si quis praeventus 19. C. 22. qu. 4.*

(5) Pietatis, et misericordiae caussae vim iuramenti solvendam docet S. Au-

Laodicensem a iuramento per vim praestito de suis non repetendis ab Arnulpho Comite ablatis rebus absolvit (1). Alexander III., *aliquando in Romana Ecclesia a pluribus Praedecessoribus nostris*, ait, *factum esse, quod clerici de iuramento absolutionis beneficium meruerunt* (2). Coelestinus III. *in ea quaestione, an a sacramenti vinculo absolvantur, qui illud inviti pro vita, et rebus servandis fecerunt, nihil aliud arbitramur*, ait, *quam quod Antecessores nostri Romani Pontifices arbitrati fuisse noscuntur, qui tales a iuramenti nexibus absolverunt* (3). Mox Innocentius III. ad Caringiae ducem rescripsit: *Si iuramentum illud dicatur illicitum, nihilominus super eo nos prius consulere debuisset, quam contra ipsum propria temeritate venire... Utrum vero dictum iuramentum sit licitum, vel illicitum, et ideo servandum, an non servandum extiterit, nemo sanae mentis ignorat ad nostrum iudicium pertinere* (4). Idipsum censuit Bonifacius VIII., addens fore Ius canonicum hac in re servandum (5).

IX. Alexander III. ad Episcopum Vigiliensem rescribens, censuit eos, qui iurassent usuras mutuanti solvere, *cogendos* esse *Domino reddere iuramentum*, salva iis actione legitima repetendi solutam creditoribus pecuniam (6) : quia non mutuario solvere, sed mutuanti accipere usuras *lex Domini vetat*. Innocentius III. Regi Aragoniae Petro II. rescripsit eum, si scienter illicitum in usu fraudulentae monetae servando ipse iurasset, non indigere absolutione, quum nullam vim haberet iuramentum, quod esse numquam debet vinculum iniquitatis, at pro eo poenitentiam fore subiturum : si vero ignoranter iurasset legitimam repu-

gustinus in *can. quod David 3.*, S. Ambrosius in *can. unusquisque* S. in fine Conc. Toletan. VIII. in *can. incommutabilis 9. C. 22. qu. 4.* Ad vitandum malum fide fracta maius, ex Beda in *can. si aliquid 6*, *et can. non solum 7. ead. C. et qu.* Ne quid contra Ius divinum, iustitiamque naturalem in malis promissis admittatur, iidem Patres in *can. 1., 2., 5., 6., 8., 13., 15., et seqq. ibidem.* Male iurantes ad poenitentiam simul damnati a Patribus Conc. Tolet. VIII. in *can. necesse est* 14., et Ilerdensis in *can. qui sacramento 11. ibidem.* In periuros animadvertit Synodus Trosleiana Provinciae Remensis an. 909. *can. 11.*

(1) B. Gregorius in *cap. pervenit 2. de iureiurando.* Hanc decretalem B. Gregorio VII. inscribit cum Antonio Augustino Emm. Gonzalez, ex huius Pontificis *ep. 13. lib. 7.*

(2) Alex. III. in *cap. si vero 8. eod. tit.*

(3) Coelest. III. in *cap. verum in ea 15. eod. tit.*

(4) Innoc. III. in *cap. venerabilem 33. de electione.* Quum Hungariae rex Andraeas II. quasdam fecisset alienationes in regni sui detrimentum, neglecto iuramento, quo, dum coronaretur, spoponderat cuncta regni, et Coronae iura, et bona servaturum illibate, Dalmatiam scilicet, quae olim Hungarorum fuit, Venetis cessisset pro vectura regii exercitus in Palaestinam: Honorius III. Archiep. Colocensi, et Suffraganeis rescripsit suas ad regem absolutionis litteras dedisse, ut eiusmodi alienationes revocare, iuramento si quid fecisset non obstante, studeret, in *cap. intellecto 3. de iureiur. in V. compil.* apud Innoc. Ciron. qui hanc decretalem exornat ex Bonfinio *lib. 7. rer. Hungar. decad. 2.* Eamque textus Gregorianus habet in *cap. intellecto 33. eod. tit.*

(5) Bonif. VIII. in *cap. licet 2. de iureiur. in VI.*

(6) Alex. III. in *cap. debitores 6. de iureiur.*

tans bona fide monetam, ut iusiurandum tunc licitum is omnino impleret (1). Eodem sensu Bonifacius VIII. declaravit explicatius: *si* pactum *iuramento non vi, nec dolo praestito firmatum fuerit, omnino servari debebit, quum non vergat in aeternae salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum* (2). Magnum his addit robur S. Ambrosii sententia (3), et lex imperialis Friderici I. (4).

X. Ex recitatis Pontificum responsis pronum est intelligere, quandonam oporteat iuramenti absolutionem ecclesiasticam, an non petere: et quibus obstet periurii exceptio (5)? Ante periurium, priusquam scilicet aliquid in iudicio agatur ab eo, qui iuravit, episcopalis absolutio consuevit adversario non citato indulgeri cuilibet, ad finem agendi, et sua in foro competente iura experiundi ad rescindendos contractus. At periuros, qui rescissionem iurati contractus inauspicato iam postulaverint, nonnisi partibus auditis, et probata in termino ordinario enormi laesione, aut metu gravi, aliave legitima causa, per diffinitivam Episcopi sententiam rite obtinere huiusmodi absolutionis beneficium, ad finem agendi, accepta simul poenitentia salutari pro periurio eluendo, tradit Genuensis (6): aut a summo Pontifice gratiosam absque iudicii solemnibus remissionem impetrare (7). Cuius gratia quum debeat damnum inferre nemini: regium Consilium in principali de contrahentibus iudicio consuevit incidenter de subreptione, aut obreptione gratiae quum pontificiae, tum episcopalis etiam cognoscere (8).

XI. Hanc disciplinae rem dissentaneis opinionibus, moribusque maxi-

(1) Innoc. III. in *cap. quanto personam 16. eod. tit.*

(2) Bonif. VIII. in *cap. quamvis pactum 2. de pactis in VI.*

(3) S. Ambros. in *can. innocens 23. C. 22. qu. 4. Innocens*, ait, *credit omni verbo.... circumscribitur ab aliquo, de omnibus tamen bene iudicat, qui fidem esse in omnibus arbitratur. Hac igitur mentis suae devotione inclinatus Iosue, ut crederet Gabaonitis, pacem dedit, confirmavit societatem: sed ubi in terras eorum ventum est, deprehensa* fraude, *quod cum essent finitimi, advenas se esse* simulaverant, circumscriptum *se populus patrum indignari coepit. Iosue tamen pacem, quam dederat, revocandam non censuit, quia firmata erat* sacramenti religione: *ne dum alienam perfidiam redargueret, suam fidem solveret. Mulctavit tamen eos vilioris obsequio ministerii.*

(4) Frid. I. in Auth. *Sacramenta puberum. C. si adversus venditionem* ita sanxit: *Sacramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis inviolabiliter custodiantur. Per vim autem, vel per iustum metum extorta etiam a maioribus nullius esse momenti iubemus.*

(5) Covarruvias regio Praefectus Praetorio Hispaniarum, et Episcopus Segobiens. in *IV. decretal. par. 2. cap. 3. §. 5. n. 2.* ex communiori Doctorum sententia tenet contractus iure tantum humano vetitos, et invalidos adiecto iuramento ita firmari, ut nonnisi praevia ecclesiastica remissione possint licite rescindi.

(6) M. A. Genuens. *in praxi Cur. Archiep. Neap. cap. 4.*, et M. de Afflictis *dec. 220. num. 10.*

(7) Cuiusmodi potestatem absolvendi supremam in Romana Sede indubiam quoque censuit regium Consilium apud cit. M. de Afflictis *ibidem num. 11.*

(8) Ex traditis ab eodem Consiliario de Afflictis inibi *num. 9.* Sed Aloysius Riccius in *praxi resol. par. 1. resol. 306.* emergentem eiusmodi quaestionem subreptionis pertinere ad Ecclesiae forum contendit.

mopere implexam animo revolvens puto duabus regulis expediri commodissime. I. Si quid contrahentes lure divino illicitum, aut naturali iustitiae repugnans iurato stipulentur: irritum ex sese iuramentum (1), nulla tunc ecclesiastica absolutione, ac venia indigere ad agendum in foro externo, quamvis poenitentiam debeant pro male invocato Dei testimonio, et temerata religione subire (2). II. Dum vero contra humanas tantum leges, praeter iustitiam naturalem aliquid spondeant iurantes, quod semotis legibus ceteroqui liceret lure, aut naturali, aut divino implere: tunc et proficuam evitando periurio, et necessariam fore ad agendum coram iudice competenti absolutionem ecclesiasticam. Haec autem, ut alteri quaesitum ius ne adimat: ipsam oportet cum caussa postulare probabili, et legitima, scilicet ex defectu aetatis ad immaturum, et praeceps consilium proclivis, ex metu, dolo, enormi laesione, ex urgenti pietatis officio, ex respectu maioris boni, aut virtutis, ad vindicandam fidelitatem liberalis donationis, aut vitandi studio malum abrupta promissionis fide gravius (3).

XII. Stipulatio contractuum saepius coram notariis ecclesiasticis gesta plures insuper lites laicorum deferebat olim ad episcopale iudicium (4). Notariorum episcopalium usus in Ecclesia vetustissimus patet ex actis Conciliorum, quae prostant in vulgatis eorumdem collectionibus: tametsi gesta etiam Ecclesiae praesertim synodica suevisse publicis Provinciarum monimentis consignari, ut fides eorumdem esset certior, tradit S. Augustinus (5). Quo autem ex tempore Constantinus M. episcopali iudicio, et arbitrio definiendas caussas nedum ecclesiasticas, sed profa-

(1) *Si ad peccatum faciendum fides adhibetur: mirum, si fides appellandae est*, docet S. Augustinus in *can. si ad peccatum 20. C. 22. qu. 4. In malis promissis rescinde fidem*, commonet S. Isidorus, *in turpi voto muta decretum. Impia enim est promissio, quae scelere adimpletur*, *can. in malis 5. eadem C., et qu.* Illud Hieremiae 4. *vers. 2: et iurabis, vivit Dominus, in veritate, et iudicio, et iustitia*, explicans B. Hieronymus inquit. *Iuramentum debet habere tres comites, veritatem, iudicium, et iustitiam: ubi autem ista defuerint, non est iuramentum, sed periurium*, apud Gratianum in fine *cit. C. 22. qu. 4.*

(2) Is in vanum utique nomen Domini assumit impie, spreto primae tabulae praecepto Decalogi, qui rem iniustam iurat, et peierat. *Non periurabis in nomine meo*, iubet Dominus Levitici 19. *vers. 12., nec pollues nomen Domini Dei tui.* Iurans *si frustraverit, delictum illius super ipsum erit; et si in vacuum iuraverit, non iustificabitur*, ait sacer textus Eccles. *cap. 27. vers. 15.* Poenitentia canonica emendandum idcirco est illicitum iuramentum, quod impleri nefas.

(3) Ex iam supra expositis *num. VII.*

(4) Wan-Espen *par. 3. cap. 1. num. 4.* cum auctore somnii Vergerii *cap.* 200. notat contrahentes laicos, ac testatores praeoptasse olim eo animo Notarios ecclesiasticos in conscribendis instrumentis, testamentisque, ut sese a foro laico in iis negotiis subtraherent, prorogantes voluntarie tunc forum Ecclesiae. Simul Mornacius *ad l. 8. C. de episc. audientia* scribit ex mixto ecclesiastici vel apostolici Notarii interventu ad Curiam ecclesiasticam devolutas testamentorum executiones.

(5) S. Augustinus in *psalm. 57.*

nas etiam demandavit (1): clericos ad notarii, seu scribae munus oportuit ab Episcopis etiam deligi (2). *Is, apud quem res agitur, acta publica tam civilia, quam criminalia exhiberi inspicienda ad investigandam veritatis fidem iubebit*, lex ait (3). Mox ignorantia saeculariuum simul fecit, ut clerici ad notarii officium in profanis quoque instrumentis, et scripturis adhiberentur saepissime (4). Id quod Carolus M. (5), et Innocentius III. vetarunt *presbyteris, diaconis, et subdiaconis* (6): ne ipsi profana curantes in contractibus, Curiisque publicis dedecori essent ordini ecclesiastico. Exinde mos invaluit saepius creandi laicos, quam clericos nedum in urbe, sed per orbem universum publicos auctoritate apostolica notarios (7). Tradit Speculator notarios ab Apostolica Sede creatos extra urbem consuevisse in Gallia, Anglia, Hispania, alibique instrumenta conficere quum de profanis, tum de rebus Ecclesiarum solemni rogatione, ac partium stipulatione (8).

(1) Ex supradictis *tit. III. num. I., II., et III.*

(2) *Ut unusquisque Episcopus, et Abbas, et singuli Comites suum* notarium *habeant*, statutum inter Capitularia Caroli M. fert Balutius apud Murator. *disser. 12.*

(3) Sever., et Antonin. in *l. is apud quem 2. C. de edendo.* Honorius et Theodosius in *l. ult. C. de re iudicata* ad Africae Proconsulem Iulianum ita rescripsere: *Gesta, quae sunt translata in publica monumenta, habere volumus perpetuam firmitatem: neque enim morte cognitoris perire debet publica fides.*

(4) Patens in antiquis instrumentis barbaries, et locutio corruptissima insciliam tunc communem satis ostendit. Ex chronico Vulturni Muratorius *cit. dissert.* memorat diploma Grimoaldi Beneventanorum Ducis, quod subdiaconus Wiso dictavit Notario Pergoaldo iussu Potestatis scribenti, quia minus idoneo.

(5) Car. M. inter leges Langobardas *l. 96.* statuit, *ut nullus presbyter chartam scribat, neque conductor existat suis senioribus.*

(6) Innoc. III. *ep.* 129. Thomasinus *par. 1. vet. nov. Eccl. disc. lib. 2. cap.* 106. negat per Innocentianam hanc epistolam, aut clericis inferioribus inhibitum instrumenta de profanis contractibus, et negotiis conscribere, aut aliis maiorum ordinum scripturas rerum Ecclesiae, forique sacri. Alii affirmant.

(7) Cincius Camerarius in *codice ms.* apud Murator. *loc. cit.* hanc priscam formulam creandi notarios apostolicos tradit, quos olim *scriniarios* nuncupabant. *De scriniario*, inquit, *eodem modo fit* examen *sicut de iudice, sed instrumento eius hoc additur:* chartas publicas nisi ex utriusque partis consensu non faciam. *Tunc Pontifex dat ei pennam cum calamario sic scribens:* accipe potestatem condendi chartas publicas secundum leges, et bonos mores. Ab Innocentio III. in *cap. ad audientiam 13. de praescript.* fertur *scriniarius* aliter dicta testium scripsisse, quam ii dixissent: ubi glossa *tabelliones* appellari *scriniarios* observat.

(8) Guil. Durandus, vulgo Speculator in *tit. de fide instrument.* Eos perinde ac imperiales ubique terrarum admitti ad quaevis instrumenta, et laicorum et clericorum, testatur Christinaeus *dec. 153. num. 20.* At Peretius in *tit. C. de numerariis, actuariis etc. num. 15.* monet instrumentis, quae per totum Imperium conficiant imperiales notarii, aut in terris Ecclesiae Romanae, ac ditionis pontificiae apostolici, publicam plenamque in iudiciis fidem recte dari; secus aliis extra territorium creantis eos vel Principis, vel Pontificis, quae non magis probare, quam privatas scripturas adfirmat, cum Abbate in *cap. cum P. tabellio de fide instrum.*, et Fragosio *de reipubl. regim lib. 5. disp. 13. §. 11. num. 329.*

XIII. Hoc etiam in regno eos iamdudum propagatos innuit Pragmatica II. *de contractibus*, a Cardinale Granuela prorege lata die 31. Octobris 1571., dum sancivit non alium, nisi a Rege creatum notarium, et iudicem ad contractus (hunc alii chartularium appellant) adesse rogandis, et stipulandis contractibus, testamentis, codicillis, aliisque scripturis, actisque publicis debere sub poena falsi, et nullitatis actorum. Publicam ita, plenamque fidem lex municipalis ademit instrumentis, ac scripturis, quae quasve notarii apostolici de rebus tantum profanis conficerent. At integra iis permanet auctoritas, fidesque in ecclesiasticis negotiis, puta in electionibus canonicis, ac praesentationibus clericorum ad beneficia iurispatronatus, in beneficiorum resignationibus, in pensionibus ecclesiasticis transferendis, in mandatis procurationum ad lites, ac negotia fori ecclesiastici, in cunctis quibuslibet scripturis authenticam formam postulantibus, quas ad Curiam Romanam transmitti, vel episcopali foro exhiberi necesse in diem est. Huiusmodi rerum usu quotidiano factum est, ut regnicolae gradum notarii publici nedum a regia Potestate pro negotiis profanis, sed a Sede Apostolica etiam pro ecclesiasticis consuevissent ad nostram usque aetatem obtinere cum placito regio. Tandem regio rescripto ad Regalem Cameram S. Clarae dato die 26. Novembris 1750. iussum inter cetera, ut ea (iam incoeptum paucos ante annos) morem prosequatur denegandi regium placitum Romanis notariorum apostolicorum privilegiis (1).

XIV. Synodus Tridentina radicato in Curiis, et negotiis ecclesiasticis abusui notariorum saecularium prospectura, eorum inscitiam, et delicta in officio censuit episcopali examine, ac punitione propulsare. *Cum ex notariorum imperitia*, inquit (2), *plurima damna, et multarum occasio litium oriatur: possit Episcopus quoscumque notarios, etiamsi apostolica*, imperiali, *aut* regia auctoritate *creati fuerint, etiam tamquam delegatus Sedis Apostolicae, examinatione adhibita, eorum sufficientiam scrutari: illisque non idoneis repertis, aut quandocumque in officio delinquentibus, officii eius in negotiis, litibus, et causis* ecclesiasticis, *ac* spiritualibus *exercendi usum perpetuo, aut ad tempus prohibere, neque eorum appellatio interdictionem Ordinarii suspendat.* Anxius, ne regii notarii ad forum episcopalem traherentur Regens Censor inter ea, quae ipsi taxavit, hoc etiam decretum recensuit (3). Quod vero apostolicos notarios, Curiarium episcopalium offi-

(1) Verba rescripti: *Que así mismo continue a negarlo sobre los rescritos, que contienen.... privilegios de Notarios Apostolicos.*

(2) Trid. in *cap. cum ex Notariorum 10. sess. 22. de reform.* Benedictus XIV. in *const. ad militantis 48. §. 33. de appellat. et inhibition. conceden. vel denegan. to. 1.* Bullarii declarat appellationem suspensivam fore non dandam *decretis compellentibus Notarios etiam apostolica, imperiali, aut regia auctoritate creatos, et scribentes in caussis ecclesiasticis, vel spiritualibus ad se subiiciendum examini, eorumque remotione, vel suspensionem in casu delicti, vel imperitiae imperantibus iuxta praescriptum* S. Concilii *d. sess. cap. 10.*

(3) In Belgio etiam quod ad regios tantum Notarios decretum istud non accepturn, secus quod ad apostolicos, qui perinde in Belgio, atque in Gallia non admittuntur nisi post examen, approbationemque Ordinarii ad officium exercendum; fert Wan-Espen *part. 3. tit. 7. cap. 7. num. 13, 14., et 18.*

ciales numquam impedirentur Episcopi hoc in regno examinare, tum non idoneos, aut in officio delinquentes punire ad formam Tridentinam iussit Philippus II. binis litteris ad Alcalensium Ducem datis die 27. Septembris 1570., atque ad Cardinalem Granuelam die 28. Decembris 1571.: idque servari exinde retulit eidem Prorex Cardinalis Granuela die 31. Martii 1572. (1). Tametsi iure Concordatorum novissimo unus tantum uniuscuiusque Curiae episcopalis magister actorum, seu cancellarius laicus personali exemptione a foro laico fruitur in caussis civilibus, criminalibus, et mixtis, poenam ultimi supplicii aut tiremium non ferentibus (2).

XV. Eadem regni lex, et consuetudo auctoritatem publicam scripturis notariorum apostolicorum adimens, enervat simul fidem testamentorum ad pias etiam caussas, quae Parochi, aut Confessarii, aliive presbyteri conscripserint duobus, tribusve testibus adhibitis ad formam communis iuris Decretalium (3). Quum disputent Doctores, utrum ambae Alexandri III. decretales eam imperantes vim habuerint limitatam intra fines pontificii Status temporalis, quod datae ab Alexandro III. sint ad Hostiensem Episcopum, et Vellitranos iudices (4); an extensam extra eos ubique terrarum (5) auctoritate textus Gregoriani, qui Corpus Iuris

(1) Apud Chioccarell. *to. 14. arch.* super querelis Cardd. Iustiniani, et Alexandrini *art. 2*, Rex Philippus II. rescripsit. *No permitiesse que ningun Official seglar se intrometisse en la correcion y castigo de los* Notarios Apostolicos, *es de creer, que se avrà asi cumplido: todavia no havemos querido dexar de encargaroslo por esta, advertiendo que lo mismo se guarde en los* Notarios Reales *que delinquieren como* Officiales *del tribunal yglesiastico.* Ad id Cardinalis Prorex respondit. *Se li Notari sono* apostolici, *e delinguono nell'officio, che tengono dalla S. Sede apostolica, non si è mai proibito, nè si proibisce che se gli Ordinari vogliano esaminarli, non lo facciano, e privar l'inabili e delinquenti dell'officio, e darli castigo; e si eseguirà puntualmente lo che V. M. comanda.* Ius Episcopis esse liberum, ut Curiarum suarum notarios eligendi quum clericos, tum laicos praevio examine, ita et dimittendi minus idoneos, et delinquentes in officio corrigendi, monent Hostiensis in *cap. cum* P. *tabel. 15. de fid. instr.* et Car. Marantà *par. 4. respons. 63. num. 19.*

(2) Ex supradictis *tit. V. num. XXVII.*

(3) Alexander III. in *cap. cum esses 19. de testamentis* ad Ubaldum Episcopum Hostiensem rescripsit: *testamenta, quae parochiani coram presbytero suo, et tribus, vel duabus aliis personis idoneis, in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere, sub interminatione anathematis prohibentes, nequis huiusmodi audeat rescindere testamenta:* ratus ea in re sequi divinam potius legem et generalem Ecclesiae consuetudinem, *ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum,* quam leges humanas, et Hostiensis Episcopatus consuetudinem ea rescindentes, *nisi cum subscriptione septem, vel quinque testium fiant.* Idemque Iudicibus Vellitrensibus in *seq. cap. relatum 11. eod. tit.* iussit, ut causam piae dispositionis *super relictis Ecclesiae tractarent non secundum leges, sed secundum decretorum statuta, tribus, aut duobus legitimis testibus requisitis.* Itaque prior epistola ad quaevis etiam profana parochianorum testamenta, posterior ad pias tantum dispositiones attinet.

(4) Pro hac opinione stat Covarruvias in *comm. cap. cum esses 10;* et *cap. relatum 11. de testam.* Alciatus in *cap. novit de iudiciis num. 47.*, Fachinaeus *lib. 6. controv. cap. 57.*, *ceteri.*

(5) Pro altera Arnoldus Vinnius *lib. 2. selectar. cap. 19.*, et Christinaeus *dec. 52. tom. 1.*

Canonici universalis continet : vario marte pugnatum diu in foro est. In Romana Synodo Benedictus XIII. ambas eiusmodi decretales in usum revocare communem satagens, de testamentis parochianorum coram tribus vel duobus testibus a suo presbytero, conficiendis caepto sermone : *advigilent Episcopi*, ait, *ne* (*ubi tamen contrarium non obstet statutum auctoritate apostolica in forma specifica confirmatum, quo iuris civilis dispositio servari mandetur*) *quivis praesumptione aliqua, excommunicationis poena contra sic praesumentem proposita, taliter facta testamenta rescindere audeat vel irritare. In legatis vero piis, quae ab aegrotantibus ad Parochorum aures fieri quandoque solent, ut fraudes litesque evitentur, testes etiam in eodem numero adhibeantur, coram quibus testator se quaedam ad pias causas eroganda, suo prout Parocho, seu Confessario iniunxit, ita velle declaret, talique declaratione pia testatoris dispositio suum semper sortiatur effectum* (1).

XVI. Huic Synodi Romanae decreto speciatim adversantur duumviri censores regii, adnotantes inibi ex inveterata huius regni consuetudine valere profana cuiusque testamenta et codicillos neglectis legum civilium solemnitatibus, nec sufficere in legatis piis testimonium unius vel Parochi, vel Confessarii quamvis probissimi, nisi aliunde comprobatum rite fuerit in foro laico (2), cuius est causas hereditatum, ac testamentorum cognoscere (3). Quum causas pias divino, et naturali potius Iure, quam humano iudicandas fore consentiant undecumque Doctores (4) : mos in regiis etiam tribunalibus nostris invaluit, vigetque,

(1) Syn. Rom. Bened. XIII. an. 1725. *tit. 20. cap. 1.*

(2) Huc pertinet responsum Scaevolae in *l. Theopompus 14. D de dote praelegata.* Theopompus *testamento facto*, textus ait, *duas filias et filium aequis partibus instituit heredes, et codicillis ita cavit* : Filiam meam Crispinam, quam vellem tradi nuptui, cuicumque amici mei, et cognati approbabunt, providebit tradi Pollianus sciens mentem meam in aequalibus portionibus, in quibus et sororem eius tradidit. *Pollianus a marito puellae iuratus scripsit, voluisse patrem eandem quantitatem in dotem accipere etiam minorem filiam, quam maior accepisset. Quaesitum fuit, an eamdem summam dotis nomine coheredes extra partem hereditatis minori filiae praestare deberent? Respondit Scaevola* cum, *cuius notio est*, aestimaturum, *ut eadem quantitas ex communi praecipua minori filiae dotis nomine detur.* Quoniam testator suam *in aequalibus* inter sorores *portionibus* mentem aperte concredidit Polliano, exinde patet, quod unius Polliani testimonium in ea pietatis caussa non nudum ex accepto arcano, sed consentaneum expressae testatoris voluntati, et incorruptum Iureconsultus censuit non absolute, sed aequo iudicis competentis arbitrio aestimandum relinquere. Videsis Covarruviam in *cap. cum tibi de testam. in fine*, *et* affl.ct. *dec. 371.* (3) Ex supradictis *tit. VI. num. III.*

(4) Ant. Faber *lib. 6. Cod. tit. 5. defin. 5. in alleg. num. 2. Sane testamentum ad pias caussas*, ait, *contentum est duobus testibus etiam non rogatis, nec masculis... quod Ius pontificium servandum est etiam in foro Caesaris.* Consonant Matth. Wessembec. in *comm.* ad Pandectas *part. 5. lib. 28. tit. 1.*, Guid. Papa *dec. 543. in fine*, Boer. *dec. 228.*, Iul. Clar. *in §. testamentum qu. 6.*, Gaill. *pract. observ. lib. 2. cap. 118. num. 18.*, Card. de Luca *de testam. disc. 13., et 16., et alibi*, Fagnanus fuse in *cit. cap. relatum de testam.*

ut piae testantium dispositiones, quotiescumque liqueant ex duorum, vel trium testimoniis fide dignis, et rite in foro laico acceptis, ac discussis, suam obtineant executionem (1). Parochus idcirco et Confessarius, etiamsi dispositionem a testatore dictatam scripserit, vel fiduciariam disponentis voluntatem ab eo iam acceperit, vicem unius testis in eodem foro laico subire consuevit.

XVII. Morientis cuiusque ab intestato pro animae subsidio item sueverant Episcopi testamenta condere, iubentes certam hereditatis quotam in sacrificia Missarum, aliaque pietatis opera fore impendendam (2). Occasionem id querelis heredum diuturnis, atque obtrectationibus praebuit non modicam (3). Neapolitana Synodus provincialis ab Archiepiscopo Mario Carafa celebrata anno 1569., quam Pius V. de voto S. Congregationis Concilii probavit die 3. Iulii 1569., eam consuetudinem super episcopalibus animarum testamentis fore corrigendam, quamvis immemorabilem decrevit: commonens Episcopos, ut ea ubi vigeret, ipsi pro temporis, loci, et personae conditionibus cum expresso heredum consensu, et placito moderatam pecuniae quantitatem in sacrificia celebranda, aliave pia opera, animabus defunctorum ab intestato suffragatura, pie dispensaret. Mox anno sequenti 1570. regius ad Apostolicam Sedem Legatus Ioannes de Zuniga, post delatas ad Pontificem querelas regnicolarum contra episcopalium testamentorum eiusmodi abusum, rescripsit ad Proregem Alcalensium Ducem hanc esse Papae sententiam, ut quoties legitimi sint defunctis intestatis heredes, non liceret Episcopo quidpiam pro earum animabus testari: secus ubi nullus adesset heres (4). Tum anno 1590. Prorex Mirandae Comes obstitit generali decreto S. Congregationes Concilii ea de re tunc lato, cuius reformationem ad Neapolitanae Synodi amussim, ut regius in urbe Legatus curaret, in mandatis dedit. Rursum alia decreta edidit S. Congregatio in Nucerina Paganorum die 7. Iunii 1594., et die 19. Augusti 1678., ut servarentur conditiones antea praescriptae pro testamentis animarum, easque nunciavit litteris ad Nuntium pontificium datis (5). Denique Benedictus XIII. in Romana Synodo *eam laudabilem*, ait, *quae quibusdam in locis viget in regno praecipue Neapolitano, aliisque regnis, consuetudinem, ut pro decedentibus ab intestato, superstites hi licet relinquant heredes*, testamenta, *ut aiunt*, animarum *per Episcopos efficiantur, aliquid de defuncti bonis pro eius animae suffragio disponendo, approbamus, et Episcopos omnes, ut eorum*

(1) Nic. Ant. Gizzarellus *dec. 47.*, ita decisum in S. Regio Cons. *an.* 1603. referente Consiliario de Ponte tradit, *dec. 47.*, ibique a Balthas. de Angelis, et Iosepho Mele *in notis*, tum a Caesare Ursillo in *adnot.* ad Matt. de Afflictis *dec. 337. num. 5.* mos eiusmodi traditur.

(2) Ex traditis a Gonzalez in *cap. cum esses*, *et relatum de testam.* Thomasin. *par. 3. lib. 1. cap. 24.*, du Fresne in *glossario* verb. *intestatus*, Card. de Luca *de testam. disc. 24. num. 5.*, M. Ant. Genuens. in *praxi Curiae Archiep. Neap. cap. 96.*

(3) Eas refert B. Chioccarell. *to. 17. arch. tit. 4.*

(4) Apud. Chioccarell. *ibidem.*

(5) Apud Monacell. *to. 2. formul. tit. 15. num. 3*, *et seq.*

plebes ad usum ipsum, *ubi non adsit*, *amplectendum hortentur*, *admonemus* (1). At regii Censores iam obiectas regiae Potestatis discrepantias ex adverso instaurarunt.

XVIII. Eadem pietatis caussa Episcopos fecit olim executores piarum omnium dispositionum, iisque facultatem attribuit compellendi laicos ad implementum non absolutam, sed cumulatam cum laicis magistratibus. *Vel principali*, *vel pontificali auctoritate compelli heredes ad obsequium supremae voluntatis*, Ulpianus respondit (2); dum sacris templorum custodibus consueverant idcirco prisci etiam idolatrae supremas tabulas commendare (3). Quinto Ecclesiae saeculo Imperatores Leo, et Anthemius exactionem pii legati in redemptionem captivorum Episcopo dioecesano demandarunt (4). Dein Iustinianus generatim edixit, pias quaslibet defunctorum voluntates nedum pro captivis redimendis, verum pro alendis etiam pauperibus, ut implerent executores primum testamentarii, tum si hos testator non designaverit, vel designati negligentes aut contumaces fuerint, ad Episcopum loci, Ecclesiaeque oeconomum devolvi, munus implendi. *In omnibus enim*, addit Imperator, *talibus piis* voluntatibus *sanctissimos locorum*, Episcopos *volumus providere*, *ut secundum defuncti voluntatem universa procedant*: *licet praecipue a testatoribus*, *aut donatoribus interdictum sit eis habere ad hoc aliquod participium* (5). Imperatoriis hisce legibus utitur Gregorius IX. ad episcopalem iurisdictionem tuendam canonico iure decretalium (6) in piis dispositionibus.

(1) Romana Synod. *tit. 20. de testam. cap. 2.*

(2) Ulp. in *l. haereditas 53. de petit. haeredit.*

(3) *Si custodiam tabularum* aedituus, *vel tabularius* suscepit, *dicendum est eum teneri interdicto*, idem Iureconsultus ait in *l. locum 3. §. 3. D. de tabulis exhibendis*. Gothofredus in notis ad hanc legem recte monet *aedituum* esse tuitorem sacrae aedis, ex Festo, et Varrone, quibus adde Samuelem Pitiscum in *lexic. antiquit. Roman.* verb. *aedituus*. Hinc Cicero *in Verrem* loquens de furto sacrilego marmorei simulacri in fano Chrysae apud Assorianos opera Tlepolemi et Hieronis tentato, *illi noctu facta manu*, ait, *armatique veniunt. . . .* aeditui, custodesque *mature sentiunt. . . . neque quidquam ex fano Chrisae etc.* Alexander ab Alexandro *lib. 5. genial. dier. cap. 12.* de vestalibus verba faciens scribit: *Testamenta quoque*, *et quae secretioris consilii erant*, *quaeque quis celari*, *et in abdito esse*, *et suo tempore in lucem promi volebat*, *apud illas deponebantur*, *ut in custodia essent fideli*. Contestes moris eiusmodi sunt Svetonius in vita *Caesaris cap. 83*, in *Augusti cap. ult.* de hoc Tacitus etiam *lib. 1. hist.* et Plutarchus de Anonii testamento.

(4) Leo et Anathem. in *l. nulli 28. §. 1.*, *et fin. C. de Episc.*, *et cleric.* Nicostrato Pr. Pr. rescripserunt. *Vir. remus. Episcopus illius civitatis*, *ex qua testator oritur*, *habeat facultatem exigendi*, *quod huius rei gratia fuerit derelictum*, pium *defuncti propositum sine ulla cunctatione*, *ut convenit impleturus. . . . Et* ne pium *defuncti propositum improba fraudatorum calliditate celetur*, *quidquid pro huiusmodi caussa* (redemptionis captivorum) *a testatore relictum fuerit*, *universi*, *qui id quocumque modo cognoverint*, *vel in viri clarissimi* Rectoris Provinciae, vel *in urbis Episcopi notitiam deferendi liberam habeant facultatem.*

(5) Iustinian. *Nov. 131. cap. 11.*

(6) Greg. IX. ad Episcopum Calaritanum in *cap. nos quidem 3. de testa-*

XIX. Ad utriusque fori ecclesiastici, et saecularis notionem hinc patet, cur piae dispositiones olim communi Iure quum Civili, tum Canonico deferrentur hoc etiam in regno (1) secundum Iuris regulam. Eam deinde variandi praebuit occasionem tribunal R. Fabricae. Ineunte saeculo XVI. Iulius II. aedificare novam Romae basilicam Divi Petri omnium amplissimam, et venustissimam aggressus, eamque non modo perficiendi, sed sartam tectam perpetuo habendi studiosus edixit anno 1509., ut legata pia omnia per orbem, aut incapacibus relicta, et caduca, aut neglecta, sive ab heredibus non impleta in eiusmodi coeptam aedificationem applicarentur: instituitque idcirco novum in urbe tribunal Fabricae, ipsius caussas, negotia, et iura universa cogniturum. Leo X. mox vestigia sui Praedecessoris ingressus deputavit die 1. Martii 1517. aliquot Fabricae Commissarios ad triennium legata pia caduca, et neglecta per orbem exacturos cum potestate compellendi, et debitores quoslibet etiam laicos ad solutionem, et Notarios ad testamenta piorum disponentium, suosque publicos eorumdem codices, *protocolla* hos vulgus nuncupat, exhibendum. Prorex autem Neapolitanus D. Raimundus de Cardona rogatus, ut placitum regium litteris pontificiae deputationis concederet, die 18. Ianuarii 1521. rescripto suo adiecit clausulam laicos eximentem apertissime, eamque in posterioribus placitis regiis anno 1532., et 1537., quae postularunt Commissarii a Clemente VII., et Paulo III. destinati, repetitam ferunt regii archivii monimenta (2).

XX. Hic etiam Pontifex anno 1540. tribunal Fabricae erexit Neapoli, eique Nuntium apostolicum praefecit cum titulo Commissarii generalis. Et quamvis eodem anno consilium Deputatorum civitatis et regni re deliberata opem a Prorege D. Petro de Toledo ad illud supprimendum petiisset (3): nihilominus placitum regium Prorex idem con-

mentis rescribit: *secundum piissimas leges dilatas defunctorum pias voluntates episcopali decens est studio adimpleri.* Mox Noviodumensi Episcopo in Belgis in *cap. tua nobis 16. eod. tit.* ait, *Cum in omnibus* piis *voluntatibus sit per locorum Episcopos providendum, ut secundum defuncti voluntatem universa procedant, licet etiam a testatoribus id contigerit interdici.*

(1) Regius Consiliarius Thomas Carlevalius *lib. 1. de iudiciis tit. 1. disp. 2. qu. 5. num. 332.* haec scribit. *Illud verum est, et negari non debet, semel publicato testamento apud saecularem iudicem, si agatur de* executione *ipsius, caussam esse* mixti fori, *et posse adiri pro ea tam* ecclesiasticum, *quam* saecularem, *esseque locum praeventioni.* Ad id laudat auctoritates iuris civilis, et canonici, et Covarruviam. Consonant Regens de Marinis *lib. 1. resol. cap. 204. num. 9., et seq.* Abbas in *cap. 3. num. 11. de testam.* ex synodicis plurium regnorum constitutionibus, Felicianus Oliva *de foro Eccl. par. 3. qu. 34. num. 3.* addit consentaneos Hispaniae mores ex lege regia *lib. 1. tit. 62. § 2.*, et episcopalibus totius regni Synodis.

(2) Chioccarell. *to. 12. arch.*, ubi prostat regium eiusmodi placitum Proregis de Cardona his verbis conceptum. *Exequatur per quos decet in omnibus, et per omnia, praeterquam in particula contra* laicas *personas in dicto Brevi contenta: de qua quidem particula, cum opus fuerit, habeatur recursus ad nos pro conservatione regiae iurisdictionis; nam opportune, prout iuris fuerit, providebitur.*

(3) Ex libro *Capitulor., et privileg. Neap. fol. 138. art.*

cessit novo pontificio Brevi facultatum ipsius tribunalis, quod Paulus III. quoque dederat 3. Februarii 1543. Tum iteratis querelis factum est, ut Papa quum plures abusus reformaret anno 1547., tribunal esset ad aliquot annos interea suspensum. Dein redintegratum die 8. Octobris 1557., quo tempore Dux Albensium Prorex iussit negotia tribunalis Fabricae agenda heic, et expedienda fore ad formam concordiae inter Paulum III., et Petrum de Toledo iam initae. Videlicet, ut Commissarius a Sede Apostolica deputatus ea cognoscere, ac definire non posset, nisi cum voto unius ex tribus regiis Iudicibus, quorum primus causas in primo gradu, alter in secundo, tertius in ultimo pertractaret: utque universos quum *laicos*, tum *clericos* ad legata pia implendum ita cogeret, eaque R. Fabricae applicaret, et quidquid praefixo termino debitores neglexissent in Missis celebrandis, et insuper male ablata. De aliis vero piis legatis, quae non adimpleta essent quartam solummodo partem R. Fabricae addiceret, reliquas legatariis dimitteret (1). Scribit Cardinalis de Luca nedum post res Neapoli ter iudicatas consuevisse adhuc Romanam R. Fabricae Congregationem suum superaddere iudicium, sed transigere quoque legata caduca, et non impleta cum partibus ad eam recurrentibus vel pendente, vel nondum coepto Neapoli iudicio, cui praeventio supremi tribunalis indicebat idcirco silentium: per Provincias autem regni populos censuris, et extorsionibus Commissariorum quotidie affligi (2). Tandem bis frequenter ad Principem delatis Carolus VI. Imperator anno 1717 iussit regio rescripto Viennae dato, ut Fabricae tribunal una cum suis Commissariis omnibus hinc exularet, et omnino supprimeretur, id quod mense Octobri eiusdem anni plenam obtinuit executionem.

XXI. Posthac turbae, controversiaeque inter ecclesiasticos, et laicos iudices instauratae super competenti piarum dispositionum iudicio: quum istud Episcopi esse mixti fori putantes iure praeventionis idcirco vindicarent sibi etiam in laicos ex recitatis legibus Iustinianaeis, et decretalibus, et Tridentino decreto, regressamque ad semetipsos antiquam episcopalis fori iurisdictionem, quam Neapolitanum R. Fabricae tribunal ex Commissariis ecclesiasticis, et laicis Adsessoribus simul mixtum annos ducentos exercuerat. E contrario id totum negabat saecularis Potestas ex praeteritis regiorum tribunalium gestis, moribusque. Nam regius Censor anno 1564., quamvis restitutum, reseratumque in hac urbe pateret ipsum R. Fabricae tribunal: obviam ivit inter cetera iam dicto Tridentino decreto, quo *Episcopi etiam, tamquam Sedis Apostolicae delegati in casibus a Iure permissis omnium piarum dispositionum* declarantur *executores* (3): quodque propterea conquerebantur

(1) Ex traditis a Canonico Franc. de Magistris *lib. 1. rer. memorabil. Neap. §. 6.* Primus, et secundus Consultor R. Fabricae hac in urbe unus, vel ex regiis Consiliariis S. Clarae, vel Praesidentibus regiae Camerae Summariae dari consuevit, ex Regentibus Collateralis Consilii tertius: in regni Provinciis Commissario cuique apostolico laicus itidem Adsessor, a quo ad Neapolitanum tribunal appellabatur, ab hoc insuper ad Romanum supremum.

(2) Card. de Luca *disc. 20. de relat. Cur. Rom. num. 23., et 36.*

(3) Trid. in *cap. Episcopi etiam 8. sess. 22. de reform.*

anno 1570. Legati duo Sedis Apostolicae ad Philippum II. hoc in regno non servari. Tandem praevaluit laicorum sententia novis Concordatis obfirmata (1), quibus Tribunali Mixto mandatur sola vigilandi cura, ut laici ad pia legata exsolvenda ab laicis iudicibus competentibus, ecclesiastici ab ecclesiasticis compellantur: nuda scilicet facultas excitandi ordinariam cuiusque fori competentis iurisdictionem, expers quum notione iudiciaria, tum imperio cogente.

XXII. In eodem fato sunt piorum locorum caussae, quas prisca iura canonum, et legum episcopali iudicio addixerant. Quinto saeculo oecumenica Synodus Chalcedonensis nedum clericos esse in dioecesani Episcopi potestate, sed laicos etiam, et monachos in *ptochiis*, et monasteriis, et martyriis constitutos decrevit *secundum, traditiones sanctorum Patrum*, sanxitque damnationem canonicam in clericos, excommunicationem in laicos, vel monachos ab Episcopo se subducentes (2). Iam etenim rescripserant Imperatores Honorius, et Theodosius eodem V. saeculo ineunte, ut arbitrio reverendissimi Antistitis Alexandrini destinarentur ad curanda debilium aegra corpora sexcenti *parabolani* idest famulantes domibus religiosis (3). Iustinianus *oeconomos*, ait, *et xenodochos*, *nosocomos*, *ptochotrophos*, *et aliorum venerabilium* locorum gubernatores, *et alios omnes* clericos *iubemus pro creditis sibi gubernationibus apud proprium* Episcopum, *cui subiacent, conveniri*, *et* rationem *suae gubernationis facere*, *et* exigi *quod ex ipsis debentes ostenduntur illi venerabili reddendum domui*, *ex cuius ordinatione debitum apparuerit. . . Si quis autem ex* ecclesiasticis, *cui aliqua talis dispensatio credita est*, *ante* rationum *expositionem*, *et debitorum* solutionem *moriatur: iubemus eius* heredes *simili modo*, *et*

(1) Concordata an. 1741. *cap. 9. num. 10.* Tribunalis Mixti facultates, ac negotia enumerans ait: *Questo Tribunale non dovrà avere altra incompensa, se non che.... 6. d'invigilare all'adempimento de'* legati pii *col procurare ne'casi particolari nella maniera, che stimerà più propria, che i renitenti a soddisfare, se saranno* laici, *da loro competenti giudici* laici *sieno costretti all' adempimento de'* legati pii; *e se saranno* ecclesiastici, *da loro rispettivi Superiori, e giudici* ecclesiastici.

(2) Quarta Synodus Chalcedonensis in *can. quidam monachorum 10. C. 18. qu. 2.* Hoc in canone apud Gratianum Romani Correctores probe observant genuinum vocabulum *ptochiis* (h. e. piis pauperum domibus) a graecis Patribus usurpatum in Chalcedonensi *can.* 8., simul in prisca versione Conciliorum latina, et vetustis Gratiani codicibus; at corrupta post locutione in aliquot Conciliorum editionibus, et vulgato Gratiani Decreto in hoc aliud *parochiis* turpiter commutatum. Id quod etiam contigit in *can. si quis 3. C. 21. qu. 2.*, ubi Patres iidem Chalcedonenses tam de *ptochiis*, quam de *xenodochiis*, idest hospitum piis receptaculis, eorumque *negotiis* loquuntur.

(3) Honor., et Theod. ad Monaxium Pr. P. in *l. parabolanos 18. C. de Episcopis, et clericis.* Parabolanos fuisse famulantes piis infirmorum, et pauperum domibus interpretantur Alciatus *dispunct. lib. 4. cap. 9.*, Caelius Rhodiginus *lection. antiq. lib. 28. cap. 12.* Cuiacius *ad Nov. 3.* putat a Graecis ita dictos ex periculoso aegrotantium contactu, quos latini appellant audaces, et incautos periclitatores: posthabitis Accursio, et Tiraquello *de nobilit. cap. 31.*, opinantibus medicos ea voce nuncupatos.

rationibus, *et* exactionibus *subiacere* (1). Dum heredes iudicio Episcopi pro rationibus defuncti oeconomi reddendis, et reliquationibus persolvendis Imperator dimisit : locutus perinde de clericis, ac laicis oeconomis videtur. Mox idem ipse curam aedificandi pias hospitales domos peregrinorum, pauperum, orphanorum, aegrotantium, quas pii testatores disposuissent, mandavit cumulatam, et Episcopo, et iudici civili: et *si gubernatio recte procedit*, notionem cum iure amovendi inutiles rectores, aliosque idoneos creandi, *locorum beatissimis Episcopis* tantum attribuit (2). Plura exinde pro locis eiusmodi piis decreta in Synodis episcopalibus fuerunt (3). Saeculo IX. Eugenius II., et Leo IV., in Romanis Synodis constituerunt ad Episcoporum sollicitudinem pertinere, ut omnia in utilitates locorum quorumlibet piorum a fundatoribus praescriptas ordinentur (4) Saeculo XIV. generale Concilium Viennense hospitalibus domibus, xenodochiis, leprosariis, eleemosynariis prospiciendi studio eos in primis hortatur, ad quos iure, vel statuto, vel fundatoris lege, vel consuetudine, vel privilegio apostolico pertinet, ad officium suum in earum bono regimine implendum: iisque deficientibus, ut Ordinarii locorum suppleant neglectas vices, delegata etiam Sedis Apostolicae auctoritate in locis exemptis, praeterquam Regularium, et Militarium Ordinum hospitalibus. Addit nonnisi providis, idoneis, probisque viris gubernationem esse committendam, iuraturis instar tutorum de obeunda fideliter administratione, inventaria bonorum confecturis, suaeque administrationis rationem reddituris Ordinario, eorumve deputatis quotannis (5).

XXIII. Quatuor Tridentina decreta eo collineant, ut in pristinum statum restituatur episcopalis auctoritas in piis quibuslibet locis. I, urget Viennensem constitutionem servari adamussim (6). II, Episcopis facul-

(1) Iustin. *Nov. 123. cap. 23.*

(2) Idem *Nov. 131. cap. 10: Si quis aedificationem*, inquit, *venerabilis oratorii, aut xenodochii, aut ptochii, aut orphanotrophii, aut nosocomii* (h. e. hospitalis aegrotantium) *aut alterius reverendae domus in novissima voluntate fieri disposuerit: Oratorium quidem intra quinque annos compleri iubemus*, providentia *locorum* Episcopi, et civilis iudicis. *Xenodochium autem, aut ptochium, aut aliam venerabilem domum intra unum fieri annum..... locorum beatissimis* Episcopis *inspicientibus*, *si* gubernatio *recte procedit : et si invenerint non utiles existentes* rectores, *licentiam habentibus sine damno alios pro eis opportunos efficere.*

(3) Synodus Aurelian. V. an. 549. *can.* 15. vetuit Episcopo Lugdunensi quidquam ex Lugdunensi xenodochio, quod Rex Childibertus, et Regina uxor fundaverat, transferre ad ius Ecclesiae suae, iussitque, ut is rectae administrationi, curandisque aegrotantibus, et peregrinis praeficerent rectores Deum timentes secundum statuta fundationis inviolanda ; simul usurpatores bonorum illius hospitalis, tanquam necatores pauperum anathemate percutiantur. Consonat Synod. Cabilon. 1. an. 650. *can. 7.*, Tullens. 1. an. 859. *can. 14.*, aliae passim.

(4) Eugen. II. in Syn. Rom. an. 826. in *cap. de xenodochiis 3. de relig. domib.* Leo IV. in Romana etiam Synodo an. 873. *can. 23.* Eugenianum canonem confirmavit.

(5) Conc. Viennens. in Clementina *quia contingit 2. de religiosis domibus.*

(6) Trid. in *cap. curent Ordinarii 15. sess. 7. de reform. Curent Ordinarii,*

*

tatem dat speciatim visitandi quaevis loca pia, quamvis exempta, exceptis, quae sub immediata Regum protectione sunt (1). III, obstringit administratores etiam laicos quotannis reddere Ordinario suo rationes, abrogatis quae adversentur consuetudinibus, et privilegiis : nisi aliter in fundatione cautum sit (2). IV, denuo innovans Viennensem canonem de implendis cunctis hospitalium oneribus, et recte obeunda administratione, addit Ordinarium loci cum duobus Canonicis posse, ubi defecerint personae inibi admittendae iuxta legem fundationis, in aliud pium opus convertere fructus eorumdem; in administratores autem qua clericos, qua laicos suo in officio delinquentes Ordinarium ipsum animadvertere post monitionem censuris ecclesiasticis, et muneris destitutione: administrationem vero ultra triennium esse nemini concedendam, aliud nisi fundator disposuerit (3).

ut hospitalia quaecumque a suis administratoribus, quocumque illi nomine censeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter, et diligenter gubernentur; constitutionis Concilii Viennensi, quae incipit quia contingit, *forma servata : quam quidem constitutionem eadem S. Synodus innovandam duxit, et innovat cum derogationibus in ea contentis.*

(1) Idem in *cap. Episcopi 8. sess. 22. de ref. . . . Habeant ius visitandi hospitalia, collegia quaecumque, ac confraternitates laicorum, etiam quas* scholas, *sive quocumque alio nomine vocant* (*non tamen quae sub* Regum immediata protectione *sunt sine eorum licentia*) : *eleemosynas montis pietatis sive charitatis, et pia loca omnia quomodocumque nuncupentur, etiamsi praedictorum locorum cura ad* laicos *pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita, ac omnia, quae ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes substentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo iuxta sacrorum canonum statuta cognoscant, et exequantur ; non obstantibus quacumque* consuetudine *etiam immemorabili, privilegio, aut statuto.*

(2) Idem in *seq. cap. administratores 9. eadem sess. 22. Administratores tam ecclesiastici, quam laici fabricae cuiusvis Ecclesiae etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, eleemosynae, montis pietatis, et quorumcumque piorum locorum singulis annis teneantur reddere* rationem *administrationis Ordinario ;* consuetudinibus, et privilegiis *quibuscumque in contrarium sublatis : nisi secus forte in* institutione, et ordinatione *talis Ecclesiae, seu fabricae* expresse *cautum esset. Quod si ex consuetudine aliqua loci aliis ab id deputatis ratio reddenda esset: tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius, et aliter factae liberationes dictis administratoribus minime suffragentur.*

(3) Idem in *cap. admonet 8. sess. 25. de reform.* haec habet: *S. Synodus... praecipit omnino, ut impositum illis onus, officiumve administrent, atque hospitalitatem, quam debent ex fructibus ad id deputatis, actu exerceant, iuxta constitutionem Concilii Viennensis, alias in hac Synodo sub felic. rec. Paulo III. innovatam, quae incipit* : quia contingit. *Quod si hospitalia haec ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum personarum genus suspiciendum fuerint instituta, nec in loco, ubi sunt dicta hospitalia, similes personae, aut perpaucae reperiantur : mandat adhuc, ut fructus illorum in alium pium usum, qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco, et tempore utilior, convertantur, prout Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum usa peritiores sint, per ipsum deligendis, magis expedire visum fuerit: nisi aliter forte, etiam in hunc eventum, in eorum fundatione, aut institutione fuerit expressum, quo casu, quod ordinatum fuerit, observari curet Episcopus, aut si id non possit, ipse prout supra utiliter provideat. Itaque si praedicti omnes, et singuli cuiuscumque ordinis, et religionis, et dignitatis, etiamsi* laici *fue-*

XXIV. Quia nullum de laicis verbum in primo decreto fit, regius censor reliquis tribus tantum obstitit sua in relatione censoria notatis, aversurus hinc laicae iurisdictionis detrimentum, hinc episcopale iudicium in iis omnibus, quae aut laicas personas administratorum, aut res temporales piorum eiusmodi locorum spectant, praesertim in cogendis Oeconomis quum ad rationes annuas, tum ad solvendas reliquationes, iisque aut eligendis, aut removendis ab officio, itidem in reformandis abusibus, et negligentiis, aut convertendis in aliud opus fructibus, aut negotiis quibuscumque temporalibus inspiciendis (1). Et quamvis Philippus II. procurantibus Pii V. ad eum legatis apostolicis rescripsit ad Alcalensium Ducem die 27. Septembris 1570., ut nullum Episcopis impedimentum, sed libera immo facultas daretur exigendi, quoties libuisset, rationes a laicis piorum locorum administratoribus: regiae tamen litterae frustra fuerunt. Nam iis respondit Cardinalis Granuela Ducis Alcalensium successor in munere Proregis, quamlibet novitatem antiquis regni moribus adversam, quod ad visitanda extauritarum temporalia nec divino cultui, nec regiae Maiestati expedire: ac permulta pietatis opera derelicturos laicos Confratres extauritarios fore non sine magno pauperum detrimento, si episcopali iudicio sese ipsi exinde obnoxios intelligerent: quod vero ecclesiastica loca, eorumque administratores tantum ecclesiasticos Episcopi visitarent, nullum eos impedimentum expertos umquam esse (2). Eamque rursus consuetudinem longaevam retulit alius Prorex Mirandae Comes (3). Cumque Rex idem suo isti Proregi rescripsisset bonum esse hoc in regno servari Tridentina *capita VIII. et IX. sess. 22.*, ideoque non impediendos Episcopos loca pia etiam laicorum visitare, praeterquam regiae protectioni immediate subiecta, aut quae fundationis lex excipiat, sed auxilium potius hac in re accepturos, dummodo rationum libros, ex locis eiusmodi laicis numquam ii extraherent: Collaterale Consilium contra censuit novam Regi reponere informationem, intereaque nil contra mores innovandum. Hinc restitit Cardinali Gesualdo Archiepiscopo Neapolitano visitationem extauritarum iam aggresso anno 1699., non patiens

rint, qui administrationem hospitalium habent, non tamen Regularibus subiecti, ubi viget regularis observantia, ab Ordinariis moniti hospitalitatis munus, adhibitis omnibus, ad quae tenentur, necessariis, reipsa obire cessaverint, non solum per ecclesiasticas censuras, et alia Iuris remedia, ad id compelli possint, sed etiam hospitalitatis ipsius administratione, curave perpetuo privari possint, aliique eorum loco ab iis, ad quos spectabit, substituantur. Et praedicti nihilominus etiam ad fructuum restitutionem, quos contra ipsorum hospitalium institutionem perceperunt, quae nulla eis remissione, aut compositione indulgeatur, in foro conscientiae teneantur: nec administratio, seu gubernatio huiusmodi locorum uni, et eidem personae ultra triennium deinceps committatur, nisi aliter in fundatione cautum reperiatur: non obstante quoad omnia supradicta quacumque unione, exemptione, et consuetudine in contrarium etiam immemorabili, seu privilegiis, aut indultis quibuscumque.

(1) Ex rationibus iam expensis *tit. VI. num. XXXIV.*

(2) Apud B. Chioccarell. *to. 15. archivii,* et Reg. Falletti *ragionam 1.*

(3) Binis litteris ad Philipp. II. datis die 2. Febr., et 1. Octobr. 1587. apud eosdem auctores excriptis.

alias res, nisi spirituales tantum ab eo visitari in Ecclesiis, et Oratoriis extauritarum, quae sub immediata Regis protectione non essent. Mox Philippus III. ad Proregem Comitem de Lemos in mandatis dedit, ut eam ob rem novam conquereretur eidem Archiepiscopo Neapolitano. Exin plurimae ad alios dioecesanos Praesules regiae litterae a Collaterali Consilio, tum a Delegatis regiae iurisdictionis datae in diem, aut hortantes, aut inhibentes, ne suam Episcopi falcem in temporalem piorum locorum messem immitterent (1).

XXV. Romana vicissim Curia de sua non discessit sententia. Nam Clemens VIII., dum formam erigendi pias Confraternitates, easque Romanis Archiconfraternitatibus aggregandi cum privilegiorum, et indulgentiarum communicatione praescripsit sua, quam die 24. Decembris 1604. edidit, constitutione: simul declaravit domus omnes religiosas, et loca pia, etsi a laicis gubernata ecclesiasticae Potestati, ac visitationi Episcoporum subesse, rationemque reddituum, et eleemosynarum reddi Episcopis debere (2). Tum Benedictus XIII in Romana Synodo *religiosas esse* indicans *laicorum sodalitates* decrevit, ut eas Episcopi visitarent iuxta sanctiones Tridentinas, et constitutionem Clementis VIII., atque ab oeconomis rationes administrationum exigerent singulis annis, *nisi secus expresse in illorum fundatione sit cautum*, vel adessent earum discussioni una cum aliis ad id privilegio, aliave caussa iusta deputatis (3). Usus at rerum longe secus, quam constituerant Pontifices, heic permansit in suscepto laicae Potestatis consilio, quem custodire studuerunt saepedicti censores regii in adnotatione ad memorata Romanae Synodi decreta.

XXVI. Omnem denique dissensionem ademit nova Concordatorum lex an. 1741. definiens, ut Ecclesias omnes, extauritas, confraternitates, cetera loca pia per *laicos* gubernata (exceptis dumtaxat iis, quae sub immediata Regis protectione dupliciter sunt, nimirum vel ex regia fundatione, ac donatione, vel ex privati fundatoris expressa voluntate in limine fundationis a Rege admissa) Episcopi, aliique locorum Ordinarii *quod ad spiritualia tantum* visitent, suumque praeterea Deputatum ecclesiasticum destinent, una cum ratiocinatoribus iuxta morem eligendis adfuturum omnino gratis visioni, ac discussioni rationum, quas debent quotannis administratores laici reddere (4). At vero loca pia, quae ab

(1) Eas fuse narrat Marchio Falletti *loc. cit.* Romam hinc ablegatus ad iura tuendum regia, turbasque sedandum, quas exciverat Surrentinus Archiepiscopus de Anastasio, spretis eiusmodi regiis litteris.

(2) Clem. VIII. in *const. quaecumque a Sede Apostolica*, de confraternitatibus erigendis, et aggregandis, cuius summarium videsis in *appendice 22.* Romanae Synodi Benedicti XIII.

(3) Bened. XIII. in Syn. Rom. *tit. 23. de religiosis domibus, ut Episcopo sint subiectae cap. 1., et 2.*

(4) Concordata *cap. 5. art 1. A riserva delle Chiese, e luoghi pii, che sono sotto* l' immediata regia protezione, *sia perchè sono di regia fondazione e dotazione, o perchè* in limine fundationis *sono state messe sotto l' immediata protezione regia, si potranno da Vescovi, ed altri Ordinarj de' luoghi visitare* quoad spiritualia tantum *tutte le Chiese, cappelle, staurite, confraternite, ed altri simili luoghi pii laicali amministrati, o governati da* laici, an-

ecclesiasticis tantum personis gubernantur, (praeterquam quae immediate ab Rege proteguntur, ut supra) omnimodae iurisdictioni, et visitationi Episcoporum declaravit, *quod ad temporalia etiam* subesse (1).

XXVII. *Spiritualia* extauritarum negotia ex regii Collateralis Consilii sententia haec fuerunt Archiepiscopo Neapolitano visitanti speciatim dimissa (2). 1, an statuta, et regulas de spiritualibus rebus disponentes habeant extauritarii, et quonam auctore probatas. 2, quoties, et quem ob finem confratres quotannis congregentur, vacentque spiritualibus operibus. 3, an necessitatem ex regula statutam habeant pluries per annum. aut mensem accedendi ad Sacramenta Poenitentiae, et Eucharistiae. 4, quasnam preces adhibeant vocales, et meditationum formas in orationibus mentis. 5, an capellanos habeant, quot, et quonam cum onere Missas celebrandi, aliaque divina officia obeundi.

XXVIII. Haec vero *temporalia* vicissim censuit ab officio episcopalis visitationis aliena. 1, quot, et quales pio loco proventus, reditusve sint. 2, num certa ei onera incumbant aliquid pios in usus persolvendi certis locis aut personis. 3, an peculiares accepti, et impensi libros habeant extauritarii, reditusque impendant bona fide in onera loci pii necessaria, et proficua. 4, an ii, dum una congregantur, vel statis, vel extraordinariis diebus, aliquid praeter spiritualia exercitia pertractent, ipsisque propterea vetare, an expediat, ne simul conveniant umquam pro quibuslibet negotiis peragendis, praeterquam statuto, permissoque dierum numero (3).

XXIX. Temporalibus hisce negotiis ab episcopali iudicio alienis addunt 5, quaestiones Confratrum laicorum de praecedendi iure in publicis supplicationibus, seu piis processionibus (4). 6, de aggregandis,

corchè per qualunque altro titolo diverso dagli espressi di sopra, sieno sotto la regia protezione. II. Oltre a ciò si potrà da medesimi Vescovi ed Ordinarj destinar persona, che co' Razionali, o siano Deputati, che saranno eletti da chi spetta secondo il solito, intervenga alla revisione *de' conti, che ciascun' anno impreteribilmente si dovranno rendere dagli amministratori dei suddetti luoghi pii non sottoposti all' immediata regia protezione, come si è detto di sopra: con questo bensì, che la detta persona destinata dal Vescovo, o sia Ordinario, debba intervenirvi* omnino gratis, *e senza interesse del luogo pio.*

(1) Ibidem *art. 6., et ult.*: *I luoghi pii, che sono amministrati e governati da* sole persone ecclesiastiche, *debbano solamente visitarsi dagli Ordinarj tanto nello* spirituale, *quanto nel* temporale.: *purchè non siano sottoposti all' immediata regia protezione nella maniera spiegata di sopra.*

(2) Decretum istud anno 1580. latum in R. Collat. Cons. D. Io. de Zunica prorege, tradunt Regens de Ponte in *ms. tract. de visitat. extaurit.* Chioccarell. *arch. to. 15.*, Regens Falletti *cit. ragionamento 1.*

(3) Ex eodem Collateralis Consilii decreto.

(4) Bobadilla *lib. 2. politic. cap. 18. num. 218. cons. 113.* Hinc est, cur in iis, quae ab Ecclesia Neapolitana fiunt, solemniores processiones in festo Corporis Domini, et B. Ianuarii, consueverunt regius Capellanus Maior, et populi Tribunus adesse prope ianuam Cathedralis Ecclesiae, donec omnes laicorum sodalitates, et Confraternitates eo inde procedant ordine, quo singulae nominatim vocantur a magistro actorum Curiae Capellani Maioris.

vel expungendis a sodalitio confratribus (1). 7, de personis etiam ad loci pii administrationem, ac regimen, aut ad ratiocinia eligendis, vel amovendis ab officio: quarum electio sit, an non valida, saeculares regni iudices ordinarii quum baronales, tum regii notionem habent iudiciariam (2); iique idcirco adsunt eorumdem electionibus, quotiescumque oporteat imminentes inde turbationes eliminare, aut cohibere. 8., eleemosynarum quaestus, collectionem, distributionem, usum (3): quidquid aliter mandaverit Episcopis Clemens VIII. (4). 9, compellere laicos administratores quum ad rationes gestae administrationis reddendas, tum ad solvendum id, quod debeant (5). 10, contractus quoslibet de praediis, aliisque bonis quocumque titulo alienandis, vel de quavis re

(1) Plures eiusmodi controversias consuevit Rex ad Delegatum Regiae Iurisdictionis, aut ad Tribunal Mixtum remittere.

(2) Ad Tribunal Mixtum Rex die 7. Augusti 1745. Id Hispano sermone rescripsit in Italum sic verso... *Ha risoluto S. M. che tutt'i Giudici, e Ministri ordinarj del regno, avanti ai quali saran promosse le questioni di nullità dell'elezioni de'luoghi pii laicali del medesimo, precisamente prima di qualsisia altra lite spediscano dentro un mese tali cause, nè usino mai la solita clausola*, et interim exerceant veteres: *ma bensì senz' aspettare altro tempo immediatamente fin dal principio della lite debbano ordinare, che i passati amministratori, e governatori desistano, ed interinamente subentrino a governar quei, che ne' tempi passati an governato i detti luoghi pii laicali, an dato i conti, ed ottenuto le liberatorie, e nel caso che non le abbian' ottenute, giacchè da poco tempo a questa parte pel Concordato si è posta in più rigorosa pratica la visura de'conti, sieno i più accreditati, e di maggior buona opinione nel pubblico. E d' ordine di S. M. lo prevengo a V. S. Illustrissima in risposta della consulta del Tribunal Misto de' 23. Dicembre dell'anno prossimo passato, e per intelligenza ed istruzione del medesimo Tribunale.*

(3) Die 9. Iulii 1740. Rex edicto vetuit generatim, ne Ministri cuiusvis gradus, ac dignitatis quum ordinarii, tum delegati commendatitias quaestoribus eleemosynarum litteras darent amplius ad Universitates, piave loca huius regni, nec eleemosynas colligere in pios quoslibet usus cuilibet permitterent unquam: simul iussit, omnes ut licentiam conquirendi eleemosynas petere ab ipso tantum Rege deberent per Secretariam Status belli, et maris; quoslibet autem earumdem quaestores cum aliis, praeterquam regiis litteris commendatitiis circumeuntes vinculis manciparet quisque loci Gubernator, aut Provinciae Praeses; tum contumaciae, fraudisve convinctos damnarent ad triremes per septennium. Mos inde inolevit in regio assensu, quem super statutis, ac regulis Confraternitatum postulant in diem, adiiciendi clausulam praevio voto Regiae Curiae Capellani Maioris, ut si quidem regulae de quaestu eleemosynarum etiam consueto disponant, Confraternitas debeat specialem ab Rege licentiam ea de re impetrare, quamvis regulae ipsae generatim regio assensu comprobentur.

(4) Clem. VIII. in *cit. const. quaecumque a Sede Apostolica §. eleemosynas*, de qua paulo superius dictum *num. XXI.*

(5) Concordata *cit. cap. 5. art. 4. L'esecuzione poi della significatoria trattandosi contra di persone* laiche, *dovrà farsi dal giudice* laico, *e contro delle persone* ecclesiastiche *dovrà farsi dal giudice* ecclesiastico. Tum *art. 5, dovrà il Tribunal Misto . . . invigilar primieramente, che gli amministratori de' suddetti luoghi pii rendano infallibilmente ogni anno i conti nella maniera spiegata nel precedente num. 2.*

temporali celebrandos (1). 1, inventaria honorum, et scripturarum volumina (2).

XXX. Quidquid oneris propterea sustinent ecclesiastica bona temporalia impositi ab ecclesiastica Potestate, id omnino respuunt, abiiciuntque loca pia laicalia: praesertim *decimas* non semel super ecclesiasticis redditibus ab Apostolica Sede concessas Regibus in subsidium sacri belli contra infideles (3), et *cathedraticum*, seu *synodaticum*, quod Episcopis dioecesanis iure canonum quotannis ideo persolvunt Parochi, Ecclesiarumque rectores, et clerici omnes beneficia ecclesiastica possidentes (non alii de Clero nullum habentes beneficium), ut episcopali Cathedrae ea portione canonica honorem exhibeant, velut signum subiectionis, et obedientiae (4). Si enim Capellanias ad nutum mobiles tamquam laicas eximit a cathedratici onere S. Congregatio (5), quam-

(1) Ex supra iam dictis *tit. VII, num. XXXIV.*

(2) Romana Synodus Bened. XIII. *tit. 12. de fide instrum. cap. 1., et 2.* quum decrevisset, ut inventaria bonorum omnium, et redditumm cuiusque Ecclesiae, locique pii quomodolibet exempti intra annum a promulgatione ipsius Synodi decurrendum conficerentur, quae tum deberent Episcopi recognoscere, ac probare, sancita speciatim in laicos non obtemperantes poena excommunicationis; utque authentica inde sumpta, et exempla integra in archivio aut episcopali, aut pontificio servarentur: Censores regii saepe iam dicti adnotarunt id etiam laicorum libertatibus, regiisque iuribus adversari.

(3) Regem Ferdinandum Aragonium rescripsisse loca pia huius regni laicalia non teneri ad contribuendas decimas, quas consueverunt Romani Pontifices indicere super bonis ecclesiasticis ad quinquennium, aliudve spatium temporis, easque largiri summis Regibus religionem, et tranquillitatem Christianorum contra hostes propugnantibus fert M. de afflictis in Neap. *cons. si Ecclesia gl. 1*, et initio *tract. de iure protimescos num. 13.* Idipsum a regia Camera Summariae decretum anno 1477., scribit Regens Falletti *dict. ragionam 1*: addens praevio eiusdem regiae Camerae voto proregem Card. Pompaeum Columna ad apostolicum Nuntium litteras dedisse commonentes, ut ne molestiae inferrentur Extauritis, Capellisque laicis Surrenti, tamquam exemptis ab onere decimarum papalium; et ita exinde servatum in subsecutis decimarum impositionibus ex concordi etiam Romanae Curiae sententia. Nam Innocentius XI. quum decimas eiusmodi ecclesiasticas indulsisset Leopoldo Imperatori pro subsidio sacri belli Ungarici contra Turcas: Cardinalis Alterius generalis Camerae apostolicae Collector super dubiis inter Subcollectorem, et Surrentinos extauritarios de voto specialis Congregationis rescripsit die 28. Novembris 1684. Ecclesias istorum nullatenus esse ob id vexandas. Regiis enim tributis perinde bona, et redditus extauritarum, ac profana laicorum cetera bona facit iure suo ipse Princeps obnoxia.

(4) Antiquos pro cathedratico duorum solidorum persolvendo canones Conciliorum Bracharens. Emeritens. Toletan. Cabilonens., et epistolas Pelagii II. ad Cresconium, ac Gelasii ad Fabianum exscribit Gratianus *C. X. qu. 3.* firmatque Honorius III. in *cap. conquerente 16. de offic. iudic. ordin.*, et S. Carolus Borromaeus in secunda Synodo Mediolanensi. Non beneficiarios clericos a cathedratico immunes declaravit S. Congr. in Lavellensi 18. Aprilis, et 6. Iunii 1693. apud Aloys. Ricc. *par. 3. dec 22.* Pignatell. *consult. 285.*, et Monacell. *par. 2. tit. 14. num. 4.*, tum in Compsana die 15. Ianuarii 1694. censuit contrariam iis consuetudinem non officere.

(5) S. Congr. in Maceratensi cathedratici die 29. Aprilis 1731. apud Benedict.

vis fructus earum sibi habeant presbyteri capellani: eo magis exempta videntur loca pia, quorum redditus, et bona laici administrant, et retinent. Secus vero Tribunal Mixtum censuit de quota exigua expensarum annuae visitationis episcopalis, quam consueverant loca etiam pia contribuere Episcopo eorumdem spiritualia visitanti (1), moresque ante Concordata id non oppugnabant (2). At regio rescripto novissimo repudiata huiusmodi sententia vetitum est Episcopis quidquam a locis piis laicalibus exigere pro iure visitationis (3).

XXXI. Nullam itaque notionem in temporalibus extauritarum negotiis iam dictis nunc habent Episcopi. Nam eis vix indulget recitata Concordatorum lex Deputatum ecclesiasticum dare ad videndas, discutiendasque una cum laicis ratiocinatoribus annuas rationes gestae administrationis, tum subsignandas litteras, aut declaraturas, quantum aeris ex calculo subducto debeant singuli administratores, aut eos aequatis acceptae, dataeque pecuniae summis liberaturas. Quidquid autem fraudis, et abusus inde agnoverint, Episcopi debent non dissimulare silentio, sed Regi nunciare, ut opportune is prospiciat publicis locorum utilitatibus (4).

XIV. *de Syn. dioec. lib. 5. cap. 7. num. 5.* Idemque *num. 4.* aliud S. Congregationis Concilii responsum fert in Firmana cathedratici die 24. Iulii 1734., nimirum Confraternitates laicorum propriam Ecclesiam habentes ad solvendum cathedraticum teneri, secus illas, quae propriam non habeant Ecclesiam, sed simplicem tantummodo Capellam.

(1) Eamque Tribunal Mixtum adprobare in rationum revisionibus consuevit, ratam habendo, aut solitam pecuniae quantitatem, si modica fuerit, aut resecando, usque ad medietatem, ubi plus iusto datum in visitationis caussam censuit.

(2) Tridentina Synodus in *cap. 3. sess. 24. de ref.* quum decrevisset futurum in eorum, qui visitantur, optione, si malint victualia, quam pecuniam praebere, *salvo iure conventionum antiquarum cum monasteriis, aliisve* piis locis, *aut Ecclesiis:* contra id regius Censor nil habuit, quod obiiceret.

(3) Die 3. Maii huius anni 1760. regium rescriptum hoc Tribunali Mixto datum est: *In vista dell'esposto dal Tribunal Misto coll' informo de' 17. del prossimo passato mese sopra il pagamento preteso dal Vescovo d'Isernia del dritto di sua visita spirituale da luoghi pii laicali di sua Diocesi, dicendo il Re, che non si esigga diritto alcuno per la visita, che si fa de' luoghi pii laicali, e volendo sapere in virtù di qual regal dispaccio ha dato il Tribunal Misto l' ordine, ch' enuncia il Vescovo d' Isernia per la esazione della metà del diritto di visita de'luoghi ecclesiastici: il prevengo a V. S. Illustriss. d'ordine di S. M. perchè il Tribunal Misto gli dia esecuzione. D. G. etc.*

(4) Die 16. Ian. 1747. ad Tribunal Mixtum Rex rescripsit singulis Provinciarum Praesidibus iussisse. 1, ut locorum piorum laicos oeconomos post annum continuo cogerent ad rationes reddendas. 2, ut exempla rationum unius anni omnium eiusmodi locorum transmitterent ad ipsum Regem. 3, ut Episcopi res male gestas referrent. *Similmente ha comandato ancora S. M.* (verba rescripti) *a' riferiti Presidi, e Commessario di Campagna che comunichino in iscritto agli Arcivescovi, e Vescovi delle rispettive lor Provincie, che qualunque sconcerto, e disordine, il qual sapessero essere in alcun luogo pio laicale di sua Diocesi, donde risulti pregiudizio al servigio di Dio, ed al ben pubblico, lo rappresentino a S. M. per la detta Segreteria di mio carico* (del dispaccio ecclesiastico), *affinchè S. M. informata possa dar le provvidenze opportune per la maggior gloria di Dio, ed aumento de'medesimi luoghi pii laicali.*

XXXII. Rebus ita compositis, novas nunc lites vel germinat, vel alit super locorum piorum qualitatibus humana cupiditas partium studio fota in diem, quarum altera praeoptat *ecclesiasticam* in iis *qualitatem, laicam* altera, aut haec pro *immediata* regia *protectione*, illa ex adverso *pro mediata* contendunt; unde varia, et dubia fit episcopalis iurisdictio. Quandoquidem Concordata omnimodam Episcopis potestatem in locis *ecclesiasticis* quod ad temporalia etiam largiuntur, in *laicalibus*, et *mixtis* limitatam ad spiritualia tantum, nullam in subiectis *immediatae* regiae protectioni quum laicis, tum ecclesiasticis. Idcirco singulas eiusmodi qualitates operae pretium est probe dignoscere.

XXXIII. Multum, et diu disputarunt iam Doctores, ut discrimen statuerent inter ecclesiastica loca, et laicalia. Nam alii *laicalem* solummodo aestimabant locum *sine oratorio* extructum, et *ecclesiasticum* vice versa erectum cum oratorio (1). Alii *religiosum*, et *sacrum*, qui cum Episcopi auctoritate fuisset etiam sine oratorio aedificatus: profanum vero, et laicum, in quo erigendo nulla intercessisset auctoritas episcopalis (2). Utrisque hisce rationibus innixi, qui partes Episcoporum tuebantur, pro aris, et focis pugnantes contendebant omnia ferme loca pia utcumque a laicis administrata redigere in ditionem Episcoporum, satisque probari ecclesiasticam in iis qualitatem ex episcopali benedi-

(1) Haec fuit Alexandri III. sententia in *cap. 1. de Eccles. aedific.* in 2. Decretal. compil. *Si hospitale in aliquo loco*, ait, *absque oratorio feceritis, liberum erit vobis absque conscientia Episcopi, in cuius parochia fuerit, ipsam domum construere: quod si oratorium ibidem facere volveritis, id absque licentia Episcopi non faciatis, iustitia in omnibus servata.* Rationem a civili Iurisprudentia mutuatus Pontifex videtur, praesertim a textu Marciani in *l. in tantum 6. §. 3. D. de rerum divisione*, ita concepto. *Sacrae autem res sunt, quae publice consecratae sunt, non private: si quis ergo privatim sibi sacrum constituerit*, sacrum *non est*, *sed* profanum. *Semel autem aede sacra facta, etiam diruto aedificio, locus sacer manet. Haec enim templa*, aptissime dixit Quintilianus *in declam. priusquam dedicationis accipiant summam religionem, opera sunt tantum: dedicatio est illa, quae Deum inducit, quae sede destinata locat.* Profecto nullus aliud recte consecratum habet altare, *nisi quod ab* Episcopo *loci sanctificatum est, vel permissum, ut sit distinctio inter* sacrum, et non sacrum, definivit Hormisdas Papa in *can. nullus presbyter 25. dist. 1. de consecr.* Publicam insuper consecrationem cujuslibet Oratorii, Ecclesiaeve nonnisi episcopali auctoritate fieri posse, Iustinianus etiam edixit Nov. 67. *cap. 1. Sancimus* (ait Imp.) *nulli licentiam esse, neque monasterium, neque Ecclesiam, neque orationis domum incidere aedificare, antequam Episcopus orationem in loco faciat, et Crucem figat, publicum processum illic faciens.*

(2) Ex decretali epistola Urbani III. ad Episcopum Ariminensem in *cap. licet ad ea 4. de religios.*, ita rescribentis: *Si locus ille ad hospitalitatis usum et pauperum provisionem fuerit, sicut moris est*, auctoritate Pontificis *destinatus cum sit* religiosus, *non debet mundanis usibus deputari: sicut de vestibus, et ligneis vasis, et aliis utensilibus ad cultum religionis per Pontificem deputatis antiqua consuetudo indubitanter observat, et venerabilium Patrum edocent sanctiones.* Hanc discriminis rationem amplexi sunt Covarr. *lib. 4. variar. cap. 20. num. 3.*, Guttierez *canonic. qu. 35.*, Bobadilla *lib. 3. politic. cap. 17. num. 39. et cap. 18. num. 139.* Gambacurta *de immu. lib. 4. cap. 1. num. 2.*

ctione, aut dedicatione Ecclesiae iisdem adnexae, aut ex ara sacra pro Missis celebrandis inibi erecta, aut ex adsensu Episcopi super statutis, et regulis confratrum. Eam ipsam insuper arguebant ex consuetis Episcoporum visitationibus, ex contractibus administratorum saecularium adsensu episcopali vel pontificio probatis, ex rationibus eorumdem soli Episcopo, eiusque Deputato redditis, ex cathedratici, aut synodatici episcopalis, decimarumque papalium solutionibus, ex longaeva scilicet praescriptione, seu consuetudine (1). Alii tandem posthabito episcopalis adsensus, et oratorii respectu quemlibet locum, quantumvis religiosum, cuius administrationem laici gererent, laicalem indistincte putarunt (2). Res autem iudicatae, moresque regiorum quoque tribunalium dubio, incerteque iure fluctuabant: dum alios nimia religione captos, aliosque omnino solutos acta patefaciunt (3).

XXXIV. Lex Concordatorum postremam ex tribus iam dictis notam discriminis probat, *laicalia* generatim appellans cuncta ab laicis administrata loca pia, quinimmo et Ecclesias ipsas, Capellasque speciatim in ea ipsa *laicalium* classe connumerat, et *ecclesiastica* vicissim, quae ab ecclesiasticis tantum administrantur, et reguntur (4). *Mixta* demum

(1) Hisce argumentis usos nostros caussarum patronos primae classis patet ex Iosephi de Rosa *consult. 6.*, pro Cavensi Episcopo laudati superius *tit. VII. num. XXXIV.*

(2) Istam discriminis notam ex adverso propugnavit Constantinus Cafarus *peregr. quaest. lib. 1. qu. 18.*

(3) Innumeros extauritarum, laicorumque oeconomorum contractus de bonis earundem temporalibus ad postulationem Confratrum Sedes Apostolica probare ad aetatem usque nostram consuevit cum regio placito, quod Curia Capellani Maioris, et Collaterale Consilium haud raro tunc indulgebant Curiae Romanae litteris assensum eiusmodi pontificium spectantibus. Exempla in archivo praefatae regiae Curiae prostant. Unum ex iis ut proferam, Gregorius XIII. postulantibus Confratribus SS. Sacramenti, et Montis pietatis Tarentinae urbis unionem utriusque Confraternitatis, eam indulsit litteris sub Piscatoris annulo datis die 5. Septembris 1575., rescribens Archiepiscopo Tarentino Lelio Brancaccio, ut oratores possent *praefatas duas Confraternitates, illarum res, et bona, ac Confratres invicem, et insimul perpetuo unire . . . . illarumque iura, et actiones . . . . relicta legata, et donata, ac relinquenda, leganda, et donanda. . . . fructus, redditus, et proventus, nec non etiam oblationes, eleemosynas, et alia . . . . de quibus tamen omnibus administratores Ordinario loci iuxta Conc. Trid. dispositionem quotannis reddere teneantur rationem.* Dein die 26. Maii 1567. Prorex, et Collaterale Consilium visa relatione Curiae Capellani Maioris pro regio placito indulgendo decrevit, quod *exequatur iuxta formam retroscriptae relationis.* Haec liquent ex actis Tribunalis Mixti pro Congregatione SS. Sacramenti, et Monte Pietatis Civ. Tarenti *fol.* 34., et 35, Cumque transactionem pro capitali pecunia duc. 900. administratoros eiusdem pii montis inivissent cum D. Aloysio Latino Barone S. Mariae ad taurum, et apostolicum super ea adsensum obtinuissent anno 1740: regia Capellani Maioris Curia censuit posse placitum regium impertiri, et regalis Camera S. Clarae die 27. Sept. 1740. decrevit, *quod exequatur citra praeiudicium iurium regalis iurisdictionis*, ex iisdem actis *fol. 43.*

(4) Concordata *cap. 5. num. 1.* describunt: *tutte le Chiese, cappelle, stauriti, confraternite, ad altri simili luoghi pii laicali amministrati e governati*

silentio in Concordatis praeterita hinc ea esse dicimus, quae laici una cum ecclesiasticis administrant, locique mere laicalis conditionem ita sequuntur in omnibus (1), ut nil penitus intersit, an maiores numero sint ecclesiastici, quam laici oeconomi, iique nullatenus idcirco valeant ecclesiasticam loco mixto dare qualitatem, nec laicorum partem minorem ad maiorem trahentes umquam obruere. Factum saepenumero est, ut Capellas, locave pia permulta olim aliquando laici aut soli, aut promiscue cum ecclesiasticis administrarent, mox administrationem ad ecclesiasticos longo abhinc tempore devolutam hi tantum in praesentia teneant, quam retrahere ad se laici quaquaversus anxii student. In eiusmodi quaestionibus ad Tribunal Mixtum saepe ab Rege remissis Tribunal istud consuevit nullum dare locum praescriptionibus temporis etiam longissimi, et immemorabilis, laicos idcirco restituens in integrum ad ea regenda, et administranda loca, quae ab laicis oeconomis, vel semel gubernata ipsi ostenderint, vel patens fundatoris voluntas laicis administranda mandaverit. *In omnibus enim talibus piis voluntatibus*, Iustinianus edixit (2), *Episcopos providere, ut secundum defuncti voluntatem universa procedant* Patres etiam Tridentini fundationis legem non violandam in rebus ad pia loca pertinentibus non semel decreverunt (3). Id quod regiis quoque rescriptis firmatum est (4). Licet hinc intelligere praecipuum, certumque signum qualitatis quum ecclesiasticae, tum laicae in locis piis desumi ex voluntate fundatoris expressa, aut ex perspècta personarum administrantium qualitate, quae faciunt coniecturam praesumptae fundationis.

XXXV. *Immediatae protectionis regiae* character anceps quoque olim fuit. Summum esse protectorem Ecclesiarum omnium cuiusque regni unumquemque Regem fidelem iure ordinario, prisci etiam canones agnoscunt, et praedicant (5). Verum enim vero ea *generalis* protectio Regum non deminuit, nec submovet ordinariam Episcoporum iurisdictionem in suae dioecesis Ecclesias, et personas ecclesiasticas: sed im-

da laici. Tum *num. 6., et ult. i luoghi pii, che sono amministrati, e governati da sole persone ecclesiastiche debbono solamente visitarsi dagli Ordinari tanto nello spirituale, quanto nel temporale.*

(1) Ex regio rescripto an. 1742., quod innui supra *tit. VII. num. XXXIV.*

(2) Iustin. Nov. 131. *cap. 11.*, idemque rursus in *l. sancimus 46. C. de Episc., et cleric.* necessitatem implendi pias defunctorum voluntates inculcat.

(3) Trid. in *cap. administratores 9. sess. 22. de ref.* decretum de reddendis Ordinario loci rationibus excipit: *nisi secus forte in institutione, et ordinatione talis Ecclesiae, seu fabricae expresse cautum esset.* Pariter in *cap. admonet 8. sess. 25. de ref.* loquens de supervacaneis fructibus in pios usus ab Ordinario convertendis addit clausulam: *nisi aliter forte etiam in hunc eventum in eorum fundatione, aut institutione fuerit expressum: quo casu, quod ordinatum fuit, observari curet Episcopus.*

(4) Die 12. Maii 1742. Rex Carolus adsentiens consultationi, quum Tribunal mixtum dederat die 18. Aprilis, imperavit servandam in primis fore cuiusque loci pii fundationem, quod ad formam eligendi quum oeconomos, tum ratiocinatores.

(5) Eos memoravi *lib. 1. tit. 1. num. VIII. et tit. V. de constitut. num. XVI.*, et fusius *hoc lib. III. tit. 1. num. XXIV., et XXV.*

mo eam brachio regio efficit validiorem. Quo enim pacto consisterent unquam hierarchia, et disciplina Ecclesiae, si potestati episcopali, et ecclesiasticae Praesulem dioecesanorum adversaretur *generalis* protectio regia? *Specialis* autem protectio est, quae vim habet nonnullas Ecclesias, et personas iisdem famulantes eximendi ab Ordinariorum iurisdictione, ac potestate extrà ordinem iuris communis. Hanc idcirco *extraordinariam* appellant, et *immediatam*, quia sublato Praesulum, et iudicum ordinariorum medio, per sese Rex tuetur, quas sua sub speciali protectione suscipit Ecclesias, et personas: ut hanc ipsam ab ea *generali*, quam solent *ordinariam*, et *mediatam* versa vice nuncupare, distinguunt (1). Differentiam eiusmodi praesignavit Alexander III. in duplici etiam Sedis Apostolicae protectione (2): quae ubi *specialis fuerit*, plenam tunc Ecclesiae libertatem, exemptionemque a dioecesani Episcopi iurisdictione ordinaria largitur (3): secus vero *generalis* (4). Quoniam ius decretalium ostendit *specialem* Romani Pontificis

(1) Archiep. Parisiens. Petrus de Marca *lib. 1. de concordia cap. 12. num. 1. Principes quidem*, ait, *Ecclesias in regnis suis constitutas ex officio tueri tenentur, quod ius protectionis* ordinarium *est, et a iurisdictione pendet. Sed aliud est ius quoddam protectionis* extraordinarium, *quod Ecclesiis sibi non subditis adversus potentiorum vim publicam, aut privatam impertiri solent illi, qui alias ex munere suo ad id non tenentur.* Pariter Wan-Espen *par. 2. tit. 37. num. 30.* scribit. *Dum Synodus loquitur de* immediata *Regum protectione intelligi vult non* generalem *illam protectionem, et tutelam, quam Principes promittunt, et debent omnibus piis Locis: sed de* speciali, *et* expressa *protectione; in quam quaedam hospitalia de singulari gratia Principis, et fundatorum voluntate recepta sunt.*

(2) Alexander III. ad I. Apostolicae Sedis legatum in *cap. recepimus 8. de privilegiis* rescripsit, *ut si fuerit deprehensum, quod Ecclesia, quae censum soluit Papae*, specialiter *B. Petri iuris existat, et ad indicium perceptae libertatis census annuus conferatur: non immerito possit* speciali *praerogativa gaudere. Si vero ad indicium perceptae* protectionis *census persolvitur, non ex hoc iuri dioecesani Episcopi aliquid videtur esse subtractum.*

(3) Ex eiusdem Alexandri III. decretali ab Abulensem Episc. in *cap. ad audientiam 34. de appellationibus*, quam integram habet Antonius Augustinus in 2. compilat. et Emm. Gonzalez in *cit. cap. 24.* Ad audientiam nostram, ait Pontifex, pervenisse noveris, quod cum Zamorensis Episcopus W. presbyterum Ecclesiae S. Iacobi Zamorensis, quae est propria Compostellanae Ecclesiae, multipliciter molestaret; tandem presbyter pro eiusmodi gravaminibus evitandis se, et Ecclesiam, ac parochianos suos nostrae, ac Romanae Ecclesiae protectioni subiecit. Sed praefatus Episcopus pro eo forte, quod expressim non appellavit, in eum post invocatum S. Sedis patrocinium contra etiam privilegium Compostellanae Ecclesiae indultum excommunicationis sententiam promulgavit . . . quia tamen postquam se, et sua nostrae protectioni subiecerat, non debuit sine caussae cognitione aliqua sententia condemnari.... si ita tibi constiterit, sententiam praefati Episcopi denunties non tenere .... eumdem quoque Episcopum studiosius moneas, ut a molestiis, et gravaminibus Compostellanae Ecclesiam omnino desistat, et sic iure suo sit contentus, ut ea, quae ad praedictam Ecclesiam spectant, sibi nequaquam permittas usurpari.

(4) Coelestinus III. Ausoniensi Episcopo rescripsit in *cap. ex parte tua 18. de privilegiis*, clericos, et laicos, qui litteras protectionis ostendunt, in quibus personae suae expresso nomine cum omnibus rebus suis sub apostolica protectione consistere declarantur, ab Episcoporum suorum non subtrahi potestate.

protectionem indulgeri quum in limine, tum extra limen fundationis, ex longo quamvis intervallo, quemadmodum suam Alexander III. indulsit speciatim Ecclesiae S. Iacobi Zamorensis, eiusque presbytero, et parochianis (1): de incertis exinde limitibus immediatae protectionis regiae nostri saepius dubio marte certabant acriter (2).

XXXVI. Nunc fines ex aequo, et bono iam constituti utriusque Potestatis consensione: quum lex Concordatorum an. 1741. declaret apertissime *immediatem* Regis protectionem ex duobus tantum titulis oriri, vel scilicet ex *regia fundatione*, ac *dotatione*, vel ex subditi fundatoris voluntate in *limine fundationis* expressa, et rite accepta: *mediatam* vero ex aliis quibuscumque titulis (3). Quot in hoc regno, et quaenam sint Ecclesiae, et loca pia, quae immediata protectione regia fruuntur, dubitatur adhuc (4). At exposita Concordatorum regula, quae definit du-

(1) In *cit. cap. ad audientiam 35. de appellationibus.*

(2) Cardinalis Iesualdus Archiep. Neap., alios ut sileam, visitationem Hospitalis Incurabilium, et Ecclesiae S. M. de populo ad se pertinere, contradicentibus regiis Ministris, contendens in primis asseverabat deesse privilegium immediatae regiae protectionis. 2. Regiam visitandi licentiam a Tridentina Synodo reservatam dioecesano tantum Ordinario concedendam, praeterea nemini. 3. Ecclesiam Hospitali adnexam noluisse Patres Tridentinos immediate Regum protectioni subiicere, apud Reg. de Ponte in *ms. tract. 13. de exempt. visitat. hospital. Inspiciendum est*, scribit damnatus auctor Salgadus *de reg. protect. par. 3. cap. 10. num. 269., et seqq. an Ecclesia, de cuius recuperatione ad regiam Coronam tractatur, habeat arma regalia, vel aliqua similia regalia insignia, quae monstrent fuisse aliculus monasterii virorum, iuxta illud Lucae 20.* Ostendite mihi denarium, cuius habet imaginem, et inscriptionem? reddite ergo, quae sunt Caesaris, Caesari . . . Cum res eius esse praesumatur, cuius est signum, et marcha. . . . et ex eo arguitur dominium. Ambiguam eiusmodi coniecturam, immo inanem facit libertas subditorum, qui solent arbitratu plerumque suo audacter loca pia non regia imaginibus, et armis regiis, inscio Rege decorare: id quod iure vetitum in *l. 1., totoque tit. C. ut nemo privatus titulos praediis suis, vel alienis imponat, vel vela regia suspendat.*

(3) Concordata *cap. 5. num. 1. A riserva delle chiese, e luoghi pii, che sono sotto* l'immediata *regia protezione, sia perchè sono di regia* fondazione, e dotazione, *o perchè* in limine fundationis *sono state messe sotto l'immediata protezione regia: si potranno da' Vescovi, ed altri Ordinari de' luoghi visitare* quoad spiritualia tantum *tutte le chiese.... ed altri simili luoghi pii laicali.... ancorchè per qualunque* altro titolo, *diverso dagli espressi di sopra, sieno sotto la regia protezione.* Eamque definitionem iterant in locis piis ecclesiasticis, *ibidem num. 6., et ult., purchè non sieno sottoposti all'*immediata *regia protezione nella maniera spiegata di sopra.*

(4) Regens de Ponte in *cit. ms. tract. de exempt. visitat. hospital.* tradit, Comitem de Lemos Proregem anno 1587. ex Collateralis Consilii sententia sciscitanti Archiepiscopo Neapolitano, quaenam loca essent sub immediata Regum protectione, respondisse vix novem ex 150. plus minus locis piis Neapolitanae dioecesis potiri speciali privilegio immediatae regiae protectionis: additque nil esse de Proregis fide in eo responso dubitandum. Catalogus locorum eiusmodi quum Neapolitanae, tum aliarum regni dioecesum desideratur, quem conscribere aggressos iam viros prudentissimos Concordatorum auctores, ut omnes radicitus controversias evellerent, ab incoepto desistere compulit ignota fundationum regiarum series, et deficientia monumentorum.

plex protectionis genus, adeo proba, et bene concepta est, ut facili nunc negotio dirimantur quaestiones antea inextricabiles de alterutra qualitate regiae protectionis, eiusque effectibus iniuria temporum confusis.

XXXVII. Ceterum quae sub immediata Regis protectione sunt, loca omnia quum ecclesiastica, tum laicalia generatim sine ullo discrimine nullam prorsus visitationem, nullamque notionem dioecesani Episcopi ferunt perinde in temporalibus, atque in spiritualibus. *Habeant* Episcopi, decrevit Synodus Tridentina (1), *ius visitandi hospitalia, collegia quaecumque . . . non tamen quae sub Regum immediata protectione sunt sine eorum licentia. . .* etiamsi *praedictorum locorum cura ad laicos pertineat.* Hisce verbis palam fit non de laicalibus tantum, sed ecclesiasticis etiam locis esse Patres locutos: cuiusmodi sententiam de utrisque locis immediate Regi subiectis Concordata comprobant apertius (2). Quoniam de sola *visitatione* piorum locorum sermo sit in lege Tridentina, in Concordatis vero de videndis etiam *rationibus* administratorum: procul hinc est dubitatio, et dissidium, an immediata Regis protectio Episcopum dioecesanum a visitatione submovens ei simul adimat notionem ordinariam in ceteris, et praecipue in exigendis rationibus (3). Constans regiorum sententia usu quotidiano vigens est, ut specialis, et immediata Regis protectio ferat ex sese omnimodam libertatem, exemptionemque a dioecesana lege, et episcopali iurisdictione generalem nedum loci, et Ecclesiae, sed omnium quoque personarum ipsius (4), instar specialis, et immediatae protectionis apostolicae (5): sex autem arbitratu suo extra ordinem destinet quum visitatorem Praesulem, et ecclesiasticum iudicem negotia spiritualia, et ecclesiasticas res cogniturum, tum laicos iudices, ac ministros de profanis, ac temporalibus cunctis, et loci, et rerum, et personarum caussis iudicaturos, gestaeque administrationis rationes inspecturos.

XXXVIII. Viduarum, pupillorum, pauperum, aliarumque miserabilium personarum, quae horrebant in foro laico adversariorum potentiam, caussas eadem pietatis ratio ad forum Ecclesiae consuevera olim deferre (6). Saeculo IV. exeunte Concilium Africanum sub Anastasio

(1) Trid. in *cap. Episcopi 8. sess. 22. de reform.*

(2) Concord. *cit. cap. 5. num. 1., et 6.*

(3) Fagnanus in *cap. de xenodochis 3. de reliq. domib. num. 15., et seqq.* eam edisserens quaestionem, putat Episcopis a visitatione exclusis Tridentinum decretum non obstare, quominus ii possint alia legibus communibus concessa iura ordinaria exercere: idque S. Congregationem Concilii, ut saepe aliis, ita speciatim respondisse Archiepiscopo Neapolitano Card. Carafae in caussa Monasterii, et Ecclesiae S. M. de populo Hospitalis Incurabilium. At contrariam sententiam protulit, servavitque regium. Collaterale Consilium ex traditis a Regente de Ponte in *cit. ms. de exempt. visitat. hospital. praesertim Incurabil.*

(4) Apud eundem Reg. de Ponte *loc. cit.*

(5) Ex *cap. recepimus 8. de privilegiis, et cap. ad audientiam 34. de appellat.*

(6) Exodi *cap. 22. vers. 22., et seq.* Dominus iubet. *Viduae, et pupillo non nocebis: si laeseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum, et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, et erunt uxores vestrae viduae, et filii vestri pupilli.* Tum per Zachariam *cap. 7. vers.*

Papa, cui praefuit Aurelius Carthaginiensis Episcopus, et adfuit S. Augustinus, decrevit ab Imperatore postulandum, *propter afflictionem pauperum, quorum molestiis sine intermissione fatigatur Ecclesia, ut defensores adversus potentiam divitum cum Episcoporum provisione delegentur* (1). Saeculo V. Gelasius Papa Episcopis Leontio, et Petro scribens, *plus*, ait, *viduarum, et orphanorum caussas, et impensius ducimus exequendas: quas tueri a nobis, vel ab omnibus divina manifestat assertio* (2). Plures hinc Synodi censura ecclesiastica iudicarunt coercendos praepotentes pauperum spoliatores (3), simul, et protegendos fore libertos manumissos, ac expositos, ne in servitutem revocarentur (4). Religiosi autem Principes eiusmodi canonibus, moribusque interea non obversabantur (5). Adversus potentiam Regis Lotharii Teuthberga Regina protectionem Sedis Apostolicae promeruit saeculo IX., dum Nicolaus I. pro ea haec ad Carolum Calvum scripsit (6): *Ecclesiae refugium quaerens, et ecclesiasticum iudicium semper expetens. saeculari non debet submitti iudicio* Isthaec verba sat indicant defensionem pro viduis, et pauperibus in Ecclesia fuisse non nudam, seu iurisdictione vacuam in alieno foro susceptam, ut nonnulli putarunt, sed iudiciariam suo in foro tributam. Id quod posteriores Pontificum decretales apertius declarant. Tolosano Comiti rescribens Innocentius III., *viduis*, ait, *pupillis, orphanis, et personis miserabilibus tenearis in iudicio ecclesiastico respondere* (7). Cumque Anglorum regina Berengera decli-

10: Et viduam, et pupillum, et advenam, et pauperem nolite calumniari. S. Iacobus *ep. cathol. cap. 1. vers. 27. Religio munda, et immaculata apud Deum, et Patrem haec est: visitare pupillos, et viduas in tribulatione eorum.*

(1) Conc. Carthag. IV., alias V. an. 388. in *can. ab imperatoribus 10. C. 23. qu. 3.* Tum *can. 94.* idem Conc. sanxit, ut qui pauperes opprimerent, dona eorum, oblationesque respuerent Sacerdotes.

(2) Gelas. in *can. licet omnibus 1. dist. 87.* Quatuor alia eiusdem Pontificis fragmenta consentanea promit Gratianus in *seqq. can. 2. usque ad 5. eadem dist. 87.* Non abs re S. Isidorus ait: *Pauper dum non habet, quod offerat, non solum audiri contemnitur, sed etiam contra veritatem opprimitur, can. pauper 72. C. XI. qu. 3.*

(3) Synod. Tolet. I. in *can. si quis de potentibus 21. C. 24. q. 3.*

(4) Arausican. 1., Agathens Toletan. IV., et Arelatens. in *can. 6. usque ad 9., et ult. ead. C. et qu.* Videsis Thomassin. *par. 2. 3. lib. cap. 87., et seqq.* Synodus Matisconensis II. an. 585. *can. 10.* ita cavit. *Quoniam provisioni nostrae Deo auctore caussae principaliter viduarum, et pupillorum sunt commissae: pervenit ad nos, quod a iudicibus crudelius pro levissimis caussis, veluti defensore carentes, irremediabiliter affligantur. Ob quam caussam decernimus, ut iudices non prius viduas, et pupillos conveniant, quam Episcopo nuntiarint, cuius sub velamine degunt. Quod si Episcopus praesens non fuerit, Archidiacono, vel presbytero cuidam eius, ut pariter sedentes communi deliberatione caussis eorum terminos figant ita iuste, et recte, ut deinceps de talibus antedictae personae non conquassentur.* Ex *collect. Conc.* Harduini *to. 3.*

(5) Theodoricus haec saepe ad Episcopos rescribebat: *Orphanis, viduisque contra saevos impetus debetis placita praestare solatia*, Cassiodor. *lib. 11.*

(6) Nicol. I. *ep. 66. ad* Carol. Calvum *tom. 3. Concil. Galliae*, et apud Reginonem *lib. 2. chronic.*

(7) Innoc. III. in *cap. super quibusdam 26. de verb. signif.*

nato saeculari foro ad apostolicum ipsius Innocentii III. iudicium recurrisset contra Willelmum de Guirchia, quod esset dotali castro de Segreio spoliata: spoliator autem exciperet de incompetenti Sedis Apostolicae iudicio: Regina respondit, *quod vidua irrequisito feudi domino spoliata, spoliatorem, seu detentorem rei coram ecclesiastico iudice poterat convenire, cuius interest viduas defensare* (1). Profanam hereditatis caussam postulante vidua nobili contra laicum idem Innocentius III. delegaverat Archiepiscopo, et Thesaurario Turonensi, Comes autem Britanniae, in cuius ditione ambo litigantes erant, viduae iussit proprium adire forum laicum, ius omne suum procul dubio inibi obtenturae. His auditis Pontifex iisdem apostolicis delegatis rescripsit: *sic sumus viduis in iustitia debitores, quod aliis iniustitiam facere non debemus, mandamus, quatenus, nisi sit talis caussa, quae ad ecclesiasticum iudicem pertinere noscatur, ei supersedere curetis, dummodo per iudicem saecularem suam possit vidua iustitiam obtinere: alioquin non obstante ipsius contradictione caussam ratione praevia terminetis* (2).

XXXIX. In huius regni provinciis Episcopi videntur usque adeo se a iudicandis miserabilium caussis continuisse, ut nullam ea de re offensionem laicae Potestatis moverint. Id quod in aliis quoque regnis contigit (3). Quum satis prospexerint leges civiles necessariis viduarum, et pauperum defensionibus, ut advocatum eos gratis defensurum det iudex ipse competens (4), eorumque caussas breviores ex non scripto audiat celeriter, ac definiat (5); iis praeterea, ubi adversarii potentiam perhorrescunt, indulgentes postulare iudicium supremi tribunalis, suosque adversarios extra provinciam in ius trahere (6): opus idcirco

(1) Hocce responsum refert, probatque Honorius III. in *cap. ex parte 15. de for. compet*, laudatque Cironius in *cap. ex paerte 1. de offic., et pot. iud. delegat. in V. compill.*

(2) Innoc. III. in *cap. ex tenore 11. de foro compet.* Similiter Gregorius IX. *in cap. significantibus 38. de offic., et pot. iudic. deleg.* rescripsit Praecentori, et Magistro Canonico Ambianensi, non suffragaturam Iulianae viduae nobili, et diviti apostolicam caussae suae delegationem iudicibus ecclesiasticis, quam ea sese pauperem mentiens impetraverat, irrequisito feudi domino: dum iudices ordinarii ad suum ei ius reddendum parati, et proni erant.

(3) Covarruvias *pract. quaest. cap. 9. num. 1.* memorans eorum sententiam, qui foro episcopali addicunt caussas viduarum, ait. *Hoc certe scio eam apud regia Hispaniarum, et Galliae praetoria risui equidem fore: tantum abest, ut ea in usum, et praxim recepta fuerit.* Altaserra *lib. 6. de iurisd. cap. 5.* scribit, quod mutatis moribus lubens Ecclesia a caussis viduarum, et pupillorum abstineat.

(4) Ulp. in *l. nec quidquam 9. §. advocatos 3. D. de offic. Procons.* monet advocatos ex officio dandos pupillis, debilibus, mente captis, etiamsi non petant, quique per adversarii potentiam non invenerint advocatum.

(5) Iustin. Nov. 17. *cap. 3.*, seu in Auth. *de mandatis principum coll. 3. tit. 4.* Sit tibi quoque studium, Triboniano Quaestori Imperator ait, lites cum omni aequitate audire, et omnes quidem breviores, et quaecumque maxime vilium sunt, ex non scripto decidere, et iudicare, et liberare omnes alterna contentione.

(6) Constantinus in *l. un. C. quando Imperator inter pupillos, vel viduas*

non habent pauperes litigantes ad extraordinariam Ecclesiae protectionem confugere, patrocinium facile habentes suo in foro laico, quod communi bono in diem regnicolis confert pia Congregatio S. Ivonis in religiosa domo SS. Apostolorum huius civitatis Neapolis erecta (1).

XL. Aliud quarto loco propositum genus caussarum ad forum confluebat ecclesiasticum ex incidentibus in iudicio spirituali quaestionibus profanis, quasi connexis, et commixtis. Leges utique civiles, communesque, dum vetant unius caussae contextum abrumpi, simul iubent quemlibet principalis caussae cognitorem legitimum de cunctis in ea incidentibus, adnexisque articulis habere notionem, foro quamvis suo alioquin impropriam (2). Hinc de matrimoniorum, et sponsalium spirituali foedere iudicium episcopale incidentes etiam quaestiones quum civiles de dote, de sponsorum largitionibus, mutuisque donationibus, alimentis, et prolis educatione, tum criminales de raptu, ac stupro, et adulterio complectebatur. *Vos, qui de matrimonio principaliter cognovistis*, rescripsit Clemens III. ad Pisanos iudices ecclesiasticos (3), *et de dote, quae caussa est incidens, accessorie cognoscere valuistis, et sententialiter definire.* Plures insuper Urbani III., Coelestini III., Innocentii III., et Gregorii IX. decretales habet Gregorianus textus, quibus ecclesiastica iudicia de dote, ac donatione propter nuptias prolata patefiunt. Quin etiam decreta synodica Patres non semel condiderunt quum de promissione dotis ante sponsalia (4), tum de dote, aut lu-

vel alias miserabiles personas cognoscat, primum vetuit horum omnium caussas extra provinciam trahi ab eorundem adversariis, etiam ad Imperatorem recurrentibus, mox pro iis e contrario ita cavit: Si pupilli, vel viduae, aliique fortunae iniuria miserabiles iudicium nostrae serenitatis oraverint, praesertim cum alicuius potentiam perhorrescunt: cogantur eorum adversarii examini nostro sui copiam facere.

(1) Bened. XIII. in *Romana syn. tit. 8. cap. 3.* Episcopos hortatur in primis, ut unum, pluresve pauperum procuratores, vel advocatos probos, et doctos deputent sua quisque in civitate gratis defensuros miserabilium caussas in foro etiam laico motas: curentque idcirco erigi confraternitatem S. Ivonis, quam Romae quoque institutam magno pauperum solatio adfirmat, proprio confratrum labore, industria, et eleemosynis prospicientem proximi miseriis.

(2) *L. 1. C. de ord. iudic., et l. quoties 3. C. de iudiciis.* Videsis dicta superius *tit. VII. num. XVII.*

(3) Clem. III. in *cap. de prudentia 3. de donat. inter vir., et uxor.* Innoc. Cironius in *cap. 1. de foro compet. in V. compilat decret.* illustrans decretalem Honorii III. ad Archiepiscopum, Decanum, et Archidiaconum Turonensem probe observat Willelmum de Guirchia Castri Segrei detentorem, quod Reginae Berengerae dotale praedium fuit, conventum in foro ecclesiastico Turonensi sub Innoc. III. Pontifice numquam obiecisse fori incompetentis exceptionem respectu dotis profanae: sed negasse tantummodo castrum dotis caussa ad Reginam pertinere. Qui virginem defloraverit, uxoremque ducere post abnuerit, et corporaliter castigandum, et censuris etiam canonicis plectendum rescripsit S. Greg. M. in *cap. pervenit 2. de adult., et stupro:* declarans *aliquatenus legis duritiem mollire.*

(4) Syn. Arelatens. in *can. nullum 6. C. 30. qu. 5., nullum*, ait, *sine dote fiat coniugium: iuxta possibilitatem fiat dos, nec sine publicis nuptiis quis-*

cranda, aut reddenda post divortium (1). Quae nunc servantur hoc speciatim in regno leges, moresque recentiores nullam, quantumvis incidenter, notionem eiusmodi rerum saecularium indulgent iudicibus ecclesiasticis (2).

XLI. Maxima tandem fiducia Principum, populorumque in proba fide, ac sapientia Episcoporum efficiebat potissimum, ut laici sponte sua undelibet praeoptarent episcopale iudicium, seu arbitrium aequum, et bonum, formidantes aleam iacere apud laicos magistratus captiosam, et sumptuosiorem. Huc speciatim pertinent leges Imperatorum iam relatae superius (3) pro episcopali arbitrio in caussis profanis permisso, alterutra, vel utraque partium consentiente. Eas usu viguisse usque ad XIV. Ecclesiae saeculum arguitur ex Synodorum, quae praecesserunt, silentio, gestisque posterioribus (4): quo ad scilicet nefarium schisma Petri Leonis rem ecclesiasticam, opinionemque probitatis episcopalis pessumdedit. His exin temporibus usque adeo improprium, et incompetens est in profanis laicorum caussis iudicium episcopale, ut ex rebus saepe iudicatis, regiisque iussionibus nullius omnino momenti aestimentur quaelibet eorumdem acta in foro ecclesiastico, partibus licet consentientibus (5).

XLII. Ad eam ipsam quoque fiduciam refertote consuetudinem nunc iamdiu exoletam recurrendi ad Ecclesiae audientiam, et postulandi ab Episcopis, vel Romano Pontifice iustitiam in caussis ad forum laicum pertinentibus in subsidium, defectumque Potestatis saecularis, vacante praesertim Imperio (6). Praeterea morem, ut discuterent, iudicarent-

quam nubere, vel uxorem ducere praesumat. Praeterea illicitas, illegitimasque sine dote nuptias probare Gratianus nititur apocrypha *epist. 2.* S. Callixti Papae ad Episcopos Galliae in *can. consanguineorum 4. C. 3. qu. 4.*

(1) Conc. Wormatiense aevo Caroli M., ut putat Gonzalez, in *cap. mulieres 1. de donat. inter vir., et uxor.*, ita decrevit: *mulieres vero cum pro aliqua licita caussa a propriis viri fuerint separatae, totam dotem praecipimus sibi reddi, quam a die nuptiali receperunt.* Huc pertinet Mosayca lex caeremonialis, et politica Exodi *cap. 22.* de virgine defloranti desponsanda et dotanda, quam innovavit Greg. IX. in *cap. si seduxerit 1. de adult., et stupro.*

(2) Id quod iam commonui superius *tit. VII. num. XVII.* Bened. XIV. *de Synod. dioec. lib. 7. cap. 35. num 4.* Aliae demum sunt, ait, caussae, quae connexionem quidem habent cum matrimonio, sed res mere politicas, et temporales directe, atque immediate respiciunt: uti sunt lites, quae frequenter moventur super dote, donatione propter nuptias, hereditaria successione, alimentis, similibus, et istas ad iudices saeculares pertinere, ex communi doctorum sensu, recte docet Bellarmin. *lib. un. de matrim. cap. 32.*, et Tannerus *tom. 4 disp. 8. num. 166.*

(3) Hoc *lib. tit. III. de progressu, varioque fato num. III., et IV.*

(4) Synodus Provinciae Rhemensis apud Compendium celebrata ab Archiepiscopo Rhemorum an. 1301. anathema fulminavit in laicos magistratus, qui non patiebantur, ut laici in foro ecclesiastico convenirentur, ut liquet ex actis eiusdem Concilii in collect. Harduini *to. 7. col. 1250.* Idque refert cum Mayero *annal. Flandriae lib. 10.*, Benedictus XIV. *cit. cap. 35. num. 9.*

(5) Idipsum in Hispania nunc servari tradit Emm. Gonzalez in *comm. ad cap. 18. de for. compet. num. 10.*

(6) Innoc. III. ad Epis. Vercellens. in *cap. licet 10. de for. compet.*

que suspiciones iudicium saecularium hoc praesertim in regno Episcopi dioecesani (1). Id quod vetuit Prorex Petrus de Toledo anno 1551., abrogata constitutione, quae idipsum antea permiserat (2). Insuper adde examen testium in caussis fori laici extra urbem, seu locum iudicii demandatum Episcopo dioecesano, eiusve Vicario, quoties abesset Ordinarius loci laicus iudex. Nam haec habet Pragmatica unica *de examinationibus testium* in prima Pragmaticarum collectione sub Carolo V. confecta: *Extra civitatem, ubi litigatur, si partes non fuerint in concordia, quod solus magister actorum examinet: similiter examinator cum magistro actorum testes recipiat. Et pro examinatore intelligatur Ordinarius loci, et in eius absentiam, vel si praesens fuerit, et suspectus*, Episcopus, *vel eius* Vicarius, *item* Rector maioris Ecclesiae, *ubi Vicarius non esset: nisi praedicti similiter suspecti essent.* At huiusmodi constitutionem consulto praetermisit Blasius Altimarius in quinta, et postrema Pragmatica collectione iussu Collateralis Consilii concinnata an. 1652., tamquam diu exoletam. Quae ad forum ecclesiasticum a laico secernendum, quaeque ad alterutrum iudicia speciatim pertinent, hucusque diximus, limites iurisdictionis saecularis, et ecclesiasticae sat indicantia. Varios nunc solius fori ecclesiastici gradus, et formas explicare superest, ut inde pateat, quis plurium ecclesiasticorum iudicum in quavis caussa ad ecclesiasticum forum deferenda sit proprius, et competens.

TIT. IX.

De ordinario et proprio cuiusque foro ecclesiastico.

I. In primo gradu omnes fori ecclesiastici caussae ad Curiam dioecesanam Episcopi, aut Praelati inferioris, et cuiusque locorum Ordinarii deferendae sunt.

(1) Ex *cit. cap. licet 10. de foro compet.* Huius Regni Pragm. *9. de ordine iudiciorum* 1477. Hispaniae morem secuta, indulsit specialim iis, qui suspectos sibi iudices eiurarent, adire Curias dioecesanorum ecclesiasticas ad discutiendum inibi, definiendumque huiusmodi suspicionum caussas. Id suo servatum aevo tradit Robertus Maranta Venusinus in *spec. aur. praxis civil. par. 4. dist. 11. num. 57.*, scribens: Cognoscit *iudex ecclesiasticus hodie in regno de caussa suspicionis iudicis saecularis: nam quando iudex allegatur suspectus, non auditur allegans, nisi proponat, et probet iustas caussas suspicionis coram dioecesano illius loci, ubi caussa ventilatur, et sic iudex ecclesiasticus cognoscet, an sit suspectus, vel non: ita de hoc regia Prag., quae incipit* item si contingat, *et est posita in prima charta Ritus M. Cur. Vic., et ita hodie servatur.*

(2) A Petro Follerio in *addit.* ad Marant. *loc. cit.* fertur Prorex Petrus de Toledo primus omnium ad sese avocasse anno 1551. iudicum saecularium suspiciones, seu eiurationes postulante universitate Petrae Pertusiae contra Archiep. Acheruntinum, suaque *Prag.* 2. praecedentem regni constitutionem, moremque correxisse.

II. Proprium cuiusque forum dioecesanum indicant domicilium, origo, contractus, et delictum: res sita, beneficiumque, successio, prorogatio, privilegium.

III. In primis ubi domicilium quisquis habeat, eius loci foro parere cogitur.

IV. Originis foro absentes non eximuntur.

V. Rei sitae forus reales tantum actiones audit.

VI. Quemadmodum et beneficiarias forus beneficii.

VII. Et caussas ex contractibus ortas contractus cuiusque forus.

VIII. Et criminales forus delicti.

IX. Forus domicilii, et originis generalem habet iurisdictionem aliis ampliorem.

X. In primo gradu caussas a foro dioecesano, et ordinario nequit Metropolitanus, nec Romana Curia ad sese trahere.

XI. Eas Ordinarii locorum, et Episcopi per Vicarios generales, aut speciales delegatos, quoad velint, cognoscunt, et iudicant.

XII. Spirituales caussas non possunt laicis Episcopi delegare, profanas vero secus.

I. *Caussae omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscuntur*, ex Tridentina, quae usu pollet, regula (1). Quoadusque singulis dioecesibus, earumque locis universis non alius, nisi Episcopus praefuit, omnesque tum personas, tum Ecclesias lex dioecesana ita uni Episcopo subiiciebat, ut ab episcopali potestate eximeret neminem: forus tunc Episcopi dioecesani tantum patuit in primo gradu postulantibus iudicia ecclesiastica (2). Nec licuit, quemadmodum nec hodie licet, caussas unius dioecesis ad alieni Episcopi forum (3), neque ad alium, quamvis maiorem in eadem Provincia, ac regione iudicem (4) deferre, nisi ad Metropolitanum in secundo gra-

(1) Trid. in *cap. caussae omnes 20. sess. 24. de reform.*

(2) Generale Conc. Chalcedonense in *can. si clericus 46. C. XI. qu. 1.* decrevit: *Si quis adversus clericum negotium habet, non deferat proprium Episcopum.* Synodo Aurelianensi iidem *placuit secundum priorum canonum regulam, ut in eius potestate consistant omnes basilicae, in cuius territorio positae sunt, can. omnes basilicae 10. C. 16. qu. 7.* S. Gregorius M. in *can. de persona 38. C. XI. qu. 1.* inhaerens legi Iustinianaeae rescripsit ad Ioannem in Hispania defensorem: *Si quis contra aliquem clericum, aut monachum, aut diaconissam, aut monastriam, aut ascetriam habeat aliquam actionem: doceat prius sanctissimum Episcopum, cui horum unusquisque subiacet ille vero caussam inter eos diiudicet.*

(3) *Falcem iudicii mittere non potest Episcopus in eam segetem, quae alteri videtur esse commissa*, rescripsit S. Greg. M. Augustino Anglorum Episcopo in *can. scriptum est 6. qu. 3.*

(4) Romano Siciliae defensori, qui de caussis clericorum, posthabito Episcopo dioecesano iudicare non dubitabat, scribens B. Gregorius M. in *can. pervenit*

dæ, atque in tertio ad Patriarcham, Curiamve Romanam (1). Dein quum irrepsissent Monasteriorum, et Regularium in primis, mox aliarum aliquot Ecclesiarum, et locorum, personarumque exemptiones ab Episcopi dioecesani iurisdictione, apostolicis Romanorum Pontificum indultis, et privilegiis obfirmatae; factum est, ut quemadmodum Episcoporum subditi in ius vocantur in episcopali foro, ita Regulares, aliive exempti forum Praelati quisque sui ordinariam, et quasi episcopalem iurisdictionem habentis (2) nunc subire cogantur in primo gradu. *Ordinariis locorum* idcirco Tridentina Synodus primam attribuit cognitionem causarum fori ecclesiastici, ut Praelatos etiam Episcopis inferiores isto vocabulo complectatur.

II. Saepe contingit, ut una, eademque persona diversis locorum Ordinariis subiecta (3) in hoc potius, quam illo aeque competenti in ius vocetur ad libitum actoris, unde finem iudicii expectaturus, ubi coeptum id semel sit (4), nec possit aliunde ex aequo proprium, et competentem forum revocare *quasi praeventus* (5). Quandoquidem forus cuique proprius est multiplicitter, nempe *domicilii, originis, contractus, delicti, rei sitae, beneficii, successionis, prorogationis, et privilegii.*

III. Praecipuus omnium, ac latissimus, et fere nativus est *domicilii* forus. Quoniam eius loci *cives incolas* domicilium *facit, ubi quis* scilicet *larem, rerumque, ac fortunarum suarum summam constituit, unde rursus non sit discessurus* (6); vel firmum incolatum decennali habitatione assidua ostendit (7): omnes idcirco dioecesano, et ordinario domicilii sui foro pareant necesse est iure quum Canonico (8), tum Civili (9). Si quis autem plura in diversis dioecesibus habeat domici-

39. C. XI. qu. 1., praecipimus, ait, *ut denuo hoc facere non praesumas: sed si quis contra quemlibet clericum caussam habuerit, Episcopum ipsius adeat, ut aut ipse cognoscat, aut certe ab eo iudices deputentur; aut si forte ad arbitros eumdum est, partes ad eligendos iudices ab ipso executio deputata compellat... Nam si sua unicuique Episcopo iurisdictio non servetur: quid aliud agitur, nisi ut per nos., per quos ecclesiasticus custoditi debuit ordo, confundatur.*

(1) Excipiuntur a Trid. eodem *cap. caussae omnes 20*, caussae *maiores*, quae in primo etiam gradu ad Romanam Sedem Apostolicam pertinent. Videsis dicta *lib. 1. tit. XII. de summo Pontifice num. XIV.*

(2) Videsis dicta superiori *lib. 1. tit. XXIV. de Praelatis inferioribus.*

(3) Multiplicem unius subiectionem quod ad Ordines rite suscipiendos iam explicui *lib. II. tit. X. de Sacr. Ord. num. XXXIV., et seqq.*

(4) Marcian. in *l. ubi acceptum est 30. D. iudiciis.*

(5) Ulp. in *l. si quis 7. D. eodem.*

(6) Ex Hadriani edicto in *l. cives 7. C. de incolis*, et Florentin. in *l. nihil interest 26. D. de captivis.* Num *filius etiam familias potest* domicilium habere, *non ubi pater habuit, sed ubicumque ipse larem constituit*, ex Ulpian. in *l. 3., et 4. D. ad municipalem.*

(7) Alexand. in *l. nec ipsi 2. C. de incolis.*

(8) Greg. IX. in *cap. dilectus 17. de foro compet.*

(9) *Ubi domicilium reus habet, vel tempore contractus habuit, licet hoc postea transtulerit, ibi tantum eum conveniri oportet, ex l. iuris ordinem 2. C. de iurisd. omn. iudic., et de foro compet.* Idque sensit Iustinianus *Nov. 123. cap. 21.*, iubens, ut clerici conveniantur apud proprium Episcopum. Senato

lia (1) ; apud unum ex iis quemlibet Ordinarium in ius recte vocabitur (2), sive in rem, sive in personam sit actio (3). Qui vero advenae translativam alicubi moram sine firmo domicilio faciunt, (puta studiorum, vel negotii, aut legationis caussa) animum habentes redeundi ad larem suum, quia legibus non adstringuntur inibi subire munera civium incolarum (4) : non coguntur lites ibidem sustinere, ad forum domicilii sui, quo sunt redituri, pertinentes (5) Quandoquidem Gregorius IX. rescripsit salvum ita ei fuisse ius revocandi domum, qui pro iusta, et necessaria caussa Romam adiisset, ut suis in ea urbe adversariis respondere non compelleretur (6), nisi ratione delicti, seu contractus, sive rei ibidem sitae. Tametsi ex Gaii responso *incola, et his magistratibus parere debet, apud quos incola est, et illis, apud quos civis est* (7). Hoc iure vagabundi, et negotiatores huc, illuc transeuntes eo in loco, ubi negotium gesserint, et praesentes adsint, sese defendere in ius vocati coguntur (8). Aut si quid facturos ipsi, aut da-

res in pecuniaris caussis quoque in provinciis, *ubi larem fovent, aut ubi maiorem bonorum partem possident, et assidue versantur, respondebunt, ex l. 2. ubi Senatores.*

(1) Si quis instructas aequaliter aedes in diversis locis habeat : cum tunc iura, et onera civis, et subditi in singulis ex aequo locis eiusmodi subire, iam dixi mus *lib. II. tit. X. de Sacr. Ord. num. 66*, ex Ulpian. in *l. eius, qui 27. §. 2. D. ad municipalem, et l. adsumptio 6. §. 2. D. eodem. At sola domus possessio, quae aliena in civitate comparatur, domicilium non facit* docet Papinianus in *l. libertus 17. §. 13. D. ad municipalem.*

(2) Honor. III. in *cap. ex parte 15. de foro compet.* ex Gaii textu *incola, et his magistratibus parere debet, apud quos incola est, et apud illos, apud quos civis est, l. incola 29. D. ad municipalem.*

(3) Ex Valent., Theod., et Arcad. *l. actor 3. C., ubi in rem actio exerceri debeat.* Ulpianus, *illic fideicommissum petatur*, ait, *ubi domicilium heres habet, l. si fideicommissum 50. §. 2. D. de iudiciis.* Impp. Valerian., et Gallien. *ubi domicilium habet, qui convenitur: vel si ibi, ubi res hereditariae sitae sunt, degit : hereditatis erit controversia terminanda, l. illic ubi, un. C. ubi de hereditate agatur.*

(4) Alexander Imp. in *l. nec ipsi, qui studiorum caussa 2.*, et *l. est verum 3. C. de incolis.*

(5) Iustin. *Nov.* 123. *cap.* 26. speciatim rescripsit, ubi legationis tempore degunt Episcopi, et clerici, eos non fore ibi conveniendos : sed in loco provinciae suae, ad quam revertentur. Generatim Ulpianus antea censuerat *revocandi domum suam ius* dari nedum legatis, sed aliis etiam personis alio evocatis vel ferendi testimonii, vel iudicandi, vel tutelae caussa ; simul, et profectis e lare suo ad iudicium appellationis persequendum, vel alterius negotii caussa, *l. consensisse 2. §. 3. D. de iudiciis.* Itaque praesens aliquando suscipere iudicium non compellitur, ait iurec. idem in *l. non videtur 3. D. eodem.*

(6) Greg. IX. in *cap. licet 20., et ult. de foro competenti.*

(7) Gaius in *l. incola 29. D. ad municipalem.* Consonat Ulpian. in *l. heres 19. §. 4., et ult. D. iudiciis.*

(8) *Numquid dicimus eum, qui a mercatore quid comparavit advena, vel ei vendidit, quem scit inde confestim profecturum, non oportet ibi bona possideri, sed domicilium sequi eius? at si quis ab eo, qui tabernam, vel officinam certo loco conductam habuit, in ea caussa est, ut illic conveniatur: quod*

turos certo tempore stipulati sunt, *eo finito, quocumque loco in eos, ubi praesentes inveniantur, agi posse in id, quod interest, constat* ex Papiniano (1). Advenas idcirco, et quosque incolas, quamvis ex aliena iurisdictione venire coram Praetore vocatos lex civilis compellit, allegaturos privilegia sua, et ius revocandi domum coram eo ipso, cuius est aestimare, an sua sit iurisdictio (2), aut revocantes domicilii forum obligare ad cautionem sistendi sese iudicio competenti (3). Exin Archiepiscopalis Curia Neapolitana consuevit instantibus creditoribus decernere, ut clerici exteri ea ex urbe iamiam profecturi *docto de credito, et iurato de fuga ducantur coram Vicario generali*, ipsi ut suis creditoribus in iudicio respondeant, seque defendant, vel cautionem dent idoneam iudicio sisti, intereaque detineantur sub custodia (4).

IV. *Originis* forum nemo potest, quamvis alibi domicilium transtulerit evitare (5). Quamvis enim translatione domicilii voluntaria, et cuique libera sese incola eximat ab illius foro, et muneribus civilibus (6): at *origine propria neminem posse voluntate sua eximi, manifestum est* (7). Locus autem *originis* dicitur, ubi suam quisque nativitatem sortitus est non ex accidenti, seu fortuita genitricis mora, nec materna ex civitate: sed ubi pater fixum habuit larem (8). Nam *cives* in primis *origo facit* (9). Quoniam vero ex Papiniani sententia

magis habet rationem. Nam ubi sic venit, ut confestim discedat, quasi a viatore emptis, vel eo, quo transvehebatur, vel eo, qui praeternavigat emit: durissimum est, quotquot locis est, tot locis se defendi. At si quo constitit, non dico iure domicilii, sed tabernulam, pergulam, horreum, armarium, officinam conduxit, ibique distraxit, egit: defendere se eo loci debebit, ait Ulpianus in *cit. l. heres 19. §. 2 D. de iudiciis.*

(1) Papinian. in *l. eum qui 43. D. iudiciis.*

(2) Ulpian. in *l. si quis 5. de iudiciis.*

(3) Id. in *l. consensisse 2. §. 6. D. eod.*

(4) Ex rescripto Pii Imperatoris non est in vincula coniiciendus, qui fideiussorem dare paratus est, nisi enormitas criminis aliud suadeat, Ulp. in *l. divus Pius 3. D. de custodia, et exhibit. reor.*

(5) Imp Alexander, sive Antoninus in *l. cum te 1. C. de municipibus*, *et originariis* id Silvano rescripsit: *Cum te Byblium* origine, *incolam autem apud Beritios esse proponas, merito apud utrasque civitates muneribus fungi compelleris.* Consonat Constantinus in *l. si quis 5. C. eodem*, et Paullus in *l. senatores 11. D. de senator.*

(6) Imp. Antoninus in *l. non tibi 1. C. de incolis. Non tibi obest*, ait, *si cum incola esses, aliquod munus suscepisti: modo si antequam ad alios honores vocareris, domicilium tsanstulisti.* Et Marcellus iurec. in *l. nihil est 31. D. ad municipalem* antea censuerat, nihil esse impedimento, *quominus quis, ubi velit, habeat domicilium, quod ei interdictum non sit.* Verum ex Pauli sententia, *domicilium re, et facto transfertur, non nuda contestatione, l. domicilium 20. D. ad municipalem.*

(7) Ex *l. origine 4. C. de municipibus*, *et orig.*

(8) *Filios apud originem patris, non in materna civitate, etsi ibi nati sint (si modo non domiciliis retineantur) ad honores, seu munera posse compelli, explorati iuris est*, ex Imp. Philippi rescripto in *l. filios 3. C. de municipibus*, et Ulp. in *l. municipem, 1. §. 2. D. ad municipalem.* Videsis dicta superiori *lib. II. tit. X. num. XLIII.*

(9) *L. cives 7. C. de incolis.*

patris domicilium filium aliorum incolam civilibus muneribus alienae civitatis non adstringit, quum in patris quoque persona domicilii ratio temporaria sit (1): exinde arguitur filium, qui suum a paternis laribus dissitum domicilium sibi constituerit, non posse in loco suae originis, nisi praesens ibidem sit, in ius vocari (2). Non secus, quam heredem absentem, ubi defunctus debuit, conveniendum tunc esse extra sui domicilii locum, *si ibi inveniatur*, censuit Ulpianus (3). Duplex hinc *domicilium originis*, *et habitationis* esse ad rem nostram apposite distinguit iureconsultissimus Iosephus Paschalis Cyrillus noster (4): nam nisi aliqualem quis moram faciat in originis loco, seu paterno domicilio, istius foro parere non cogitur.

V. In *rei sitae* foro actiones tantum reales (quum simplices, puta rei vindicatio, publiciana, confessoria, negatoria, hypothecaria; tum mixtae, seu personales in rem scriptae, quales sunt ad exhibendum, familiae erciscundae, communi dividundo, finium regundorum, retractus, seu prothymesis) dantur in quoslibet possessores, licet alibi domicilium, vel originem obtinentes (5). *Si Episcopi, inter quos caussa versatur, sunt diversarum provinciarum: ille Primas det iudices, in cuius provincia est locus, de quo contenditur*, decretum in Concilio Africano fert textus Decretalium (6).

VI. *Beneficii* forus, aut rei sitae, aut domicilii foro aequiparatur. Si nullum sit residendi onus beneficio simplici adnexum, beneficiarius alibi residens cogitur coram Dioecesano beneficii motum suscipere iudicium de rebus idemmet beneficium solummodo spectantibus (7). Nam a Bonifacio VIII. *superior intelligitur Episcopus, in cuius dioecesi* beneficium *obtinet ecclesiasticum: seu habet, licet alibi natus fuerit*, domicilium *in eadem* (8). Et Synodus Tridentina decrevit, ut *privilegia* exemptionum, *quae residentibus in Curia Romana vigore Eugeniae constitutionis, aut familiaritatis Cardinalium competere so-*

(1) Papin. in *l. libertus 17. §. patris 11. D. ad municipalem.*
(2) Abbas in *cap. 1. de for. compet. num. 6.*, Fagnan. *ibidem num. 12.*
(3) Ulp. in *l. haeres absens 19. D. de iudiciis.*
(4) Cyrillus *Inst. Can. lib. 3. tit. 2.*
(5) *Si autem per* in rem actionem *legatum petatur, etiam ibi peti debet*, ubi *res est. Et si mobilis sit res*, ad exhibendum *agi cum herede poterit, ut exhibeat rem: sic enim* vindicari *a legatario poterit*, docet Licinius Rufus in *l. quod legatur 38. D. de iudiciis.* Ulp. in *l. si fideicommissum 50. D. eodem*, cautum multis constitutionibus docet, *ut ibi petatur fideicommissum, ubi maior pars hereditatis est.* Tum Impp. Valent., Theod., et Arcad. *in locis, in quibus res*, aiunt, *propter quas contenditur, constitutae sunt, iubemus in* rem actionem *adversus possidentem moveri, l. actor 3. C., ubi in rem actio exercenda sit.* Pariter Valerian., et Gallien. in *l. un., C. ubi de hereditate agatur*, rescripserunt: *illic*, ubi res *hereditarias esse proponis, heredes in possessionem rerum hereditariarum mitti postulandum est. Ubi autem domicilium habet, qui convenitur, vel si ibi*, ubi *res hereditariae sitae sunt, degit: hereditatis erit controversia terminanda.*
(6) Conc. African. in *cap. sane 3. de foro compet.*
(7) Fagnanus in *cap. 1. de foro compet. num. 11.*
(8) Bonif. VIII. in *cap. cum nullus 3. de tempor. ordinat. in VI.*

lent iis, qui beneficia *ecclesiastica obtinent*, ratione *praedictorum* beneficiorum *minime suffragentur : sed Ordinarii iurisdictioni subiecti permaneant, non obstantibus quibuscumque inhibitionibus* (1). Quae vero beneficia ad residendum obstringunt, clericos tamquam suo in domicilio inibi constitutos Dioecesano illi subiiciunt in causis omnibus passivis (2), quamquam nil eae ad res beneficiarias attineant.

VII. Ubicumque aliquis contrahendo iniverit obligationem, in eius loci foro speciatim ratione *contractus* compellitur ad satisfactionem. Omnibus extra domicilium conventis ius esse domum revocandis, *si non ibi contraxerunt, ubi conveniuntur*, Ulpiani regula definit (3). *Si in loco contractus inveniantur, ibi conveniuntur*, ait Innocentius IV. (4). Eodem iure tutor, et curator, ubi gessit tutelam, curamque, suas ibi rationes est redditurus (5) : quemadmodum, et gestor negotiorum (6). Itidem *is, qui certo loco dare promittit, nullo alio loco, quam in quo promisit, solvere invito stipulatore potest*, respondit ad Sabinum Ulpianus (7) : tametsi *arbitraria* creditoris *actione, et in alio* quoque *loco* posse *conveniri*, Alexander Imperator rescripsit (8), et Gregorius IX. (9). Hac ipsa ratione contractus fit, ut venditor forum emptoris, cui evictionem promisit, adire denunciatus debeat (10). Insuper, ut he-

(1) Trid. in *cap. quoniam privilegia 11. sess. 24. de reform.*

(2) Honorius III. in *cap. dilectus filius 29. de rescriptis* Archiepiscopo Cantuariensi rescribens de clerico Sarraceno, qui duo beneficia, unum in Rophensi, alterum in Eliensi dioecesibus obtinebat, *quasi ex hoc*, ait, *ibi domicilium intelligeretur habere;* in utraque scilicet dioecesi. Innocentius III. in *cap. postulasti 14. de for. compet.* rescripsit sacerdotem in Ecclesia beneficii sui residentem, qui aliud ratione patrimonii domicilium haberet in alia dioecesi, posse ab Episcopo Dioecesano, in cuius dioecesi deliquit, sententia damnari : *sed ab eo*, ait, *in cuius dioecesi* beneficium *obtinet, erit quo ad illud executio facienda.*

(3) Ulp. in *l. consensisse 2. §. 4. D. de iudiciis.* Consonant Paulus in *l. omnem 20.*, Iulianus in *l. si legationis 25.*, et Papinianus in *l. argentarium 45. D. eodem.* Hanc regulam in dotis contractu limitat Ulpianus in *l. exigere dotem 65. D. de iudiciis*, inquiens: *Dos repetitur in loco domicilii viri, nulla habita ratione, ubi dotale instrumentum conscriptum sit.*

(4) Innoc. IV. in *cap. 1. § contrahentes de foro compet. in VI.*

(5) *L. 1. C. ubi de ratiociniis, tam publicis, quam privatis agi oporteat*, Licin. Rufus in *l. quod legatur 38.*, Ulp. in *l. si fideicommissum 50.*, *et l. sed etsi 52. §. 3. D. de iudiciis.*

(6) *Senator, si negotiis alienis se obtulerit in provincia, non debet iudicium recusare negotiorum gestorum, sed actionem eum excipere oportere: cum sua sponte si hanc obligationem contraxerit*, ait Callistratus in *l. interdum 36. §. 1. D. de iudiciis.*

(7) Ulp. in *l. is qui 9. D. de eo quod certo loco dari oportet.* Nam *contraxisse unusquisque in eo loco intelligitur, in quo, ut solveret se obligavit*, docet Iulianus in *l. contraxisse 21. D. de actionib., et obligat.*

(8) Alex. in *l. un. C. ubi conveniatur qui certo loco dare promisit.*

(9) Greg. IX. in *cap. dilect. 17. de for. compet. qui se certo loco respondere*, inquit, *vel solvere adversariis promiserunt : ibi, et ubi domicilium habent valeant conveniri.*

(10) Paul. in *l. venditor 49. D. de iudiciis.*

res absens, *ubi defunctus debuit*, ibi defendendus sit, et conveniendus, *si ibi inveniatur*, nullo enim privilegio excusante (1); litemque cum defuncto coeptam in eodem foro suscipiat (2): quum additione hereditatis quasi contrahere cum defuncti creditoribus praesumatur. Utque reconventus actor, antequam finem lis acceperit, ibi iudicium patiatur, ubi ipse agit, mutuas excepturus adversarii actiones (3): quia inter collitigantes contrahitur de stando iuri, et iudicatum solvendo.

VIII. *Quaestiones criminum, ubi commissa, vel inchoata sunt, vel ubi reperiuntur, qui rei esse perhibentur criminis, perfici debere satis notum est* (4). Ex Papiniani responsis *alterius provinciae reus apud eos accusatur, et damnatur, apud quos crimen contractum ostenditur* (5). *Solent* autem *Praesides provinciarum, in quibus delictum est, scribere ad collegas suos, ubi factores agere dicuntur, ut cum prosecutoribus ad se remittantur*, tradit Macer (6). Et vicissim, commonente Celso, *a quibusdam observari solet*, ut Praeses provinciae reum in sua custodia cognitum, et constitutum ex caussa *remittat cum elogio ad eum, qui provinciae praeest, unde his homo est* (7). Cum hisce legibus congruunt canones (8), et decretales (9). Tridentina Synodus caussas fori ecclesiastici criminales, Episcoporum tantum examini, et iurisdictioni reliquit: *Decanis, Archidiaconis, aut aliorum inferiorum iudicio* ademit (10); simul caussas criminum *gra-*

(1) Ulp. in *l. heres absens 19. D. eodem.*

(2) Iavolenus in *l. si is, qui Romae 34.*, et Ulp. in *l. casu ex contractibus 37. D. eodem.*

(3) Paul. in *l. qui non cogitur 22. D. eodem.*

(4) Ex textu Imp. Severi, et Antonini in *l. quaestiones 1. C. ubi de criminibus agi oporteat*, et Iustin. *Nov. 69. cap. 1.*, unde sumpta est Auth. *qua in provincia C. eodem.*

(5) Papin. in *l. alterius 22.*, *et ult. D. de accusat.*, *et inscript.* Consonat Ulp. in *l. si cui crimen 7. §. 4. D. eodem*, *et* Constantin. Imp. in *l. 1. C. ubi Senatores.*

(6) Macer in *l. solent 7. D. de custodia, et exhibit reor.*

(7) Celsus in *l. non est dubium 11. §. 1. D. eodem.*

(8) Gratianus ex apocrypha epistola S. Fabiani Papae hunc promit canonem: *Ibi semper caussa agatur, ubi crimen admittitur, can. 1. C. 3. qu. 6.* Istiusmodi epistola disciplinam medii aevi spectat a pseudo-Isidoro depictam, quam Patres quum coaevi, tum posteriores obfirmare studuerunt. Nam Concilium Compendiense in Gallia an. 757., ita decrevit: *Nullus Episcopus graviter ferat, si eius parochianum pro depraedationis caussa alter Episcopus excommunicaverit, can. placuit 4. C. 6. qu. 3.* Tum in Conc. Meldense an. 845., in *seq. can. de illis 5.*, *et ult. ead. C.*, *et qu.*, *et in cap. 1. de raptoribus* constitutum: *ubi rapinas, et depraedationes peragunt, ut ab illius loci Praelato excommunicentur.*

(9) Innoc. III. in *cap. postulasti 14. de for. compet.* Sacerdos *per Episcopum*, ait, *in cuius dioecesi deliquit, sententia promulgari poterit in eumdem.* Tum in *cap. tuarum 11. de privilegiis* Archiep. Lugdun. rescripsit, ut is Cruce falso signatos ad colligendas eleemosynas a Fratribus hospitalariis missos *per totam provinciam* suam coerceret, nullo ipsis privilegio Ordinis ob abusum suffragaturo.

(10) Trid. in *cap. caussae omnes 20. sess. 24. de reform.* Benedictus XIV. in *const. caussarum 40. tom. 2.* Bullarii *pag. 351.*

viores contra *Episcopos* Summo tantum Pontifici cognoscendas, finiendasque dimisit, et Synodo Provinciali *minores* (1).

IX. Ex dictis collige limitatam, et specialem esse iurisdictionem dioecesanam in rei sitae, beneficii, contractus, delictique foro: generalem, et amplissimam in foro domicilii, et originis. Enimvero in domicilii, et originis forum caussas omnes quum personales, tum reales ex contractibus alibi quoque initis, ex re, beneficiove alibi sito, ex crimine alibi admisso licet actoribus deferre, ut in eo rite iudicentur (2); vel forum specialem eius loci, ubi fuerit res, beneficium, contractus, crimen, eam solummodo litem, in qua controvertitur speciatim de ea ipsa re, vel beneficio, vel contractu, vel crimine: aliam quamlibet secus. Quoties vero plures unam, eamdemque caussam iudices dioecesani ad se quisque trahere contenderint: ad forum illius ea pertinebit, qui reum citando primus iudicium praevenerit (3).

X. In primo autem gradu Episcopo dioecesano, locive Ordinario eatenus cognitionem caussarum ecclesiasticae leges addicunt (4), ut nequeat Metropolitanus partibus etiam consentientibus invito suffraganeo iudice eas audire, ac iudicare: nisi post sententiam a Praesule dioecesano prolatam, appellationemque ab ea rite propositam (5). Quin etiam S. Congregatio Concilii die 4. Augusti 1691. censuit *caussam de Episcopi consensu in prima instantia non posse in Curia Romana introduci, nisi partes etiam consentiant* (6). Mox Benedictus XIV.

(1) Trid. in *cap. caussae criminales 5. eod. sess. 24. de ref.*

(2) Ulp. in *cit. l. heres absens* 19. §. 4. *D. de iudiciis*, ait: *Quia ita fuit obligatus, ut in Italia solveret, si in provincia habuit domicilium, utrobique posse conveniri, et hic, et ibi.* Consonat Decretalium textus in *cap. dilecti* 17. *de for. compet.* Celsus iurec. in *l. non est dubium* 11. §. 1. *D. de custod. reor.*, et Innocentius III. in *cap. postulasti* 14. *eod. tit.* loquuntur de reo a loco criminis ad forum originis, seu domicilii remisso. Imp. Valerianus, et Gallienus heredem vel in foro domicilii, vel ubi res hereditariae sitae sunt, conveniri definiunt in *l.* 1. *C. ubi de hereditate agatur.* Caussam status ancillae fugitivae ea in provincia, ubi servivit, non ubi deprehensa est, agendam iussit Alexander in *l. ea quae* 1. *C. ubi caussa status agi debeat.*

(3) *Si quis posteaquam in ius vocatus est, miles vel alterius fori esse coeperit, in ea caussa ius revocandi forum non habebit, quasi praeventus, docet* Ulp. in *l. si quis 7. D. de iudiciis.* Iustinianus, *ubi lis contestata semel in clericum sit, ibi finem accipiat*, rescripsit *Nov.* 123. *cap.* 24. At in ea Marcelli regula: *ubi acceptum est semel iudicium*, ibi, *et finem accipere debet, l. ubi 30. D. iudiciis:* recte commonet Gothofredus: *non modo ubi lis contestata est, sed etiam ubi simplex citatio facta est.* Qua vero forma sit absente reo agendum; eique denuncianda lis coram aliquo ex iudicibus competentibus mota, definit Justinianus in *Auth. qua in provincia C. ubi de criminibus agi oporteat*, ex *Nov. 69. cap.* 1.

(4) Quas Trid. innovavit in *cit. cap. caussae omnes.*

(5) Innoc. IV. in *cap. Romana* 1. *de foro compet. in VI.*, et Trid. *loc. cit.*

(6) Hocce decretum fert Card. Lambertinus, post Bened. XIV. *instit. 40. num. 3.* Dissonare ab videtur decretalis Gregorii IX. in *cap. licet 20., et ult. de for. compet.* inquiens: *Quia omnium ecclesiarum mater est eadem* Romana Sedes Apostolica, *et magistra, rite compelli potuit* Episcopus apud eamdem conventus, *ut ibi suis adversariis responderet: nisi* ex iusta, et necessaria caussa ei domum revocandi ius esset.

inhaerens Tridentinis decretis (1) imperavit, *quod caussae omnes tam civiles, quam criminales ad forum ecclesiasticum pertinentes, exceptis privilegiatis, quae ex eodem Concilio, vel alias iuxta canonicas sanctiones apud nos, et Sedem Apostolicam tractari possunt, aut debent, coram Ordinariis locorum dumtaxat in prima instantia cognoscantur, neque a Metropolitanis, Patriarchis, aut Primatibus, aliisque iudicibus ecclesiasticis etiam nostris, et Sedis Apostolicae Nuntiis, vel de latere Legatis, aut Camerae nostrae generali Auditione, et ceteris quibuslibet Curiae nostrae iudicibus ad se avocari, vel aliis committi possunt, nisi per viam legitimae appellationis, et in casibus, ut supra non prohibitis, ad ipsorum tribunalia deferantur* (2).

XI. In ecclesiastico foro plerumque non per sese caussas Episcopi, locorumque Ordinarii cognoscunt, sed per Vicarios generales, tamquam iudices ordinarios (3), aut per delegatos particulares, quibus suam ii mandent iurisdictionem (4). Per alios vero dum iudicant Episcopi, quum videantur per semetipsos iudicare (5) in uno, eodemque tribunali suo (6): possunt idcirco ad sese, quoties voluerint, iudicium, quamvis coeptum, et prorogatum a suis perinde Vicariis, ac Delegatis avocare, iisque vetare processum ad ulteriora (7), ademptam sic iurisdictionem sibi resumentes.

XII. In ea quaestione, an laicus possit ex speciali delegatione, aut generali mandato Episcopi caussas fori ecclesiastici iudicare? oportet *profanas* a *spiritualibus* distinguere. Quod enim ad *spirituales*, ac mere ecclesiasticas attinet caussas, laicos quoslibet ab earum audientia, et iudicio procul habendos iubent canones quum antiqui, tum recentiores. Id primum imperat ea per metaphoram lata lex Moysis: *non arabis in bove, simul et asino* (8). *Idest homines diversae professionis*, exponunt Patres Hispalenses, *in officio uno non sociabis . . . . qui in administrationibus Ecclesiae Pontificibus sociantur, discrepare non debent, nec professione, nec habitu: nam cohaerere, et coniungi non possunt, quibus, et studia, et vota diversa sunt. . . . Indecorum est enim laicum Vicarium esse Episcopi, et saeculares*

(1) Trid. *sess.* 13. *de ref. cap.* 1. *sess.* 22. *cap.* 7., *et sess.* 24. *cap.* 20.

(2) Bened. XIV. in *const. ad militantis* 48. *de appellat.*, *et inhib.* §. 42. *to.* 1. Bullarii *pag.* 141.

(3) De quibus dictum sat est *lib.* 1. *tit. XXVI.*

(4) De his etiam dictum eodem *lib.* 1. *tit. XXV. num. III.*, *et seqq* Docente Ulpiano *solet Praetor iurisdictionem mandare, et aut omnem mandat, aut speciem unam, vel de una specie potest, l. solet* 16. *D. de iurisd. omn. iud.*

(5) Bonif. VIII. in *cap. qui facit per alium* 72. *de reg. Iur. in VI.*

(6) Ex *cap. Romana Ecclesia* 3. *de appellat. in VI.* Videsis *dicta lib.* 1. *tit. XXVI. num. VII.*

(7) *Iudicium solvitur vetante eo, qui iudicare iusserat: vel etiam eo, qui maius imperium in eadem iurisdictione habet*, respondit Paulus ad Sabinum in *l. iudicium* 58. *D. de iudiciis.* Sed *cum Praetor unum ex pluribus iudicare vetat, ceteris id committere videtur*, idem iurec. ait in *l. cum Praetor* 12. *D. eodem.*

(8) Denteron. *cap.* 22. *vers.* 10.

in Ecclesia iudicare (1). Cum Dioscorus Episcopus Alexandrinus in Concilio Chalcedonensi iudicandus petiisset praesentiam Legatorum Principis, Patres unanimi sententia id renuentes reposuere: *quando regularia, seu canonica tractantur; neque iudices, neque aliquos laicos interesse oportet* (2). Ex recentioribus Eugenius III. sanxit in Synodo Rhemensi: *ne laici ecclesiastica tractare negotia praesumerent, nec Ecclesiarum Praelati de negotiis ecclesiasticis maxime de illis, quae* spiritualia *esse noscuntur,* laicorum *iudicio disponerent* (3). Quae vero *non spiritualia*, sed *temporalia* in Curiis ecclesiasticis versantur, ea fas quidem est laicis Episcopo delegante iudicare (4). Nam secundum veteris disciplinae leges (5) de pecuniariis clericorum caussis, communibusque criminibus, quae Religionem, Fidemque non violarent, notionem iudiciariam forus laicus diu retinuit.

TIT. X.

De prorogatione et variatione fori.

I. Iurisdictionem alieni iudicis publici quum perpetui, tum temporarii ex partium consensu prorogare secundum leges cuique licet.

II. Clericis forum laicum adire ultro, et prorogare sacri canones vetant.

(1) Synodus Hispalens. II., cui adfuit S. Isidorus, in *can. in nona actione 22. C. 16. qu. 7.*

(2) Idipsum priscis Ecclesiae moribus institutum fert auctor *Constitut.* vulgo *Apostolic. lib. 2. cap. 47.*, scribens: *Adsistant autem episcopali iudicio diaconi, et presbyteri.* Synodus Matisconensis I. in *can. nullus 6. C. 11. qu. 1.* ita decrevit: *Omne negotium clericorum aut in Episcopi sui, aut Presbyterorum cum Archidiaconi praesentia finiatur.* Synodus Romana sub Symmacho Papa hinc ante actis canonibus inhaerens definivit nullam esse laicis potestatem aliquid in Ecclesia statuendi, *quos*, ait, *obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, can. bene quidem 1. dist. 96., et can. non placuit 23. C. 16. qu. 7.*

(3) Eugen. III. in Syn. Rhemens. an. 1145 in *cap. decernimus 2. de iudiciis.* Id etiam ab Eugenio II. antea decretum fert Emmanuel Gonzalez in notis ad istud *cap. decernimus lit. A.* Summum vix Pontificem quaslibet sine discrimine caussas ecclesiasticas, et spirituales posse laico delegare quum civiles, tum criminales, et mixtas, adfirmat glossa in eodem *cap. decernimus verb. praesumant.*

(4) Fagnanus in *cap. contingit 8. de arbitris num. 28.* hanc sententiam usu receptam comprobat ex glossa *loc. cit.*, et communi Doctorum consensione. Idem de Adsessoris episcopalis, aut Consultoris officio dicendum, quod laici obire in caussis Ecclesiae pecuniariis, et temporalibus valent, Aufrer *de potest. saecul. reg. 4. fall. 34.*, Ferrer. ad Guid. Papa *decis. 69.* Huc spectat quod Synodus VIII. oecumenica decrevit in *can. Hadrianus 2. dist. 63.*, aiens: *Si vero quisquam laicorum ad cooperandum invitatur ab Eccleeia: licet huiusmodi cum reverentia, si forte voluerit, obtemperare se adsciscentibus.*

(5) Eas iam recensui *tit. III. num. XV., et seq.*

III. Mox leges etiam Caroli M., et Friderici II. Imperatorum.
IV. Tum decretales Pontificum recentiores.
V. Cuiacius volontariam fori clericalis renunciationem iure validam adeo putat, ut rationes decretalium adversas contemnat.
VI. Tanti viri argumenta discutiuntur curatius, et refelluntur.
VII. Pontificum gesta extra regulam hac in re subditos a sacris Canonibus nil eximunt.
VIII. Cum dioecesani adsensu indulgent utrique parti consentienti decretales forum laicum in caussis profanis civilibus adire, in criminalibus, nonnisi ex Papae permissu.
IX. Consensus partium, et Dioecesani hac in re, nonnisi expressus, ac specialis valet.
X. Laicis arbitrium prorogandi alienum, inscio iudice suo, forum indulgent leges communes, municipales non item.
XI. Prorogatus iudex non cogitur invitus suscipere notionem caussarum fori non sui.
XII. Qui nullam habeat iurisdictionem, forus eius prorogari non potest.
XIII. Nuntiaturae Apostolicae forum saepe prorogant in diem clerici regnicolae, solutionem spondentes in forma R. Camerae, vel in quolibet loco, et foro.
XIV. In eoque prorogando nullus Episcopi dioecesani adsensus requiri consuevit.
XV. Forum regiae Delegationis cambiorum pariter laici prorogant quotidie, dum litteras cambii suis dant creditoribus.
XVI. Obligatio in forma R. Camerae arbitrium insuper dat variandi forum dioecesanum.
XVII. Id quod iure licet nemini, praeterquam pupillis, viduis, et miseris.

I. Quoties ex consensu omnium, quorum interest, iudex aliquis notionem caussae ad alium pertinentis accipit, vel retinet: eius iurisdictio *prorogari* tunc dicitur (1). Id quod Iure communi fere licet, dummodo aliam ipse iurisdictionem habeat (2) vel perpetuam, vel tempo-

(1) *Prorogatio imperii* usitata Latinorum locutio est. Livius *lib. 8. cap. 22.* de Publilio Philone loquens ait: *duo singularia haec ei viro primum contigere:* prorogatio imperii *non ante in ullo facta, et acto honore triumphus.* Cicero ad Q. Fratrem *lib. 1. Si tibi bellum aliquod*, ait, *magnum, et periculosum administranti* prorogatum imperium *viderem, timerem animo.*

(2) *Si enim se subiiciant aliqui iurisdictioni, et consentiant: inter consentientes cuiusvis iudicis, qui tribunali praeest, vel aliam iurisdictionem habeat, est iurisdictio*, inquit Ulpianus in *l. 1. D. de iudiciis.*

rariam (1). Nam quae in privatis viris nulla omnino est, iurisdictio prorogari non potest (2).

II. In veteri Ecclesiae disciplina leges civiles ut laicis arbitrium dabant prorogandi forum ecclesiasticum in caussis ad laicum pertinentibus (3); ita et clericos versa vice, qui in forum laicum semel consessissent suis in temporalibus, et pecuniariis fori ecclesiastici caussis, cogebant inibi caussam agere usque ad exitum. Iustiniani lex dum vetuit *invitum* trahi Episcopum pro quavis lite quum civili, tum criminali ad civilem, aut militarem iudicem (4): sat innuit ex consensu Episcopi caussam ipsius in foro laico tunc iudicari. *Si quis*, praeterea idem Imperator generatim edixit, in *conscribendo instrumento sese confessus fuerit non usurum fori praescriptione propter Sacerdotii praerogativam: sancimus non licere ei adversus sua pacta venire, et contrahentes decipere* (5). Quamvis autem iurisdictio episcopalis neque firma, nec plena in temporalibus Ecclesiarum, clericorumque caussis tunc foret ex variantibus Principum constitutionibus, moribusque gentium dissentaneis: tamen ecclesiasticae sanctiones in crebris Conciliis editae collitigantes clericos censuris cohibuerunt, ne forum ii saecularem adirent sponte sua (6). Ita libertatem prorogandi forum laicum iure Iustinianaeo clericis datam videntur sacri canones ademisse.

III. Leges dein posteriores, praesertim Caroli M., et Friderici II., quibus, et municipales huius regni accesserunt, quum generalem a foro laico exemptionem, et personis ecclesiasticis, et rebus clericorum, Ecclesiarumque temporalibus obfirmassent, eamque ampliorem, quam praeteriti Principes futuram edixissent: perspicuis ita limitibus partitae sunt iurisdictionem inter utramque Potestatem, ut sine ullo respectu ad res temporales, aut communia clericorum crimina reos clericos foro tantum ecclesiastico parituros omnino prohibeant laicis magistratibus coram se in ius vocare, penitusque irrita velint iudicia laicorum in caussis ad forum ecclesiasticum pertinentibus (7). Laicis porro magistratibus iam recitatae leges iurisdictionem in suae tantum provinciae laicos dum attribuunt: si excesserint suam ipsi provinciam, privati sunt homines, non iudices publici ex Paulli sententia (8).

IV. Fuere olim, qui iam iam labente veteri disciplina abducentes

(1) *Si iudex ad tempus datus, et omnes litigantes consentiant: possunt tempora, intra quae iussus est litem dirimere, prorogari, idem Iureconsultus respondit in l. consensisse 2. § 2. D. de iudiciis.*

(2) *Privatorum consensus iudicem non facit eum, qui nulli praeest iudicio, nec quod si statuit, rei iudicatae continet auctoritatem, ex l. privatorum 3. C. de iurisd. omn. iudic.*

(3) Qua de re dictum superius *tit. VIII. n. XLI.*

(4) Iustin. Nov. 123. *cap. 8.* Quam exposui superius *tit. III. n. XVI.*

(5) Idem in *l. si quis in conscribendo* 51. *C. de Episc., et cler., et l. 29., seu pen. C. de pactis.*

(6) Liquet id ex canonum, et legum serie chronologica, quam exposui *tit. III. num. VIII., X., XIII., XVIII., XIX., et seq.*

(7) Videsis dicta superius *tit. V. de for. compet., et incomp.*

(8) In *l. Praeses 3. D. de officio Praesidis.*

animum a sacris Ecclesiae canonibus, et enervatam legibus posterioribus legem Iustiniani sectantes putarunt clericum posse fore suo renunciare in caussis praesertim temporalibus, atque foro se laico subiicere. At pontificiae decretales opinionem eiusmodi profligarunt apertius. Nam Pisano Archiepiscopo eam amplexo ita rescripsit Innocentius III (1). *Asseruisti te usque ad haec tempora tenuisse, quod licitum sit clerico renunciare saltem in temporalibus caussis iuri suo, et sibi laicum iudicem constituere, praesertim ubi adversarii voluntas accedit, ac tenere iuramentum super hoc interpositum respondisti, immemor constitutionis, qua cavetur pacto privatorum Iuri publico minime derogari. Cum igitur hoc ius in Milevitanensi, et Carthaginensi conciliis sit specialiter promulgatum, ne clerici clericos, relicto suo Pontifice, ad iudicia publica pertrahant, alioquin caussam perdant, et a communione habeantur extranei, et tam Episcopi, quam diaconi, seu quilibet clerici in criminali, seu civili negotio, si derelicto ecclesiastico iudicio, publicis iudiciis se purgari voluerint, etiamsi pro eis sit lata sententia, locum suum amittant, et hoc in criminali actione; in civili vero perdant quod evicerint, si locum suum maluerint abstinere: manifeste patet, quod non solum inviti, sed etiam voluntarii pacisci non possunt, ut saecularia iudicia subeant: quum non sit beneficium hoc personale, cui renunciare valeant, sed potius toti collegio ecclesiastico publice sit indultum, cui privatorum pacto derogari non potest.* Hodie igitur clerici *in iudicem non suum, nisi forte sit persona ecclesiastica, et Episcopi dioecesani voluntas accedat, consentire non possunt*, secundum Gregorii IX. decretalem usu vigentem (2).

V. Prolatas Innocentii III. rationes, tamquam fucosas contemnit Cuiacius (3), easque refellens totis lacertis nititur pontificiam adeo enervare decretalem, ut adstruat voluntariam, forique laici prorogationem iure validam esse. Primum contendit clericum foro suo, dum contrahit, renunciantem non communi, et publico Iuri clericalis ordinis, sed privato sui ipsius commodo tantum renunciare: quemadmodum laicus alieno sese iudici subiiciens, nil derogat Iuri publico, quippe quod renunciationem fori utique ratam habet (4). Addit caussas, originesve privatarum obligationum, actionumque posse initio contractus mutari a contrahentibus, tametsi nequit conventio privatorum ex Iure publico quidquam infringere ex textu Pomponii (5). Eos tandem qui Iuri dumtaxat suo, quod ex communi privilegio obvenit, renunciant; nullum universali privilegio praeiudicium inferre, quum eadem non sit singulorum, quae Universitatis ratio (6).

VI. Rem vero quisquis inspexerit penitius ita probam sine fuco de-

(1) Innoc. III. in *cap. si diligenti 12. de foro compet.*
(2) Greg. IX. ad Abbatem Trecens. in *cap. significasti* 18. *eod. tit.*
(3) Cuiacius in commentario ad *cit. cap. si diligenti.*
(4) Ex *l.* 1., *et* 2. *D. de iudiciis*, quas pro se laudat Cuiacius.
(5) Ex *l. nec ex Praetorio 27. D. de reg. Iur.*
(6) Ex *l.* 2., *et 7. D. quod cuiusque universitatis nomine, vel contra eam agatur.*

cretalem, ut ineptas agnoscet censuras Cuiacii. Quum is admittat, quod negare nequit, pacta privatorum Iuri publico nil derogare: quaestio huc redit, an fori clericalis renunciatio ex privato pacto deroget Iuri publico. Id ipse haud recte negat, a Iustiniano doctus eum, qui iurisdictionis mutare formam attentet, contra Ius publicum agere. Nam *iurisdictionis mutare formam, vel Iuri publico derogare, non est cuiquam permissum*, ex Codice Iustinianaeo (1). Magistratus instituere diversos, et distinctam cuique provinciam demandare, nonne pertinent ad Ius publicum supremae Potestatis? Iure quidem publico fit, ut prohibeantur generatim subditi unius provinciae, vel feudi a suis magistratibus declinare ad alienos, ut ne iurisdictio unius mutetur in alium arbitrio privatorum. Pro Cuiacio quispiam fortasse obiiciet illud Ulpiani (2): *inter consentientes cuiusvis iudicis, qui tribunali praeest, vel aliam iurisdictionem habet, est iurisdictio.* Reponam cum Gothofredo (3): *qui tamen sit ex decuria iudicum*, uni, eidemque magistratui, seu imperio subiectorum (4). Enimvero divisio imperiorum iudicia unius ad aliud transferri auctoritate privata non patitur. Par itaque divisio regni sacerdotalis a regno terreno, et Potestatis ecclesiasticae a saeculari obstat, ne fiant promiscua utriusque iudicia ex solo privatorum consensu; eaque simul postulat ita laicis non licere forum ecclesiasticum (5), ut clericis forum laicum prorogare. Si mox perpendantur canones, et leges palam vetantes clericis adire forum laicum, eo plus patebit Iuri publico adversari pacta privatorum de alieno prorogando foro. Nam *contra Iuris communis regulas pacta conventa rata non habentur*, ex textu Gaii (6), et Ulpiani (7). Et ubi *specialiter principali iussione prorogatio fuerit inhibita*, Ulpianus itidem negat iurisdictionem tunc prorogari, etiamsi *omnes litigatores consentiant* (8). Dum privato commodo tantum suo renunciare clericum laico foro consentientem Cuiacius asserit, certe fallitur: quum declinans ad iudicem saecularem clericus adimeret simul Episcopo, et Ordinario suo iurisdictionem, et iudicandi potestatem legibus quaesita. Duplex porro beneficium inest foro clericali, et exemptio clericorum a foro laico, et iurisdictio episcopalis: haec ad Episcopos, ad clericos illa pertinet. Quare

(1) Impp. Diocl., et Maxim. in *l. testandi* 13., *C. de testamentis.*

(2) Ulp. in *l.* 1. *D. de iudiciis.*

(3) Dionys. Gothofred. in notis ad eamdem *l.* 1. *de iudiciis* ver. *cuiusvis iudicis.*

(4) Pomponius in *l. necessarium* 2. §. 29. *D. de origine Iuris* tradit *Decemviros fuisse litibus iudicandis* constitutos, ex quibus Praetor iudicem actori cuique unum dabat. alium ergo extra eam decuriam non licebat collitigantibus ex pacto, et consensu privato constituere sibi iudicem, ex Gothofredi sententia. (5) Ex supradictis *tit. VIII. num. XLI.*

(6) Gaius in *l. contra iuris* 28. *de pactis.*

(7) Ulpianus in l. *Iuris gentium* 7. §. 16 *D. de pactis-Generaliter quoties pactum*, ait, *Iure communi remotum est, servari hoc non oportet: nec iusiurandum de hoc adactum*, ne quis agat, *servandum.* Consonat Papin. in *l. nemo* 55. *D. de legat.* 1., Iustinianus in *l.* 7. *C. de pactis.*

(8) Ulp. in. *l. consensisse* 2. §. 2. *D. de iudiciis*, et *l. neque pignus* 45. *D. de reg. Iur.*

ut Episcopus nequit invitum clericum sibi subditum alieno Episcopo iudicandum dimittere : ita vicissim clericus alieno sese Episcopo subiicere , suus nisi consenserit dioecesanus (1). Hac quoque ratione absurdum , et incongruum esse ostenditur exemptum , quod promit Cuiacius a iure singulorum, et universitatis: dum ponit licere singulis iuri tantum suo , quod habeant ex communi universitatis privilegio renunciare sine aliorum concivium detrimento. Id ambae leges ab eo citatae ubi dicerent , quod reapse non dicunt (2) , rei quidem nostrae non quadrat. Si enim clericus foro suo renuncians videtur Cuiacio communem aliis clericis exemptionem a foro laico nil detrahere : tamen episcopalem utique laederet iurisdictionem. Alia , quae restat Cuiacii argutia , a quaestione longius abest. Duce Pomponio ait: *quum inchoatur actio* , nempe quum ineunt paciscentes contractum , posse tunc *caussas obligationum pactione immutari* , quae putatur idcirco nil ex communi iure tunc immutare. Inter tot varias contractuum , et obligationum species possunt scilicet contrahentes unam eligere favorabilem, eamque speciatim inire, ut ceteras odiosas , et asperas, multisque iuris rigoribus obnoxias devitent : at in ea ipsa , in quam ii semel consenserint , nullo umquam pacto cavere poterunt, ne leges locum habeant. In privata ergo fori clericalis renunciatione si una tantum species pacti est legibus ecclesiasticis vetita , et nulla alia, quam leges ipsae probarint , in eo pacto concurrit species , origo , vel caussa legitimae obligationis : abs re quidem Cuiacius adfert Pomponii textum, ut adstruat id unicum pactum contra leges, et canones valere. Si alio suum transferat domicilium , aut aliena dioecesi contrahat clericus, quum utrumque iure liceat: eum posse hisce in casibus mutare caussam fori dioecesani probe dicemus cum Pomponio; non tamen, ut subeat forum laicum, sed ut episcopali etiam foro vel translati domicilii, vel contractus pareat (3).

VII. Opinioni sat profligatae nil suffragantur nonnulla Pontificum gesta , qui sponte sua sese aliquando censuerunt Principum saecularium iudicio submittere , ut vel calumnias impiorum funditus everterent, vel suam innocentiam , et mansuetudinem longe, lateque patefacerent, vel iniuria temporum, ac necessitate coacti brachium saeculare implorarent ad praesidium suum, atque ad seditiones compescendas. Leo IV. a Gratiano fertur haec ad Ludovicum II. Augustum rescripsisse (4). *Nos si incompetenter aliquid egimus , et in subditis iustae legis tramitem*

(1) Greg. IX. *in cap. significasti 18. de foro competenti.*

(2) Nec enim Gaius in *l* 1. *D. quod cuiusque Universitatis nomine*, nec Ulpianus in *l.* 2., *et 7. D. eod.* loquuntur quidpiam de singulis renunciantibus communi Universitatis privilegio , sed de actoribus tantum , et syndicis communia Universitatis negotia gerentibus.

(3) Ex supra expositis *tit. IX. num. VII.*

(4) Leo IV. in *can. nos si incompetenter 41. C. 2. qu. 6.* Quemadmodum sacrae Litterae tradunt Daniel. *cap. 13.*, quod nulla potestate legitima functus Daniel surrexerit extrà ordinem ad iudices a populo constitutos de falso convincendos, convictosque damnandos: sic laica Potestas non semel in ecclesiasticis negotiis implorata auxilium innocentiae, ac veritati attulit in tempore.

non conservavimus, vestro, ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare iudicio : quoniam si nos , qui aliena debemus corrigere peccata, peiora committimus, certe non veritatis discipuli (quod dolentes dicimus), erimus prae ceteris erroris magistri. Alia id genus exempla Bellarminus habet (1) : quae quia praeter ordinem, ac regulam prodiverunt, nullatenus regulam infringunt (2). Praeterquam quod non singularia gesta Pontificum , qui sunt legibus ecclesiasticis instar Principum soluti (3), sed communes Ecclesiae canones observare subditos oportet.

VIII. Duas nihilominus limitationes accipit haec regula, clericis vetans prorogationem fori saecularis. I, si Episcopus, locive Ordinarius una cum partibus consenserint iudicem laicum de caussa civili, ac profana tantum suscipere notionem (4). II, ubi Papa id speciatim permiserit (5), etiamsi de caussis criminalibus, et ecclesiasticis agatur (6).

IX. Ut valeat autem alieni iudicis prorogatio in casibus Iure permissis , utraque pars consentiat in primis necesse est cum dioecesani adsensu (7). Quum tacitum sufficere consensum teneant Doctores unanimes (8) : stylus invaluit, ut qui citatus a iudice non suo comparuerit, et respondens postulationibus adversarii actoris exceptionem fori declinatoriam non obiecerit, eo ipso tunc praesumatur in alienum iudicem tacite consensisse , ipsumque declinare amplius nequeat (9). Si quis vero ius vocatus nil respondeat, quamvis praesens in loco iudicii taciturnus patiatur adversarium ad ulteriora progredi : nulla fori proro-

(1) Bellarmin. *lib. 2. de summ. Pontific. cap. 29.*

(2) *Quod contra rationem Iuris receptum est , non est producendum ad consequentia*, monet Paulus in *l. contra 141. D. de reg. Iur., et l. 14. D. de legibus.*

(3) Ulp. in *l. Princeps 31. D. de legibus.*

(4) Gl. in *cap. decernimus 2. de iudiciis* ver. *non praesumant*, cuius opinionem tenet Fagnanus in *cap. significasti 18. de for. compet. num. 17.*, et *cap. nullus 2. de iudiciis num.* 10. Si enim laico Episcopum posse caussas fori dioecesani civiles, ac profanas delegare inuitis partibus, iam patet ex supradictis *tit. IX. num. XII.*, eo magis poterit eis consentientibus prorogationem indulgere.

(5) Synodus Parisiensis in *cap. nullus 2. de for. compet.* quum decrevisset, ut *nullus iudicum* (puta saecularium) . . . *clericum ullum , aut minores Ecclesiae sine permissu* Pontificis *per se distringere, aut condemnare praesumat :* Fagnanus hoc in textu *num. 9.* scribit , *ut verba illa* , sine permissu Pontificis *non sint supervacua , exponi potes verbum* Pontificis, *idest Papae , qui solus potest concedere*, ut iudex laicus clericum distringat, vel condemnet, *can. Mennam 2. qu. 5., can. cum devotissimam 12. qu. 2.*

(6) S. Greg. M. in *cit. can. Mennam vero 7. C. 2. qu. 5.* indulsit , ut Menna Episcopus purgationem de obiectis criminibus faceret arbitrio Brunichildae reginae Francorum, et coram ea duobus adscitis presbyteris.

(7) Ex supradictis *tit. num. IV., et seq.*

(8) Apud Fagnan. in *cap. significasti 19. de for. compet. num. 12.*

(9) *Nemo post litem contestatam ordinariae Sedis declinet examen*, ait Constantin. Imp. in *l. nemo 5. C. de iurisd. omn. iud.* Ulpianus *post susceptam cognitionem* non mutari iudicem respondit in *l. cum quaedam puella 19. D. de iurisd.*

gatio, neque contumacia oritur. Nam *qui tacet, non utique fatetur* (1), nec consentit : idemque non parebit *impune, si supra iurisdictionem suam velit ius dicere* iudex incompetens (2). Modestino iureconsulto videtur in iudicem non consensisse, qui edi sibi genus apud eumdem iudicem desiderat actionis (3). Pariter *si per errorem atius pro alio praetor fuerit aditus, nihil valebit, quod actum est : nec enim ferendus est, qui dicat consensisse eos in Praesidem : cum non consentiant, qui errent* (4). Ex dictis consequitur a procuratore, nisi habeat speciale mandatum, liberamve facultatem, non posse alieni iudicis forum prorogari: quum deficiat consensus partis necessarius. Si quaeras, an liceat partibus, quae alieno se foro subiecerint, mutare voluntatem, re integra, hoc est antequam iudicium inchoaretur? Affirmat Africani textus (5), cui adversari Iustinianus (6) videtur.

X. *Nisi Episcopi dioecesani voluntas accedat*, ex textu Gregoriano iam recitato (7), prorogatio alieni fori, quamvis ecclesiastici erit irrita. Secus, quam in foro laico, quum leges communes indulgeant cuique prorogare inscio iudice suo iurisdictionem alterius, ad idque sufficere privatorum consensum (8). Communes inquam: propterea quod ius municipale statuit primas caussas quum civiles, tum criminales fore in Ordinariis locorum Regni Curiis quum regiis, tum baronalibus cognoscendos, vetans regiis etiam Audientiis, et M. C. V. eas inde avocare, praeterquam in casibus, aut gravaminum, aut iure permissis (9) : ne iurisdictio Baronum cum mero, et mixto imperio singulatim regiis investituris concessa, vel in primo tantum gradu, vel in secundo etiam, et tertio violetur, nec fiat fraudibus obnoxia (10). Qua-

(1) Paulus ait in *l. qui tacet 142. D. de reg. Iur.*, et Bonif. VIII. in *cap. is, qui tacet 44. eod. tit. in VI.*

(2) Paul. in *l. extra territorium 20., et ult. D. de iurisd.*

(3) Modestin. in *l. non videtur 23. D. de iudiciis.*

(4) Ulp. in *l. si errorem 15. D. de iurisd.*

(5) African. in *l. si convenit. 18. D. eodem.*

(6) Iustin. in *l. si quis conscribendo 29. C. de pactis*, de qua dictum paulo superius *hoc tit. num. II., et V.*

(7) Hoc *tit. num. IV.* (8) Ex supradictis hoc *eod. tit. num. 1.*

(9) Philippus II. an. 1584. speciale indulsit privilegium, ne subditis Baronum liceret in primo gradu caussas fori baronalis ad regia Tribunalia, omisso eo, deferre, ex traditis a Reg. Tapia *lib. 2. de off. Baron.* Id quod firmatum est nova Regis Caroli constitutione 15. Junii 1738.

(10) Alphonsus I. Aragonius in primos fertur merum, et mixtum imperium Baronibus concessisse anno 1442., quod confirmarunt Ferdin. I. Arag. an. 1459., et Carolus V. an. 1535., et 1550., ut liquet ex registro privileg. Civ. Neap. Idemque Car. V. in *Pragm. 5. de Baronibus* sanxit, ne Barones, et feudorum Domini aliam exerceant iurisdictionem, nisi quam ex privilegio expresso, aut legitima praescriptione obtinuerint. Et quamvis Rex Corolus an. 1738. imperium in caussis capitalium criminum iis ademisset, iubens reos eiusmodi ad Regias Audientias, aut M. C. Vicariae deferri: tamen regressus a Veliterno bello, annuens precibus Civ. Neap. illud tandem restituit VII. idus Novembris 1744. Iure hinc merito Andraeas de Isernia de feudis in *cap. 1. quid sit investitura*, Barones appellat *ordinarios* vassallorum suorum *iudices*, tum Regens de Ponte *lib. 1. de potest. Proregis* §. 4.

propter solent Barones in diem petere, atque obtinere a regiis Audientiis Provinciarum, et M. C. Vicariae remissionem caussarum ad suas feudorum Curias etiam post sententiam inibi latam: quotiescumque vassalli ipsis, aut inscüs, aut invitis alibi instituerint iudicium (1).

XI. Num versa vice requiratur consensus eius etiam iudicis, de cuius proroganda iurisdictione agitur? Ulpianus censuit *posse defendi eius esse iurisdictionem, qui ignoret consentire, et putat suam iurisdictionem* (2). Igitur susceptum alterius fori iudicium prorogatus iudex apud se retinere, si velit, potest: invitus non cogitur. Quoties autem dubitetur, sit, ne competens, an debeat caussam ad forum competentem remittere? idem ipse cognoscet, ac aestimabit, an sua sit iurisdictio (3). Hinc illae decretorum formae solemnes: *oppositis non obstantibus procedatur ad ulteriora*, vel *caussa remaneat*, aut *partes adeant iudicem competentem*, vel *caussa remittatur ad eam Curiam dioecesanam.*

XII. Oportet insuper, ut iurisdictionem reapse habet permanentem ex officio sibi demandato quamvis, mobili, vel ex adepta dignitate is, ad cuius iudicium alterius fori ecclesiastici caussa deferatur consensu privatorum (4). Quum nulla ergo sit privatis hominibus iurisdictio, nullam lure naturali fert prorogationem, seu extensionem (5). Pariter quia delegata ad caussam unam, vel alteram inter certas personas iurisdictio, statim ac suo delegatus officio sit semel functus, continuo expirat, ita ut nulla ei amplius, uti privato remaneat iudicandi potestas (6): patet cur *huiusmodi delegata iurisdictio ad alias personas*, caussasve *nequeat prorogari* (7). Et ubi delegatus pronunciaverit semel se iurisdictionem sibi mandatam non habere: ipsam nequit partibus etiam consentientibus resumere (8). Vix in ea ipsa caussa delegata personis iisdem collitigantibus licet iudicii terminum limitatum a delegante, priusquam expiret, prorogare (9).

XIII. Quam rara in Curiis regni episcopalibus, tam frequens est prorogatio fori Nuntiaturae Apostolicae in caussis, ut aiunt, executivis, nedum ex pacto speciali obligationis *in forma R. Camerae apostolicae*, qua paciscentes ecclesiastici sese aperte subiiciunt iudicio Romani Auditorii Camerae Apostolicae, seu Cardinalis S. R. E. Camerarii, cuius pars est Nuntiaturae tribunal: sed etiam ex pacto generali, quod so-

(1) Ex traditis a Rovit. in *Pragm. 2. ubi de crimin. agi oport.* Tapia *lib. 3. iuris Regni eod. tit. num. 4.*, et perseverantibus adhuc moribus.

(2) Ulp. in *l. consensisse 2. §. 1. de iudiciis.*

(3) Ulp. in *l. si quis ex aliena 5. D. eodem*, vocatus ex aliena iurisdictione ad Praetorem, *debet venire*, ait: *Praetori est enim aestimare, an sua sit iurisdictio.*

(4) Greg. IX. in *cap. significasti 18. de foro compet. licet privatorum consensus*, ait, *eum, qui iurisdictioni praesse dignoscitur, suum possit iudicem constituere.* (5) Ex supradictis *hoc tit. num. 1.*

(6) Alex. III. in *cap. in litteris 9.*, et Honorius III. in *cap. venerabili 3g. de off., et pot. iud. deleg.*

(7) Greg. IX. ad Abb. S. Genovefae in *cap. P. et G. 4o eod. tit.*

(8) Idem in *cap. significantibus 38. eod. tit.*

(9) Alex. III. in *cap. de caussis 4. de offic. iud. deleg.*

let in publicis instrumentis conscribi, ut ea scilicet valeant *in quolibet loco, et foro incusari* contra stipulantes, quoties ii a pactis conventis resilient, vel facere satis omittent (1). quod etiam in litteris cambii collibysticis tacite continetur (2). Quoniam hocce tribunal iurisdictionem procul dubio habet ab Apostolica Sede mandatam in aliquot causarum generibus, et praecipue contra debitores omnes eiusdem Camerae, contra exemptos, et regulares, suosque subministros, officiales, et famulos (3): exposita iuris utriusque Civilis, et Canonici ratio moribus probata suadet, ut ubi semel sponte sua privati, dum contraxerunt, sese Iudicibus Camerae Apostolicae subiecerint solemni pacto, et iurisiurandi religione, nefas iis ipsis exinde sit istud, quod semel placuit, tribunal declinare. Idcirco parem hac in re puto Nuntii Pontificii, et Procuratoris Imperialis iurisdictionem. Rescripsit enim Antoninus Imperator cogendos fore, ut pareant sententiae, consentientibus adversariis latae, reique a Procuratore Caesaris iudicatae illos, qui eum sibi iudicem elegerint: *cum et Procurator*, ait, *iudicandi potestatem inter certas habeat personas, et vos incongruum eum esse vobis iudicem scientes, tamen audientiam eius elegistis. Quod et in aliis similibus iudicibus locum habebit* (4).

XIV. Consuetudo autem immemorabilis morem invexit nullum requirendi adsensum Episcopi dioecesani, aliusve iudicis ordinarii, ut in prorogato Nuntiaturae foro vigore obligationis cameralis, aut alterius pacti executionem paratam spondentis in quovis loco, et foro, quod instrumentis publicis expresse, litteris autem cambii tacite adnexum habetur, contra morosos, aut periuros, infidosque debitores agatur. Sane consuetudinem immemorabilem non abrogatam a Tridentina Synodo censuit S. Congregatio (5), dum Synodus ipsa omnes fori ecclesiastici caussas Ordinariis locorum dumtaxat iudicandas in primo gradu reservavit; decrevitque simul, ne *Legati* etiam, et *Nuntii* Sedis Apostolicae iurisdictionem iis praeripiant, nec etiam contra clericos, aliasve personas ecclesiasticas, *nisi Episcopo prius requisito, eoque negligente* procedant (6), non obstantibus quoad omnia privilegiis, et quibuscumque consuetudinibus. Frequentia huiusmodi prorogationis orta hinc videtur ex posthabito Dioecesanorum consensu, et publica fide solemnium obligationum, quas iureiurando, et monumento scripturae tutio-

(1) In Auditorio Camerae Apostolicae, quod *A. C.* vulgo appellant, caussas obligationum tum in forma Camerae, tum guarantigiae, et ex consensu partium iudicari, et paratam habere executionem, fuse tradit Ridolphinus in *praxi iudic. 1. cap. 1.* Eumdem ideo stylum adhibet Cameralis magistratus inferior, Nuntiaturae tribunal.

(2) Videsis dicta *lib. 1. tit. XXII. num. LXXVI.*, et *ult.*

(3) Ex traditis *lib. 1. tit. XXII. de legat., et nunt. num. XXVI., et seqq.*

(4) Imp. Antonin. in *l. non quidem 1. C. de iurisd. omn. iudic.*

(5) Apud Gallemart. in *remiss. ad Trid. cap. 20. sess. 24. de ref. tit. v.* in fine, et in *declarat. num. 8.*

(6) Trid. in *cit. cap. caussae omnes 20. sess. 24. de reform.* Innocentius III. etiam rescripsit, Principem a delegatis negligentibus caussam merito avocare, *cap. cum caussam 6. de iuram calumniae.*

ris diligenter obfirmatas iniquum esset non servare adamussim, nec exequi celeriter in foro iam electo.

XV. Similem inter laicos prorogationem fori regiae Delegationis cambiorum invexit publica commercii quum interni, tum externi utilitas ex litteris collibysticis, quas *cambii* vulgus appellat. Quandoquidem ius municipale pragmaticarum caussas *litterarum cambii* regio Collaterali olim Consilio tantum iudicandas addixit, sive uni Regentium Commissario, cum potestate avocandi eas a quovis alio tribunali, et cum privilegio paratae executionis (1). Rex autem Carolus eam ipsam iurisdictionem mandavit regio Delegato cambiorum, regalis Camerae S. Clares Quinqueviro, et hic eandem participat regiae Doanae menepecudum Apuliae tamquam Subdelegato cambiorum pro commoditate nundinarum Foveae, et negotiatorum inibi agentium. Mos inde invaluit, ut creditores ex litteris cambii quum realis, tum obliqui, nedum publici mercatores, aut negotiatores, verum privati etiam actores, qui pecunia mutuo, aliove titulo datae, schedulam instar litterarum cambii conscriptam a suis acceperint debitoribus laicis, istos ad solutionem paratam quotidie compellant in foro iam dictae Delegationis, aut Subdelegationis cambiorum, vi earumdem litterarum prorogato. Hunc idcirco forum declinare conventis debitoribus non datur, quamvis integrum creditoribus arbitrium sit, eos coram alio competenti iudice pulsandi (2), et coeptum alibi iudicium variandi, ut ad sese illud avocet regius Delegatus.

XVI. Istud quoque privilegium variandi fori dat obligatio Cameralis. Quamobrem si agere creditor incoeperit coram loci Ordinario contra suum in forma R. Camerae obligatum debitorem, praeter spem expertus illegitimam iudicii celerioris moram: utique poterit, eo derelicto ad tribunal Nuntiaturae trahere morosum, ac tergiversantem adversarium, ut realiter, et personaliter cogatur citius ad congruam satisfactionem (3).

XVII. Ceterum Iure communi forum nemini suum licet invito adversario variare, praeterquam pupillis, viduis, alisque fortunae iniuria miserabilibus (4).

(1) Pragm. 5. *de litteris cambii §. 7.*

(2) Ex traditis a Leonardo Riccio in *prax. civ. par. 2. tit. 2. cap. 1. n. 6.*

(3) Benedict. XIV. in *const. Romanae Curiae praestantiam 115. §. 6. to. 1.* Bullarii *p. 469.*, *si aliqua ex praedictis caussis*, ait, *privilegiatis*, *in quibus nimirum A. C. est iudex competens etiam in prima instantia, reperiatur iam contestata, et introducta coram alio iudice de partibus, et nihilominus alter ex litigantibus, cui competat* variatio fori *vel vigore obligationis Cameralis, vel virtute* l. un. C. quando Imp. int. pupill., et vid. *citaverit coram A. C. cum dictis citationibus impressis, et non subscriptis, tunc etiam volumus, et mandamus eas exequi attendi debere: sed eo casu A. C., vel eius Locumtenentibus caussas huiusmodi reassumere non liceat, nisi in statu, et terminis, refectis sumptibus usque tunc factis ab altera parte, et transportatis actis expensis illius, qui forum* variare *voluerit*, ut *hactenus laudabiliter observatum fuit.*

(4) Ex Constantini *l. 1. C. quando Imperator inter pupillos, et viduas*, ibique Ant. Perezius *num. 2.*

TIT. XI.

De compromisso et arbitrio compromissariorum iudicum

I. Arbitri ex aequo, et bono lites componunt, ac dirimunt: at non exceptio rei iudicatae, sed poenae tantum petitio ex compromisso nascitur.

II. Arbitrum compromisso poenali, vel partes eligunt, vel iudex dat, arbitratorem sine compromisso constitui iura indulgent: mores utroque nomine simul amicabiles compositores designant.

III. Ab iniquo istorum arbitrio reclamare ad iudicem leges compromittentibus largiuntur sub conditione amittendi poenam compromissam.

IV. Iura canonica recursum ab iniqua sententia perinde arbitri, atque arbitratoris ampliorem concedunt.

V. Eumque impunem leges nostrae municipales malunt: adeo ut laudo cuilibet, seu arbitrio executionem consueverint, re cognita, iudices nostri dare, vel suspendere variis decretorum formis rei congruis.

VI. Et reclamantem in gradu nullitatum denuo audire, suspenso interea laudo.

VII. Inter consanguineos, vel affines usque ad quartum civilem gradum lites omnes, exceptis obligationibus liquidis, rebus iudicatis, et feudalibus, ante probatorum terminum alterutra partium postulante in foru laico, cempromittendae fore in duos arbitros iuris lex nostra Pragmaticarum iubet usu vigens.

VIII. Clericus tamen invitus ad eiusmodi compromissum in foro laico non cogitur.

IX. In ecclesiastico foro arbitrium habent Ordinarii locorum, vel imperandi, vel denegandi petitum ab altero compromissum.

X. Hinc est, cur voluntarium compromissum a necessario, et arbitros voluntarios ab arbitris iuris distinguamus.

XI. Nullo pacto nunc adimitur libertas provocandi a futuro laudo ad iudicem proprium.

XII. Qui vero laudum semel acceptaverint, vel intra decem dies reclamaverint, eis non licet amplius reclamare.

XIII. Arbitri iuris debent summariam rei notionem suscipere Iure naturali, ac gentium necessariam arbitratores non item.

XIV. Civiles, ac temporales Ecclesiarum, et clericorum causas laicis arbitris licet compromittere: spirituales nequaquam:

nisi una cum clerico laicus arbiter, Ordinario annuente delegatur.

XV. Iudices laici prohibentur in caussis fori sui personam arbitri ex quovis compromisso adsumere.

XVI. Ecclesiastici vero secus.

XVII. Privato arbitro nullum ius est corrigendi, vel exequendi sententiam suam: id quod iudici fas est.

XVIII. Honorariam trigesimae mercedem iure accipit privatus arbiter: nullam iudex, praeterquam fixas emolumentorum quantitates, seu consuetas sportulas.

XIX. Plures arbitri ex voluntario compromisso trigesimam litis quotam inter se dividunt aequaliter, iuris arbitri quintam trigesimae, regii ministri nullam.

XX. Criminales caussas, tum de matrimonii foedere, de statu libertatis, ceteras id genus maiores ad arbitros deferre non licet.

I. *Compromissum ad similitudinem iudiciorum redigitur, et ad finiendas lites pertinent*, ex Pauli definitione (1). Namque arbitri ideo eliguntur communi partium consensione sub poenali pacto (2), vel dantur a iudice, ut litem inter eas arbitrio aequo, et bono ita dirimant, et componant, tamquam iudices compromissarii, ut forum exin adire pro ea finienda non oporteat. *Stari* si quidem *debet sententiae arbitri, quam de re dixerit, sive aequa, sive iniqua sit, et sibi imputet, qui compromisit* ex Ulpiani responso (3). At quoniam alterutra ipsarum, quae non obtemperaverit eorum sententiae, compromissam poenam debet alteri obtemperanti exsolvere: idem Iureconsultus recte docet *ex compromisso exceptiorem rei iudicatae non nasci, sed poenae petitionem* (4) contra eum, qui velit spreto arbitrio iam recepto iura sua in competenti foro adhuc experiri. *Aliud* ergo *est iudicium, aliud arbitrium*, Tullius monet (5). *Iudicium est pecuniae certae, arbitrium incertae. Ad iudicium hoc modo venimus, ut totam litem aut obtineamus, aut amittamus: ad arbitrium hoc adimus, ut neque nihil, neque tantum, quantum postulavimus, consequamur. Quid est in iu-*

(1) Paull. in *l. compromissum 1. D. de receptis arbitris.* Iustinianus, *compromissum*, ait, *iudicium imitatur, l. rem non novam 43. C. de iudiciis.*

(2) Ulp. in *l. Labeo ait 3. §. tametsi D. eodem* haec habet: *Ait praetor, qui arbitrium pecuniae* compromissa *receperit.* Simul Cicero *orat. 3. pro Q. Roscio Comoedo* inquit: *Quaero abs te, quid ita de hac pecunia, de his ipsis LLS. IↃↃↃ. de tuarum tabularum fide* compromissum *feceris* arbitrium *sumpseris, quantum aequius, et melius sit dari, repromittive, si pareret.* A Gothofredo in notis ad hunc Tullii locum dicitur *compromissum* esse *pecunia in arbitriis deposita, ut in iudiciis sponsio.*

(3) Ulp. in *l. diem proferre D. de receptis arbitris.*

(4) Ulp. in *l. ex compromisso 2. D. eodem.*

(5) Cicero *eadem orat 3. pro Q. Roscio.*

dicio directum, *asperum*, *simplex*. *Quid est in arbitrio? mite, moderatum*, *quantum aequius*, *et melius id dari*.

II. At *arbitriorum genera duo sunt*, ait Paulus (1). *Unum huiusmodi*, *ut sive aequum sit*, *sive iniquum*, *parere debeamus; quod observatur*, *quum* ex compromisso *ad* arbitrium *itum est:* alterum *eiusmodi*, *ut ad boni viri* arbitratum *redigi debeat*, *etiamsi nominatim persona sit comprehensa*, *cuius* arbitratu *fiat*. Hinc eruitur praecipua inter *arbitrum*, et *arbitratorum* differentia. *Arbitrum* vel partes eligunt, vel iudex dat *compromisso*, hoc est poenali pacto standi eius sententiae: alias pecuniam compromissam, vel depositam reluctans amittat, sibique adquirat obtemperans. Hinc propterea *iudicem compromissarium* appellant (2). Et Gratianus noster *arbitros* definit eos esse, *qui nullam potestatem habentes cum consensu litigantium in* iudices *eliguntur*, *in quos* compromittitur, *ut eorum sententiae stetur* (3). Ut autem tutior esset solutio pecuniae compromissae: vel pignus pro ea dari consuevit, vel pignoris loco vades, obsides, fideiussores (4). *Arbitratorem* nuncupant, si *poena non fuisset adiecta compromisso*, *sed* simpliciter *sententiae stari quis promiserit*, ex qua *adversus eum incerti actionem* oriri docet Ulpianus (5). Nam *boni viri* arbitratum nonnisi *aequum*, *et bonum* sequimur, iniquum, et pravum impune reiicimus. Aliud alii discrimen statuunt, *arbitros* nimirum, velut iudices, nonnisi iudiciorum ordine, rituque servato debere sententiam de iure proferre: *arbitratores* secus. Mos autem invexit stylum, ut in singulis compromissis quum voluntariis, tum lege, ac statuto, aut a iudice imperatis partes ipsae eligant, aut eligere compellantur *arbitros*, *arbitratores*, *et amicabiles compositores*. Hinc reipsa evanescit exposita a iureconsultis differentia. Ea distinctio inter compromissum poenale, ac simplex canonico etiam iure decretalium comprobatur (6).

(1) Paull. in *l. societatem* §. *arbitriorum D. pro socio.*

(2) Iustinianus in *l. cum scimus ult. C. ubi*, *et apud quem cognitio in integrum restit. agitanda sit*, ita edixit: *Apud* compromissarios iudices, *vel* arbitros *ex communi sententia electos*, *vel apud eos*, *qui dantur a iudicibus*, *qui propriam iurisdictionem non habent*, *sed tantummodo iudicandi facultatem*, *caussae dirimantur*. Consonant *l. si ab arbitrorum D. qui satisdare cogantur*. *l. cum antea 5.* §. *altera C. de receptis arbitris*, *et l. rem non novam 43. C. de iudiciis.*

(3) Gratianus in *can. a iudicibus 32. C. 2. qu. 6.*

(4) Honor. III. in *cap. exposita 11. de arbitris* rescripsit arbitrum, cui processum ad ulteriora ipse Pontifex inhibuerat, compellendum fore *ad restitutionem obsidum occasione illius compromissi datorum*, *ut ipsius arbitrium servaretur*. Alexander III. in *cap. ex rescripto 9. de iureiur.* memorat monachos a Tremensi Abbate obsides datos *pro conventione observanda* cum quodam Petro *super summa octo millium solidorum*. Id autem vetuit Iustinianus Nov. 60. *cap. 1.*, et Innoc. III. in *cap. 1. de pignoribus*, iubentes ut pignus ut obsidum loco detur.

(5) Ulp. in *l. diem proferre 27.* §. *7.*, *et ult. D. de recept. arbitr.*

(6) Innoc. III. Pisano Archiepiscopo in *cap. per tuas 9. de arbitris* rescripsit: *Si ex parte plebani arbitrium receptum fuerit*, *indistincte ratum haberi debet*, *ac executioni mandari. Si vero receptum non fuerit*, *refert*, *utrum*

III. A futura iudicis sententia non appellare qui paciscuntur, *indubitate provocandi auxilium perdunt* (1): at compromittentibus non adimunt absolute leges Pandectarum ius reclamandi ab iniquo arbitrio ad iudicem, sed sub conditione, *si* malint compromissam poenam amittere (2), sive minor, sive maior ea sit, quam res, de qua agitur (3). Paullus docuit, litem fore apud iudicem rite peragendam, quoties facere iacturam pecuniae compromissae, quam recepto arbitrio parere aliquis mallet (4). Qui vero exciperet arbitrium fuisse *dolo malo* prolatum, aut per sordes, aut evidenti vel gratia, vel inimicitia, aut contra honestatem (5), poenam non committebat: eaque *exceptio* visa Iureconsultis est *quaedam appellandi species* (6). Ex compromissa, quod partes una cum arbitris iureiurando firmassent, sententiam arbitrorum usque adeo validam censuit primum Iustinianus, ut nullo pacto cuique penitus indulgeret ab ea resilire (7). Post mutato Imperator consilio ad primaevum Pandectarum ius redieus edixit poena compromissi praestita licere partibus a sententia compromissariorum recedere, nisi eam, postea quam lata iam esset, ipsae acceptarent, aut expresse, aut silentio decem dierum: et ubi nullam compromisissent poenam in electione arbitrorum, neque iusiurandum interposuissent, liberam sine metu poenae tunc esse facultatem appellandi (8).

IV. Ius Canonicum quia iniquam cuiuslibet, sive iudicis, sive arbitri sententiam, quae sine peccato nequeat observari, ratam nullatenus habet, locum dat ampliorem recursui ad iudicem, ut perinde arbitrorum, atque arbitratorum prava iudicia ad aequitatis, et iustitiae normam redigantur, solutis a vinculo iuramenti, omnique metu poenae reclamantibus contra ea (9).

fuerit, vel non de observando ipsum poena *statuta. Et quidem si* poena *fuerit apposita, agi potest ad* poenam: *at si nulla statuta fuerit, sed* simpliciter quod staretur sententiae, fuerit compromissum, procurator ad interesse *poterit conveniri: quia iuramento suo seipsum personaliter, non Ecclesiam poterat obligare.*

(1) Ex Ulp. textu in *l. tractandum 1. §. 3. D. a quibus appellari non liceat*, et Iustinian. in *l. fin. §. 6., et ult. C. de appell. temp.*

(2) Ant. Imp. in *l. 1. C. de receptis arb.* ait: *Ex sententia arbitri ex compromisso aditi* appellari *non posse, saepe rescriptum est: quia nec iudicati actio inde praestari potest, et ob hoc invicem poena promittur, ut metu eius a placitis non recedatur.* Qui ergo poenam non metuit, hoc est mavult pecuniam compromissam amittere, quam litem in iudicio deserere; leges ei non prohibent adire iudicem, spreto arbitrio, quod speret in iudicio revocandum.

(3) Paullus initio *l. non distinguemus 32. D. eodem.*

(4) Paull. in *l. si quis rem 30. D. eodem.*

(5) Idem in *l. non distinguemus 32. §. 14.*, Ulpian. in *l. quid tamen 21. §. 7. D. eodem, et l. arbitrorum 3. C. eodem.*

(6) Paull. in *cit. l. non distinguemus §. 14.*

(7) Iustin. in *l. ne in arbitris 4. C. eodem.*

(8) Idem *Nov. 82. cap. 11.*, *Auth. decernit ius novum*, et *l. cum antea 5. C. eodem*

(9) Alex. III. in *cap. non sine multa 2. de arbitris* Eboracensi Archiepiscopo rescripsit: *Quoniam non decet te aliquatenus sustinere, ut quod perperam arbitrati sunt, debeat incorrectum relinqui: mandamus, quatenus si se cogno-*

V. Cum isto canonum iure congruunt municipales Pragmaticarum leges moribus obfirmatae (1), quae regnicolis largiuntur generatim sine ullo arbitrorum discrimine impunem a quolibet *laudo* (2), hoc est arbitrio reclamationem, seu appellationem ad iudicem competentem. Hic autem, auditis partibus, et re summatim cognita caussam duos intra menses finiturus laudum, vel probum exequitur, vel improbum suspendit, aut corrigit hisce decretorum formis usitatissimis. *Laudum executioni demandetur, praestita cautione de restituendo in casu retractationis, et respectu praetensorum infra quatuor dies audiantur partes.* Vel *exequatur laudum pro summa ducatorum tot.* Vel *suspenso laudo infra quatuor dies audiantur partes* (3). Itaque reclamans impedit executionem laudi, quoadusque iudex eam imperaverit. Postea si non ei conquiescat, et gravatum sese conquerens *iterum reclamet*, vel *contrario imperio* revocandam postulet decretam executionem, aut ab ea ad superius tribunal appellet: *executo laudo*, et praestita per victorem cautione de stando iuri, et restituendo, ubi succubuerit, acceptum; rursus audietur ab eodem, aut ab iudice appellationis (4).

VI. At vero post primam reclamationem adhuc poterit executionem differre, si laudi *nullitates* rite proponat Nempe si libello speciatim postulet illud nullum declarari ex eo, quod fuerit, ex. gr. lapso compromissi tempore, latum ab iis, quorum arbitrandi ius iam expiraverat (5): vel compromiserit nulliter pupillus, minor, furiosus absque consensu tutoris, aut curatoris (6), monachus sine Superioris auctoritate, beneficiarius in Ecclesiae suae detrimentum sine apostolico adsensu (7), procurator sine speciali mandato (8); quod per errorem ad arbitros itum sit in publicis criminum iudiciis, aut libertatis caussa, aut populari actione (9): vel post recusationem inimicus arbiter sententiam dixerit, aut alia de re in compromisso non contenta iudicarit, aut quidpiam extra

verint praefati clerici tam nequiter arbitratos fuisse, dictum presbyterum ab observantia iuramenti auctoritate nostra prorsus absolvas; vel si arbitrium ipsum noveris aequitate subnixum, ad observantiam ipsius utramque partem appellatione remota compellas. Hac decretali Innocentius vel correxit, vel exceptione limitavit decreta Concilii Milevitani in *can. a iudicibus, 33.*, et Carthaginensis III. in *can. sane 34. C. qu. 6.*, quae *a iudicibus*, seu arbitris *communi consensu* electis provocare vetuerant: Romani Correctores probe notant in Concilii Carthag. codicibus legi: *non licet provocare*: in Gratiano autem negationis notam desiderari.

(1) Pragm. *2. de arbitris.*

(2) *Laudum* apud corruptos latinos usurpatum pro sententia, et iudicio ad rem monet I. P. Cyrillus *lib. 3. Inst. tit. 5. de arbitris.*

(3) Huiusmodi formas decretorum, earumque usum, et effectus varios tradit Car. Ant. de Rosa in *praxi civ. decretor. par. 1. in prima instantia ord. iudic. cap. 4.*, et Leonard. Ricc. *par. 3. prax. civ. lib. 1. cap. 44.*

(4) Ex Pragm. *1. de arbitris.*

(5) Ex Papiniano in *l. arbiter 33. D. de recept. arb.*, et Alfeno in *l. arbiter 50. D. eodem.*

(6) Ulp. initio *l. Labeo ait 3.. et* Gaius in *l. si pupillus 35. D. eodem.*

(7) Ex *cap. cum tempore 5. de arbitris.*

(8) Ex *cap. per tuas 9. eod. tit.*

(9) Paull. in *l. non distinguemus 32. §. 6., et 7. D. de recept. arb.*

compromissum fecerit (1). , aut incertam dixerit sententiam (2) , aut non omnes controversias insimul compromissas finiverit , sed ex parte solum (3); quod morte unius arbitrorum, aut compromittentium, soluto iam compromisso prodiverit laudum (4) , aut latam semel sententiam arbiter correxerit (5): aut de re sua is dixerit (6); aut denique iniusta, et manifeste iniqua in laudo statuerit contra expressam alicuius legis, vel statuti dispositionem , vel contra publicum instrumentum, vel rem alias iudicatam (7). Hae quidem, aliaeque id genus nullitates vim habent iure ac stylo probatam impediendi amplius executionem, donec iudex decreverit *nullitates* ipsas *non obstare*, vel *obstare*, *ac proinde infra quatuor dies audiantur partes super omnibus hinc inde praetensis citra praeiudicium probatorum* (8). Clausula istaec imperans *partes infra quatuor dies audiri* , efficit ut , quovis laudo , prolatoque arbitrio non obstante , dubia, et illiquida partium iura ex integro discutiantur apud iudices competentes ordinario iudicio, non secus, quam si nullum praecesserit compromissum et arbitrium.

VII. Quod vero ad caussam possessionis rerum vel adipiscendae , vel recuperandae , vel retinendae, paratamque laudi executionem, usus arbitrorum hoc in regno , ut frequens, ita utillimus est. Propterea Pragmaticarum quoque lex nostra statuit , ut caussae omnes (exceptis tantum iis , ubi agitur de publicis instrumentis, liquidisque obligationibus, rebusve iudicatis, nec non feudalibus) inter consanguineos , vel affines usque ad quartum gradum Iure civili computandum in foro etiam competenti motae quandocumque ante litis contestationem , scilicet priusquam terminus ad probandum incumbentia impertiatur , compromittantur una partium postulante in duos arbitros iuris cum facultate procedendi de iure, et facto, sententiamque de iure tantum (nisi aliter partes convenerint) pronunciandi duos intra menses, ubi erunt concordes ; et in casu discordiae tertium ii arbitrum ultimo bimestris die auditis

(1) Idem *ibidem* §. *14.*, *15.*, *et 21.*, et *ult.*, et Paul. in *l. de his rebus 46. D. eodem.*

(2) Puta *quantum ei debes , redde ; divisioni vestrae stari placet: quidquid creditoribus solvisti, accipe*, Ulpian *l. quid tamen 21.* §. 3. *D. eodem.*

(3) Idem initio *cit. l. quid tamen 21.*

(4) Ulp. in *l. diem proferre 27.* §. *si heredis 1.*, et Iulian. in *l. sed et interpellatur 49.* §. *2. D. eod.*

(5) Gaius in *l. quia arbiter 20. D. eodem.*

(6) Marcian. in *l. si de re sua 51. D. eod.*

(7) Ulp. in *l. quid tamen 21.* §. *7. D. eodem, non debent* ait, *obtemperare litigatores , si arbiter aliquid non honestum iusserit.* Quod autem legibus , instrumentis , rebus iudicatis adversetur , procul dubio non honestum est. Id comprobant *l. 2., et seq. C. quando provocare non est necesse.*

(8) Ex traditis ab eodem de Rosa *loc. cit.* Si tamen in compromisso necessario partes beneficio nullitatum expresse renunciaverint , aut pactum adiecerint , ut *laudum non obstantibus nullitatibus exequatur*: executio tunc laudi sit, ante quam nullitates discutiantur , cum eadem cautione restituendi in casu retractationis. Id servari ex Pragm. 2. *in fine de arbitris* monet Leon. Ricc. *cit. par. 3. lib. 1. cap. 44. num. 9.*

partibus eligant (1). Hinc si quis collitigantium postulet ante iuridicum probationum terminum ex consanguinitate, vel affinitate compromissum, advessario reluctante : iudex primum decernit, quod pars *doceat expositam consanguinitatem*, vel *super ea capiatur summaria informatio*, quoties de ipsa non liqueat ; mox ea probata, quod *caussa compromittatur servata forma regiae Pragmaticae.* Dein duobus, vel tribus praeceptis imperat, ut *infra dies tot eligant arbitros*, *alias in contumaciam ab ipso iudice eligantur.* At ubi de consanguinitate non constiterit, decernit, quod *procedatur ad ulteriora*, *petito compromisso non obstante* (2).

VIII. Clericus autem in foro laico agens contra laicum sibi consanguineum non cogitur invitus litem compromittere in arbitros: quum immunis a laicali statuto Pragmaticae iudicetur, ex recepta Doctorum (3) sententia contra Capicium (4). At postulare compromissum clerico, atque ad illud laicum adigere fas est : quia ecclesiasticis generatim indulgetur usus favorabilis statutorum laicalium, ne favor immunitatis clericalis retorqueatur in odium (5).

IX. In foro autem ecclesiastico Episcopi, locorumque Ordinarii optionem habent imperandi compromissum, et collitigantes ad arbitros remittendi, praesertim, ubi censeant providum Pragmaticae statutum nulla quamvis ecclesiastica lege probatum sponte sua imitari (6). Nam B. Gregorius M. Romano defensori Siciliae rescripsit (7): *si quis contra quemlibet clericum caussam habuerit*, *Episcopum ipsius adeat*, *ut*, *aut ipse cognoscat*, *aut certe ab eo iudices deputentur*, *aut si forte ad* arbitros *eumdum est*, *partes ad eligendos iudices ab ipso executio deputata compellat.* Qua in re sanctus Pontifex videtur canonem Concilii Chalcedonensi obfirmasse, praecipientem caussas clericorum fore apud proprium Episcopum ventilandas, *vel consilio eiusdem apud alios*, *quos utraque pars voluerit* (8). Quoniam ab aevo Apostolorum ad plura inde saecula Episcopi more arbitrorum finire lites consueverunt, suaque iudicia ex aequo, et bono proferre ad formam arbitrii semotis fori solemnitatibus, strictique iudicii rigoribus (9) : Praetores autem, aliique magistratus civiles in diem arbitros dare (10) in iis actionibus, quas *bo-*

(1) Pragm. *odia 1. de arbitris.*

(2) Videsis Car. Ant. de Rosa *loc. cit.*, et Leonard. Ricc. *cit. par. 3. cap. 45., et 46.*

(3) Reg. Rovit. in *Pragm. 1. de arbitris num. 5.*, de Marinis *lib. 2. resol. 74. num. 9.*, Borellus in *ead. Pragm. §. 1. gl. 3. num. 225.*, Ios. de Rosa *consult. 58. num. 12.* (4) Capic. *dec. 66.*

(5) Huc refer dicta superius *lib. 1. tit. IV. num. IX.*, *et X.*, *et tit. V. num. XXIII.*

(6) Innoc. III. in *cap. Ecclesia S. Mariae 10. de constitutionibus* rescripsit Ecclesias, et personas ecclesiasticas quolibet laicorum generali statuto non obligari, *nisi ab ecclesia fuerit approbatum.*

(7) *Can. pervenit. 39. C. XI. qu. 1.*, *et can. volumus 2. C. 16. qu. 4.*

(8) Conc. Chalcedon. in *cap. si quis 1. de foro competenti.*

(9) Liquet ex iam expositis *tit. II. num. III.*, *et tit. III. num. VI.*

(10) Ulpianus initio *l. a divo Pio 15. D. de re iudicata* rescriptum a Pio fert *magistratus populi Romani*, *ut* non modo *iudicum*, sed *arbitrorum* quoque *a se*

nae fidei, et *arbitrarias* Ius Civile ideo appellat, quia *libera potestas permittitur iudici ex bono, et aequo aestimandi, quantum actori restitui debeat* (1): duplex hinc ratio patet, cur valeant Episcopi in causis fori ecclesiastici arbitros dare, aut partes ad eos eligendos adigere.

X. Exin *voluntarium* a *necessario* compromisso, arbitrique *voluntarii* ab arbitris *iuris* discernuntur. Hos enim iussu legis, vel statuti, aut iudicis competentis imperio coguntur litigantes, vel inviti eligere, aut a iudice datos adire. Ius commune facultatem provocandi aeque ab arbitris iuris, atque a iudicibus largitur (2): secus ab arbitris voluntariis (3). Id quod praecipuam inter utrosque differentiam constituebat; quae tamen iure municipali, et utriusque fori consuetudine videtur iam exolevisse ob indultam a cunctis arbitris provocationem impunem, reductionemque cuiuslibet laudi ad legitimum arbitrium aequi, et boni iudicis competentis.

XI. Itaque nullum hodie pactum, nulla in compromisso cautela umquam sufficiet ad excludendam a futuro laudo, sive arbitrio, sive arbitratu provocationem prorsus impunem, lege Pragmaticarum, et consuetudine concessam, aut impedire, quominus illud iudex competens revideat, et ubi opus erit, corrigat, nimirum ad arbitrium aequi, et boni viri reducat (4): quoties iniquitatis, aut laesionis querela proponitur. Nam quaelibet renunciatio quum appellationi, tum nullitatum beneficio, aut praevia promulgandi laudi acceptatio cum clausula *nunc*

datorum sententiam exequantur hi, *qui eos dederunt. Datus*, atque *addictus* iudicio familiae erciscundae *arbiter* in textu Modestini *l. fundus 30. D. familiae erciscundae.* Iustinianus in *l. cum specialis 18., et ult. C. de iudiciis* litigatores recusato iudice specialim dato a Principe, supremove magistratu, iubet *illico, idest intra triduum proximum sine ulla dilatione compelli* ab iudice loci ordinario *arbitrum, vel arbitros eligere*, et apud eos litigare: tum ab arbitris statuta executioni demandari, *nisi fuerit provocatum* ad eum ipsum, qui iudicem antea specialem dederat. Gregorius IX. etiam in *cap. suspicionis causa 39. de offic., et pot. iud. deleg.* rescribit, ut suspicionis caussam contra iudicem arbitri definiant, quas ab ipso iudice coguntur partes eligere. Synodo item Tridentina in *cap. insuper 5. sess. 14. de ref.* decretum est, ut in caussis, ubi Conservator iudex ab actore suspectus esse dicatur, aut de iurisdictione contendant Conservator, et Ordinarius loci; *nequaquam in caussa procedatur, donec per arbitros in forma iuris electos super suspicione, aut iurisdictionis competentia fuerit iudicatum.*

(1) Iustin. *Instit. lib. 4. tit. de actionibus §. 30., et 31.*

(2) Iustin. in *cit. l. ult. C. de iudictis*, Gaius in *l. arbitro 9. D. qui satisdare cogantur*, loquens de arbitro ad fideiussores probandos constituto auctoritate iudicis, *si iniquum arbitrium videatur*, ait, perinde *ab eo, atque ab iudicibus appellare licet.* Bonifacius VIII. in *cap. ab arbitris 11. de off., et pot. iud. deleg.* aptius constituit *ab arbitris, qui secundum formam Iuris eliguntur* in suscipionis caussa, vel ambigua litterarum apostolicarum revocatione, *ad Sedem Apostolicam appellandum.*

(3) Ex iam dictis *hoc tit. num. III.*

(4) Id commonent Gallupp. in *prax. par. 1. cap. 3.*, et Leonard. Ricc. *par. 3. lib. 1. cap. 44. num. 5.*, post Theodor. *alleg.* 66., Minadoum *dec. 19.*, Card. de Luca *de iudiciis disc. 11. num. 16.*

pro tunc, aut constitutio procuratoris adversarii ad acceptandum (1), aut alibi folii subscriptio, in quo debebit proferendum laudum, eiusve acceptatio exarari (2), et quodvis iuramentum in eiusmodi pactis adiectum iure merito praesumuntur hanc tacitam continere conditionem, *si* futurum laudum erit aequum, et bonum, non iniustum, nec iniquum (3).

XII. At vero si quis promulgatum laudum sciens, prudens reipsa iam acceptaverit, aut expresse, aut silentio decem dierum: ei tunc non licebit inde reclamare, et reclamanti obstabit exceptio pacti, ac transactionis, reive iudicatae (4). Hinc mos in foro viget, ut, ubi laudum sit partium acceptatione firmatum, vel ab illius notificatione lapsis decem diebus, nemine reclamante, in rem iudicatam transiverit; eo viso iudex loci competens decernat, quod *exequatur laudum iuxta sui seriem*, *continentiam*, *ac tenorem*.

XIII. Quum debeant similitudinem iudiciorum ex praesignatis legibus arbitria referre: consequens est, ut compromissarii iudices, et arbitri iuris, postquam onus acceptaverint, ad susceptam rei notionem summarie procedant sola facti veritate inspecta. Partes videlicet moneant in primis ad sua speciatim proponenda iura, libellos, et mutuas earum petitiones, exceptionesque accipiant, una cum instrumentis, et scripturis hinc, et hinc exhibendis, brevem iis terminum statuant ad probandum incumbentia, testes ab iudice competenti citandos audiant, istorumque depositiones in scriptis redigant: mox publicationem testium decernant, partibus ad singulos huiusmodi actus citatis, iisque tantem monitis pro expeditione caussae laudum rite conscriptum promulgent intra constitutum terminum, a die acceptati compromissi computandum (5). Quae igitur sunt iure naturali, ac gentium necessaria ad investigandam rei controversae veritatem, animumque iudicis instruendum, is ne temere iudicet, ea debent arbitri etiam observare (6): neglectis iuris humani apicibus, et superfluis ordinis iudiciarii solemnitatibus. Hunc idcirco effectum, usumque habet clausula in compromissis frequentissima, tribuens arbitris facultatem procedendi *de iure*, *et de facto* (7). Arbitratores autem amicabili compositione litem dirimunt *de facto*, hoc est

(1) Rovit. in *Pragm. 2. de arbitris num. 5.*, et Riccius *loc. cit. num. 26.*

(2) Altimar. *rubr. 1. de nullit. contr. sect. 1. qu. 9. num. 95.*, Marad. *to. 2. in Pragm. observ. 7. num. 45.*, Staiban. *resol. 269. num. 2.*

(3) Hac ratione Innoc. III. in *cap. Quintavallis 23. de iureiur.* rescripsit: *cum licitum fuerit iuramentum* parendi futuro mandato, *sed mandatum illicitum*, revocandum tunc fore mandatum, et qui iuravit, a*d mandati observationem non teneri.*.

(4) Iustin. in *l. cum antea 5. de receptis arbitris.*

(5) Ritum, et formam actorum huiusmodi videsis apud Leon. Riccium *loc. cit. cap. 45.*, *et 46.*, cum peritis observationibus Phil. Ferd. de Caro.

(6) Fagnan. in *cap. contingit num. 22.*, *et cap. ex parte num. 8. de arbitris*, Bald. in *l. 1. num. 3. de evict.*

(7) Eam edisserit Phil. Ferd. de Caro in *observat. ad cit. Riccii cap. 40. num. 5*, *et 6.*

nullo iuris ordine servato : quum limites iuris pro bono pacis detur eis transilire (1).

XIV. Ad personas quod attinet arbitrorum : iura canonica indulgent civiles, ac temporales Ecclesiarum, clericorumque caussas in laicos arbitros compromitti absque ullo dioecesani Episcopi consensu (2). At generatim prohibuit Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. , *ne super rebus spiritualibus compromittatur in laicum: quia non decet ut laicus in talibus arbitretur* (3). Clericum vero , et laicum simul posse in spirituali caussa cum consensu Ordinarii, aut iudicis delegati arbitros eligi, eorumque arbitrio sub compromissa poena parendum esse, idem Pontifex rescripsit Pisano Archiepiscopo (4). Ut vitetur autem paritas in discordibus arbitrorum sententiis, *arbiter, aut unus eligatur , aut tres : ut si tres elegerint , aut omnium sequantur sententiam , aut duorum* (5).

XV. Iudex tam communi , quam municipali Iure prohibetur arbitri munus ex compromisso vel voluntario, vel necessario recipere in caussis ad forum suum pertinentibus. *Si quis iudex sit* , Ulpianus docet (6) , *arbitrium recipere eius rei, de qua iudex est, vel in se compromitti*

(1) Fagnan. in *cit. cap. contingit 8. num. 25.*, *et cap. nisi essent, num. 6.*, *et 41. de praebendis*, Card. Fuscus *verb. arbiter, et arbitrator concl. 458.*,*et verb. compromissum concl. 511.*

(2) Hanc sententiam tuetur Fagnanus in *cit. cap. cantingit 8. num. 12. de arbitris.* Nam quum Abbas de Scarduna Ordinis Cisterciensis , et Hospitalarii litem de nemore quodam compromisissent arbitrio Reginae Francorum , haec autem re cognita sententiam protulisset : Innocentius III. Parisiensi Cancellario , et Canonico rescripsit Hospitalarios fore compellendos , ut illud arbitrium servarent sub poena compromissa, *cap. dilecti 4. de arbitris.* Itidem Episcopi Feltrensis, et Bellunensis, Aquileiae Patriarchae suffraganei, civesque Tarvisini post sententiam ab Hostiensi Episcopo prolatam de controversis iurisdictionis finibus, aliisque rebus temporalibus arbitrum elegissent Petrum Ziani Venetorum Ducem LXI., mox ab arbitrio ipsius partes resilirent: Honorius III. censuit revocandum in irritum , quae partes contra Ducis arbitrium omnino sententiam gessissent, *cap. exposita 11. de arbitris,* quam decretalem Innoc. Cironius notis illustrat in *compil. V. decretal. cap. 2. de arbitris.*

(3) Innoc. III. in *cap. contingit 8. de arbitris.*

(4) Idem in *cap. per tuas 9. eod. tit.*

(5) Ex Conc. Africano in *cap. 1. de arbitris.* Ulpianus *in impari numero idcirco,* ait, *compromissum admittitur, non quoniam consentire omnes facile est, sed quia, et si dissentiant, invenitur pars maior , cuius arbitrio stabitur. Sed tamen usitatum est etiam in duos compromitti , et debet Praetor cogere arbitros , si non consentiant , tertiam personam certam eligere , cuius auctoritati pareatur, l. item si unus 19. §. principaliter D. de receptis arbitris.* Cum Iureconsulto consonant decretalis Greg. IX. in *cap. suspicionis 39. de offic. et pot. iud. deleg.* , et lex municipalis Pragmaticarum in *cit. tit. de arbitris.*

(6) Ulp. in *l. sed si in servum 9. §. 2. D. de receptis arbitris.* Caussas autem ad alterius iurisdictionem delatas , vel deferendas magistratus quum superior , tum inferior poterit, ubi velit , ex voluntario partium compromisso definire, tanquam arbiter; invitus, nonnisi a superiore cogitur susceptum arbitrium proferre, ex Pauli textu in *l. nam magistratus 4.*, et Ulp. in *l. 3. §. fin. D. eodem.*

iubere prohibetur lege Iulia: et si sententiam dixerit, non est danda poenae persecutio. Regia tum Pragmatica statuit, ut *nullus officialis regius supremi Regii Collateralis Consilii, S. Consilii residentis in castro Capuano, et M. C. Vicariae, etiamsi sit caput tribunalis, possit esse arbiter, seu arbitrator, aut amicabilis compositor alicuius caussae cuiuscumque qualitatis, seu quantitatis existat, si caussa esset feudalis. Et si forte de licentia serenissimae Maiestatis Regis nostri, seu eius Viceregis, vel Locumtenentis in aliquo casu assumeretur arbiter, seu arbitrator, et amicabilis compositor: eo in casu non possit aliquid directe, vel indirecte accipere etiam a sponte dantibus in pecunia, auro, vel argento, seu aliqua alia specie bonorum pro trigesima, seu aliqua alia solutione, seu sub quovis alio quaesito colore* (1).

XVI. At canonico Decretalium iure iudices ecclesiastici qua ordinarii, qua delegati compromissum in sese, arbitriumque probe suscipiunt sine ullo detrimento iurisdictionis, quam in ea ipsa caussa habent sive iure, sive ab homine mandatam. Innocentius enim III. rescripsit arbitrium ab Archiepiscopo Magdeburgensi prolatum inter Abbatem, et Episcopum fore servandum: *quia legitime constitit, quod fine hinc inde data compromissum* esset in ipsum Archiepiscopum (2). Cum super eligendi iure vertentem coram iudicibus delegatis quaestionem *utraque pars in eos compromittens, ipsorum arbitrium se promiserit servaturam*: idemmet Pontifex re cognita iussit, ut *secundum formam arbitrii* ab ipsis prolati electio fieret (3). Praeterea quum delegatis etiam iudicibus electi duo de Prioratu contendentes arbitrandi facultatem compromisso dedissent, delegata iisdem potestate nihilhominus reservata: iique inde alterum in Prioratu instituere, annuam alteri pensionem 60. librarum adiudicare censuissent: Papa consultus huiusmodi sententiam comprobando, declaravit institutionem unius Prioris *ex iurisdictione delegata* fuisse iuste decretam, pensionem vero *ex arbitraria potestate* pro bono pacis, et utilitatis (4).

XVII. Quum iudex una cum recepto arbitrio suam retineat in ea ipsa lite sibi compromissa *iurisdictionem imperio commixtam*, et suffultam: idcirco auctoritas eius validior est, quam *nuda notio* privati arbitri (5). Nam statim ac privatus arbitrium promulgaverit, suae no-

(1) Pragm. 7. *de officio Iudicum, et aliorum Officialium* §. 3. Hanc innovavit Philippus IV. an. 1625. in Pragm. 6. *de trigesimis* §. 1., haec addens: *os encargo y mando proveays y days la orden que convenga, para que ningun Ministro mio pueda ser arbitro, y que non puedan dispensar en esto mis Virreyes, sino que en los casos, que fuere necessario; y si en algun caso yo dispensare en esto, mi voluntad es, que de ninguna manera se pueda levar trigesima.*

(2) Inn. III. in *cap. cum tempore 5. de arbitris.*

(3) Idem in *cap. cum olim 7. eod. tit.*

(4) Idem in *cap. nisi essent 21. de praeb., et dignit.*

(5) Ulpianus in *l. ait Praetor 5. D. de re iudic.* hanc in edicto Praetoris enunciationem relegens: *cuius de ea re iurisdictio est*, continuo subdit: *me-*

tionis auctoritas omnino expirat. *Quia arbiter*, ex textu Gaii (1), *etsi erraverit in sententia dicenda, corrigere eam non potest.* Eamque non ipse unquam, sed magistratus competens exequitur, atque ad parendum ei partes compellit (2). At iudex arbitri munere functus potestatem habet sui quum exequendi, tum corrigendi arbitrii, cohaerentem cum sua iurisdictione, mixtoque imperio: non secus, quam exequitur rem a se ipso iudicatam solemni iudiciorum ritu (3), vel contrario imperio (4), aut in gradu nullitatum (5), aut restitutionis in integrum (6) sua ipsius rescindit, ac revocat decreta. Iteratam igitur eiusdem rei notionem perinde suscipiet, alterutra partium postulante, ac si ab alio pronunciatum arbitrium esset, decreturus, quod iuris erit secundum ea, quae superius exposita sunt (7).

XVIII. Quod vero ad honorariam trigesimae mercedem, conditio privati arbitri longe melior, quam iudicis arbitri est. Cunctis generatim iudicibus, et litium executoribus, qui publicum non habeant salarium, leges, et mores indulgent sportulas exiguas, et consuetas (8). *Plerique nolunt*, docet S. Augustinus (9), *reddere operario mercedem. Sed non ideo debet iudex vendere iustum iudicium. . . . quia vendit advocatus iustum patrocinium, iurisperitus verum consilium.*

lius scripsisset, cuius de ea re notio est. Etenim notionis *nomen etiam ad eos pertinet, qui iurisdictionem non habent, sed habent de quavis aliâ caussa cognitionem.*

(1) Gaius in *l. quia arbiter 20. D. de recept. arbitr.* Consonat Paulus in *l. qualem 19. §. 2. D. eodem*, et Honor. III. in *cap. exposita 11. de arbitris.*

(2) Ulp. initio *l. a divo Pio 15. D. de re iudicata*, quam superius recitavi *num. VIII.* (3) Ex *cit. l. a divo Pio.*

(4) *Quod iussit enim, vetuitque Praetor*, contrario imperio *tollere, et repetere licet*, ex Celsi responso in *l. quod iussit 14. D. de re iudicata.* Cui consonat Innocentius III. in *cap. cum cessante 60. de appellat.*

(5) Ex *l. 1. D. quae sententiae sine appellatione rescindantur, et cap. inter ceteras 9. de sent., et re iudic.*

(6) Ex *l. 1., et seq. D. quibus ex caussis maiores in integrum restituantur, et C. si adversus rem iudicatam restitutio postuletur.*

(7) Hoc eodem *tit. XI. num. V.*

(8) Ex *tit. C. de sportulis, et sumptibus in diversis iudiciis faciendis, et de executoribus litium.* Praeterea Iustinianus *Nov. 112. cap. 2.*, unde sumpta est Auth. *generaliter 25. C. de Episc., et cleric.* calumniosum litigatorem ad sportulas, expensasque litis reficiendas damnans, *expensarum*, ait, *sumptuumque nomine* decimam *partem quantitatis in libello comprehensae pulsato restituat.* Et *Nov. 123. cap. 28.*, seu in *Auth. sed hodie C. eod. tit.* sanxit, ne *amplius quatuor siliquis* dare in qualibet caussa criminali, vel pecuniaria permittantur ecclesiastici: et extra provinciam *non ultra unum solidum accipiet executor.* At venales sententias a corruptis iudicibus prolatas Ius etiam civile improbat, et infirmat, *l. venalis 7. C. quando provocare non est necesse, et l. 1. C. de poena iudicis, qui male iudicavit.*

(9) S. August. in *can. non sane 15. C. 14 qu. 5.* Consonant S. Isidorus in *can. qui recte iudicat. 66. C. XI. qu. 3.*, quem canonem B. Gregorio male inscribit Gratianus, et Synodus Tarraconensis in *can. observandum. un. C. 15. qu. 2.* Alios ad id canones laudat Gonzalez in *comm. ad cap. 10. de vit., et hon. cler. num. 6.*

Innocentius III. autem vetuit Delegatis apostolicis, *more saecularium super decima litis, vel parte alia pro diversa terrarum consuetudine praeter expensas* victualium *cum litigantibus, receptis pignoribus, pro salario* convenire: dum iis *ecclesiastici sunt redditus deputati*, unde honeste vivere ipsi debeant: iussitque, ut *vigorem iudiciarium gratis* studeant *litigantibus impertiri: quum nec iustum iudicium iudici vendere liceat, et venales sententiae ab ipsis etiam saecularibus legibus reprobentur* (1). Idipsum Bonifacius VIII. constituit, munera delegatis vetans accipere, praeterquam aliquid modicum esculentum, vel poculentum mera liberalitate oblatum, et moderatas extra suum domicilium expensas (2). Utroque igitur Iure fas est iudicibus, eorumque actuariis, et subministris, qui congruum aliunde stipendium non habeant, eam, quae operariis naturali iure debetur, mercedem ad collitigantibus iustam accipere, et moderatas, quoties ad alium a loco iudicii dissitum locum proficiscuntur, expensas accessus, ut aiunt: at non amplius, quam pro singulis fori ecclesiastici actis de negotiis spiritualibus, et ecclesiasticis praescripsit quum generalis taxa Innocentiana, tum specialis dioecesana plerumque definiens emolumenta in caussis profanis, dummodo haec illius limites non excedat (3). Curiae autem saeculares tam regiae, quam baronales taxam a Principe, vel statutis locorum imperatam habent. Nullam eiusmodi taxae quotam litis, nec decimam, nec trigesimam iudicibus largiuntur: sed fixas tantum quan-

(1) Innoc. III. ad Praelatos, et clericos Lombardiae in *cap. cum ab omni 10. de vita., et honest. cleric.* Tum Innoc. IV. in Conc. Lugdunensi *caveant*, ait, *ecclesiastici iudices . . . ut in caussarum processibus . . . proemium, aut expectatio proemii iustitiam non evertat.*

(2) Bonif. VIII. in *cap. statutum* 11. §. *insuper, et seq. de rescriptis in VI. Ut gratis*, ait, *et cum omni paritate iudicium coram ipso procedat, nullum munus, vel quidquid aliud (nisi forsan esculentum, vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus: vel nisi cum ipsum propter caussam sibi commissam contigerit extra suum domicilium proficisci, moderatas expensas) recipere ab eisdem partibus qualitercumque praesumat. Provisurus attente, quod in ipsis expensis modum nequaquam excedat: nec plus ab una parte, quam ab alia exigat, cum commune gerat negotium utriusque, quodque (ubi caussae sibi commissae utilitas, vel necessitas non exegerit) occasionem propter habendas expensas proficiscendi extra domicilium non assumat: sed et ubi notabiliter pauperes litigant, etiam pro expensis nil prorsus exigat ab eisdem.* Assessori, ubi eo non indigeat, *de suo providere teneatur. Si autem indigeat, ipsum neutri parti suspectum assumens, ei de competenti salario, provide moderando ab eo, faciat a partibus communiter provideri. Notarios in caussa scribentes, qui plurimum in exigendo salario metas rationis excedunt, prudenter refroenet: nec cum ipsis, aut cum Adsessore lucrum participet ullo modo. Si quid autem contra constitutionem praesentem receperit, ad ipsius restitutionem integram teneatur.*

(3) Neapolitana Synodus Provincialis an. 1699. ab Archiepiscopo Cardinali Cantelmo celebrata *tit. 12. cap. 2. num. 1.* decrevit, *ut non solum taxa Innocentiana, quoad mercedes ministrorum adamussim observetur: verum etiam taxa provincialis de unanimi Patrum consensu confecta pro universa Provincia perpetuo valitura tam pro caussis civilibus, et criminalibus, quam pro aliis quibuscumque.* Hanc videsis impressam ad eiusdem Synodi calcem.

titates emolumentorum pro singulis actis, ac decretis quum interlocutoriis, tum diffinitivis absque ullo respectu ad quantitatem litis (1).

XIX. Arbitri autem pro iure sportularum, ac sententiae nonam litis quotam antiquo iure municipali habebant (2): novo nunc trigesimam ex aequo inter collegas omnes dividendam (3), quoties voluntario partium compromisso eligantur (4). Arbitris autem iuris cogente lege, aut iudice receptis quinta pars trigesimae debetur (5): nulla Regiis Ministris, quibus ubi Rex, aut Regalis Camera S. Clarae, sicuti olim Collaterale Consilium, ex compromisso arbitrium recipere indulgeat, hanc adiicit conditionem, *dummodo non recipiat trigesimam* (6).

XX. Non omnia caussarum genera possunt in arbitros compromitti, sed ea tantum, in quibus transactionem iura indulgent: quum speciem transactionis referat compromissum (7). Nullum propterea locum dant compromisso caussae criminales (8), tum de matrimonii foedere sacro (9), de statu libertatis, restitutione in integrum (10), ceterae maiorem postulantes iudicem.

TIT. XII.

De exemptionibus Regularium eorumque foro.

I. Dioecesano Episcopo suberant prioribus saeculis quum Ecclesiae omnes, et coenobia, tum clerici, et monachi, eorumque bona.

II. Publica sacra in coenobiis tunc vetita, et vix monachis inibi Sacramenta mininistrari licuit: quarto deinde saeculo monachi sensim ad Cleri saecularis munia, et gradus adsciti.

(1) Unum excipe hoc in regno tribunal Regii Consilii S. Clarae, cui lex municipalis, et consuetudo adhuc vigens indulget *pro iure sententiae*, ut aiunt nostri, quotam litis, h. e. rationem 1. 1/2, vel 3. in 100.

(2) Ex *Pragm. 7. de officio iudicum.*

(3) *Pragm. 6. de trigesimis.*

(4) Leon. Ric. in *prax. civ. par. 3. lib. 1. cap. 42. num. 1.*

(5) *Pragm. 1. de arbitris* loquens de arbitris inter consanguineos imperatis ita statuit: *Habentque arbitri, et tertius, quando contigerit cum eis eligi, pro eorum salario quintam partem trigesimae, quae iudicibus olim solvebatur, dividendam inter eos, qui concordes in sententiando fuerint.*

(6) Ex *cit. Pragm. 7. §. 3. de offic. iudic.*, et *Pragm. 6. §. 1. de trigesimis*, et L. Riccio *loc. cit. num. 4.*

(7) *Cap. ex parte tua 11., et ult. de transactionibus.*

(8) Paullus in *l. non distinguemus 32. §. Iulianus 6. D. de recept. arbitr.* cum Iuliano docet: *si per errorem de famoso delicto ad arbitrum itum est, vel de ea re, de qua publicum iudicium sit constitutum, veluti de adulteriis, sicariis, et similibus: vetare debet Praetor sententiam dicere, nec dare dictae executionem.* In caussa tamen haeresis utramque partem compromisisse, sibique arbitros sub certa poena statuisse apostolicos delegatos fert Innoc. III. in *cap. litteras 14. de praesumptionibus*, nil de valore compromissi rescribens.

(9) Ex *cit. cap. ex parte tua de transact.*

(10) Greg. IX. in *cap. 9., et pen. de in integr. restit.*

III. *Mox ad ecclesiasticos Ordines promoti monachi, ut vitam regularem servarent, eosque Episcopi adigerentur Abbatibus postulantibus ad Ordines promovere, et his invitis, non promoverent, sacris canonibus cautum est.*

IV. *Palestinae, et Alexandriae monachos exemptionem ab Episcopis dioecesanis habere iactantes coercuit oecumenica synodus Chalcedonensis.*

V. *Verum alicui monasterio sueverunt vel principes fundatores, vel Episcopi cum consensu Clerici praesertim synodico relaxare nonnulla Praesulum dioecesanorum canonica iura ex privilegio speciali.*

VI. *Suam at iurisdictionem in monasteria, et monachos, et abbates tueri generatim studuerunt synodi Agathensis, et Aurelianensis.*

VII. *Hispaniarum Synodi quoque, et Carthaginenses sexto saeculo res monasteriorum a lege dioecesana tantum liberas declararunt, non item a lege iurisdictionis.*

VIII. *Ad legem dioecesanam spectat immunitas realis a cathedratico, et ceteris Episcoporum iuribus: ad legem vero iurisdictionis potestas iudicandi caussas civiles, et criminales, et sacra ministrandi.*

IX. *Iustinianus Imperator iurisdictionem episcopalem in monasteria firmavit.*

X. *Pelagius I. arbitrium fundatoribus indulsit relaxandi legem dioecesanam, et monachis eligendi Abbatem.*

XI. *S. Benedictus in Occidente primus regulae monasticae auctor suos, et monachos, et Abbates Episcopis locorum ordinariis subiectos voluit.*

XII. *S. Gregorius M. favit reali monasteriorum immunitati a lege dioecesana, et claustralem disciplinam Abbatibus dimisis, vetans Episcopis eam turbare.*

XIII. *At integram servavit Episcopi potestatem Ordinis, et iurisdictionis.*

XIV. *Id multis epistolis ipsius B. Gregorii ostenditur.*

XV. *Subsecuta usque ad saeculum XI. decreta Patrum, et Pontificum fere consonant.*

XVI. *Liquet ex synodis, rebusque gestis saeculo VIII.*

XVII. *Tum saeculo IX.*

XVIII. *Simul et X.*

XIX. *Verum nonnulla Sedis Apostolicae privilegia, et Regum protectio immediata, et voluntas fundatorum, et episcopales concessiones alicui Monasterio, et Ordini Regularium speciatim indulserunt exemptionem a lege quoque iurisdictionis saeculo VII., et VIII.*

XX., XXI., et XXII. Mox IX., et X., et XI.
XXIII., et XXIV. Tum XII., et XIII.
XXV. Specialia eiusmodi privilegia commonstrant generalem tunc Regularium subiectionem legi iurisdictionis episcopalis.
XXVI. Interea monarchi studuerunt monasteria sua subiicere immediatae Sedis Apostolicae protectioni, et utramque legem prorsus excutere, annuum Romanae Ecclesiae censum solvendo, tum subsidia cameralia.
XXVII. Tres inde classes Monasteriorum emerserunt, alia nimirum Episcopis, alia Romanis Pontificibus, alia Regibus immediate subiecta.
XXVIII. Regiae insuper visitationes monasteriorum, Abbatiarumque investiturae sub Carolo M. irrepserunt.
XXIX. Exemptionem ab utraque lege dioecesana, et iurisdictionis largiri aliquot monasteriis, nonnisi consentientibus locorum Ordinariis, Romana Sedes fere consuevit.
XXX. Ut prisco iure stauropegii, seu specialis protectionis signo ceteri Patriarcharum, ita Romani etiam Pontifices in monasteriis, Ecclesiisque occidentalibus usi potissimum sunt.
XXXI. Iisque exemptiones Regularium privilegiis variis quaesitas tueri placuit.
XXXII. Has nimium amplificatas apocryphis quoque privilegiis detestabantur monachi Cistercienses, duce S. Bernardo, Cluniacenses probabant.
XXXIII. Alexander III. auditis Episcoporum querelis in Concilio Lateranensi III. censuit privilegia Regularium non violare, sed eorum abusus tantum corrigere.
XXXIV. Idipsum in Concilio Lateranensi IV. placuit Innocentio III.
XXXV. Tum Innocentio IV. in Concilio Lugdunensi, Hic tamen exemptos quoslibet iudicio Episcoporum subiecit triplici ratione, delicti, contractus, et rei sitae, praeterquam religiosos aliquot privilegio speciali in hisce caussis etiam exemptos.
XXXVI. Clemens V. in Concilio Viennensi sua cuique iura quum Praelatis, tum exemptis integra servavit.
XXXVII. Plenariam ab utraque lege exemptionem generalem Religiones mendicantium in primis obtinuere, mox universae non mendicantium Congregationes.
XXXVIII. Abbatum, et Priorum Capitula generalia a Cisterciensibus instituta, mox ab Innocentio III., tum Patribus Tridentinis probata, et imperata, et annuae visitationes ad Regularium disciplinam curatius observandam exemptioni amplissimae Regularium nimis profuerunt.
XXXIX. Omnia in Congregationem redacta monasteria nunc a

dioecesana Episcoporum lege, ac iurisdictione generalem exemptionem, omnesque regulares forum in claustro suum habent.

XL. At vero in sex caussarum speciebus monachi, et regulares omnes Episcoporum iurisdictioni vel delegatae, vel ordinariae subiecti adhuc manent.

XLI. In iis primum, quae curam animarum, Sacramentorumque administrationem spectant, iurisdictioni, visitationi, et correctioni Episcopi subsunt.

XLII. Exceptis monasterio Cluniacensi, et aliis, quae sunt Ordinum capita.

XLIII. Instar saecularium clericorum Regulares in ministerio Sacramentorum dioecesano subiiciuntur Episcopo, tum in audiendis saecularium confessionibus, iisque exorcizandis.

XLIV. Insuper in celebratione Missarum, expositione SS. Sacramenti, ministerio Poenitentiae, Ordinis, et Chrismatis, consecratione Ecclesiae, ceteris episcopalis Ordinis functionibus.

XLV. Tum in ministerio verbi evangelici, et praedicatione, in lectione S. Scripturae, librorumque editione.

XLVI. In publicandis, observandisque censuris, et interdictis, festisque diebus ab Episcopo imperatis, in publicis processionibus, in imaginibus, et reliquiis exponendis, sacrisque ritibus, et divinis officiis obeundis.

XLVII. In iis, quae pertinent ad clausuram sanctimonialium.

XLVIII. In iudicio reclamantium contra regularem professionem desertorum, et extra claustra delinquentium.

XLIX. In civilibus caussis mercedum, et miserabilium personarum.

L. In parvis praeterea conventibus, et monasteriis degentes.

LI. In hisce casibus exceptis, vel delegatam, vel ordinariam Episcoporum iurisdictionem plane subeunt Regulares ex reformatione Tridentina.

I. Quum solos ab initio Episcopos cuique populo, et Clero Praepositos habuisset primitiva Ecclesia ex moribus apostolicis: consequens erat, ut ab episcopali potestate, ac iurisdictione prisci canones eximi neminem unquam paterentur, eos, uti schismaticos profligando, qui sese ab sui Episcopi obedientia subtraherent. A. B. Cypriano traditum accepimus, *ut Ecclesia super Episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiae per eosdem Praepositos gubernetur* (1). *Episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in Episcopo: et si qui cum Episcopo non*

(1) S. Cyprian. *ep. 27.*, alias 33, *ad lapsos.*

sint, in Ecclesia non esse (1). *Haec sunt initia haereticorum, et ortus, atque conatus schismaticorum male cogitantium, ut sibi placeant, et Praepositum superbo tumore contemnant. Sic de Ecclesia receditur, sic altare profanum foris collocatur, sic contra pacem Christi, et ordinationem, atque unitatem Dei rebellatur* (2). Id etiam comprobant canones vulgo Apostolorum (3), et Synodus Gangrensis, quae anathemate damnavit Eustathianos seorsum ab Episcopis coetus extra Ecclesiam agentes (4). Ad plura inde saecula omnes non modo Ecclesiae, Clerique saecularis personae, sed religiosae itidem domus, earumque bona, cunctique coenobitae sub ordinaria potestate, ac disciplina cuiusque dioecesani Episcopi fuere.

II. Antiqui mores tametsi non dabant sacra ministeria publice peragi, nec Sacramenta aliis, praeterquam solis in monasterio monachis ministrari (5): tamen vix pacata Ecclesia multos Clero monachos aggregavit ad Diaconi, Sacerdotis, Episcopi etiam gradus, ac munia frequenter adscitos quum populorum postulationibus, tum Episcoporum ordinatione, atque arbitrio (6). Id quod maxime probavit IV. saeculo declinante Siricius Papa. Eos *clericorum officiis aggregari, et optamus*

(1) Idem *ep. 69.* Congruit testimonium S. Augustini *ep. 86. ad Casulanum* presbyterum, ita scribentis: *Si consilio meo libenter adquiescis, Episcopo tuo in hac re noli resistere, et quod facit ipse, sine ullo scrupulo, vel disceptatione sectare.*

(2) Idem S. Cypr. ad Rogatianum *ep. 55*, alias 3. Mox ad Cornelium *ep.* 59. idipsum repetit, inquiens. *Neque aliunde haereses obortae sunt, aut nata sunt schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, et ad tempus iudex vice Christi cogitatur.*

(3) *Can. Apost. 32. Si quis presbyter, contempto suo Episcopo, seorsum congregationem faciat, et aliud altare figat . . . deponatur, tamquam dominandi cupidus: est enim tyrannus. Deponatur etiam reliqui clerici, quicumque ei se adiunxerint: laici vero segregentur.*

(4) Synod. Gangrensis anno circiter 324. *can. 6. Si quis extra Ecclesiam seorsum conventus celebrat, et despiciens Ecclesiam, ea, quae sunt Ecclesiae, voluerit usurpare, non conveniente presbytero iuxta decretum Episcopi, anathema sit.*

(5) Ex codice arabico Nicaenorum canonum in *can. placuit 1. C. 16, qu. 1.* fertur constitutum a Patribus Nicaenis, *ut monachus poenitentiam nemini tribuat, nisi sibi invicem; mortuum non sepeliat, nisi monachum in monasterio secum commorantem, vel si fortuito quemquam advenientium fratrum ibi mori contigerit.*

(6) S. Athanasius *ep.* ad Draconium plures Clero Alexandrino presbyteros dedisse, multosque ad Episcopatum e coenobiis eductos narrat. S. Hieronymos ad Rusticum monachum scribens in *can. sic vive 26. C. 16. qu. 1.*, ait. *Si populus, vel Episcopus te in clericum elegerit: age ea, quae clerici sunt.* Hipponense monasterium a S. Augustino fundatum plurimos, et clericos Hipponensi Ecclesiae, et Episcopos aliis insuper Ecclesiis dedisse, fert Possidius in vita S. August. *cap. 11*, S. Augustinus ad Aurelium in *can. legi epistolam 36. eod. C. et qu.* respondit desertores monasterii non esse ad militiam clericalem eligendos: *quum ex eis, qui in monasterio permaneat*, inquit, *nonnisi probatiores, atque meliores in clericatum assumere soleamus.* Contestis hac ipsa in re Cassianus.

et volumus, ipse ad Himerium scripsit (1)... *per gradus singulos ad diaconatus, vel presbyterii insignia maturae aetatis consecratione perveniant, nec statim saltu ad Episcopatus culmen ascendant.* At in Clero saeculari munia ecclesiastica obeuntibus monachis religiosam plerumque vitam, suumque coenobium erat opus derelinquere.

III. S. Eusebius Vercellensis vitae monasticae nedum episcopalem ordinem, sed et officia Episcopi simul coniunxit (2). Tum S. Martinus Turonensis *ita implevit Episcopi dignitatem, ut non propositum monachi, virtutemque desereret* (3); qui de Gallia repetens Italiam primus omnium *Mediolani sibi monasterium statuit* (4). Mox Innocentius I. quinto saeculo ineunte iussit monachos ad clericatus ordinem promotos *non debere eos a priore proposito* vitae regularis *discedere* (5). Idemque Pontifex constituisse fertur, ut monachis ipsis ad clericatum assumptis *beneficia pliniter, et annonae, et decimae donentur absque ulla minoratione et dilatione: ut . . . ad opera ecclesiastica, et ipsam restaurandam Ecclesiam adiutorium faciant* (6). Ecclesiasticis inde ordinibus, officiis, et dignitatibus monachi suum quum animum plus ae-

(1) Siricius post an. 385. in *can. monachos 29. C. 16. qu. 1.*

(2) S. Ambros. *ep. 82. In Ecclesia Vercellensi*, ait, *duo peritur exigi videntur ab Episcopo; monasterii continentia, et disciplina Ecclesiae. Haec enim primus in Occidentis partibus diversa inter se Eusebius sa. me. coniunxit, ut et in civitate positus instituta monachorum teneret, et Ecclesiam regeret ieiunii sobrietate.*

(3) Scribit in eius vita Severus Sulpitius, haec alia de ipsius discipulis addens: *Plures ex his postea Episcopos vidimus. Quae enim esset civitas, vel Ecclesia, quae non se de Martini monasterio cuperet abere sacerdotes?*

(4) Idem Sulpitius *loc. cit. cap. 4. Italiam repetens, quum intra Gallias quoque discessu S. Hilarii, quem ad exilium* haereticorum vis coegerat anno 356. turbatam *Ecclesiam comperisset, Mediolani sibi monasterium statuit.* B. Ambrosius *ep. ad Vercellenses* Ioviniani sectarios detestatus collaudat S. Martini monachos, inquiens: *Fuerunt nobiscum, sed non fuerunt ex nobis, neque enim pudet dicere, quod dicit Evangelium Ioannis. Sed heic positi ieiunabant, intra monasterium continebantur.* De his etiam insigne testimonium fert S. Augustinus *lib. 4. Confession. cap. 7. Erat monasterium*, ait, *Mediolani plenum bonis fratribus extra urbis moenia sub Ambrosio nutritore.* Idem S. Augustinus *lib. de morib. Eccl. cathol.* ait: *Vidi ego diversorium Sanctorum Mediolani non paucorum hominum, quibus unus presbyter praeerat, vir optimus, et doctissimus. Romae etiam plura cognovi.* Consonat Gregorius Turonens. in *hist. Franc. lib. 1. circa finem, et lib. 10. cap. 31.* Procul a vero abesse hinc patet P. Christianum Lupum in *not. ad Tertull. lib. de praescript.* haec scribentem: *Usque ad Augustini Episcopatum Africana Ecclesia, et virorum, et virginum coenobia penitus ignoravit. Nam et ipse Augustinus, dum in Italia doceret Rhetoricam, ignoravit vocem* Monasterium. Cuiusmodi in errorem prolapsus etiam est P. Papebrochius *respons. ad exhibit. error. art. 15. n. 105.*

(5) Innoc. I. post an. 402. ad Victricium Rothomag. in *can. de monachis 3. ead. C. 16. qu. 1.*

(6) Idem in *can. si monachus 22. ead. C. et qu.* Idipsum tradit pseudo-Ambrosius in praecedenti *can. doctos, ac probos monachos* 21. B. Hieronymus decimas licite conferri monachis per clericos innuit in *cap. quoniam 68. ead. C. et qu.*

quo intenderent (1) ad captandam clericorum stipendia, et praebendas: factum pedetentim est, ut monachos ad populi, aut sui Abbatis postulationem inviti etiam adigerentur Episcopi, et clericos, et presbyteros ordinare, expetita ministeria obituros (2); eosque ipsi, nonnisi cum consensu, et voluntate Abbatis possent ad gradum clericalem, Ecclesiaeque famulatum adsumere (3). Haec prima discordiarum semina quum inter monachos, et clericos, tum inter Abbates, et Episcopos.

IV. Itaque res novas iam cupientes in diem coenobitas impii Barsumae asseclas, qui se audacter a dioecesanis Palestinae Episcopis exemptos, et liberos iactabant, cohibere primum censuit oecumenica Synodus Chalcedonensis anno 451., constituens *eos, qui per civitates singulas, seu possessiones in monasteriis sunt. . . Episcopo esse subiectos . . . . ipsumque civitatis Episcopum curam, solicitudinemque necessariam monasteriis exhibere* (4). *Neminem* praeterea posse *aut aedificare, aut construere monasteria, aut oratorii domum sine conscientia ipsius civitatis Episcopi. Eos vero, qui ausi fuerint* aliter agere, aut *si noluerint subiacere proprio Episcopo, siquidem fuerint clerici*, canonicae damnationi subiaceant: *si vero laici, vel monachi fuerint, communione priventur.* Item *clerici, qui dispositioni monasteriorum praesunt, sub potestate Episcoporum singularum civitatum secundum canonum traditionem perdurent, neque per suam temeritatem Episcopi sui moderationem declinent* (5). At monachos Alexandrinos, et Palestinae fuisse Concilii Chalcedonensis hostes primarios patet ex historia (6): quum nimio illi studio adhaesissent Dioscoro Alexandrino, hi Eutycheti Constantinopolitano Archimandritae, seu Abbati.

V. Eodem interea saeculo quinto prospere successit alicui monasterio ex voluntate fundatorum praecipue Principum, ex arbitraria, et aequa Episcoporum dispensatione cum consensu Cleri, Synodorumque localium auctoritate, ut canonica dioecesani Praesulis iura speciali privilegio relaxarentur (7). In primis enim Leontius Abbas, mox Foroiuliensis Episcopus quum monasterio Lirinensis Insulae quidpiam ex episcopalibus iuribus remittere, quam exigere maluisset: successor ipsius Theodorus episcopatum adeptus anno 449. ea sibi redintegrare cum aggrederetur,

(1) Hinc S. Augustinus ad Eudoxium scribens monachos hortatus est, ne *avida elatione* ambirent officia ecclesiastica, nec religiosum *otium necessitatibus Ecclesiae praeponerent, can. vos autem 30. C. 16. qu. 1.*

(2) Ex Gelasio in *can. si quis monachus, 28. ead. C et qu.*

(3) Synodus Agathensis anno 504. in *can. monachi vagantes 33. ead. C., et qu.* decrevit: *Si necesse fuerit clericum de monachis ordinari: cum consensu, et voluntate Abbatis praesumat Episcopus.* Id exinde constitutum in sequentibus Synodis Ilerdensi, Tarraconensi, ceteris apud Gratianum *ibidem.*

(4) Syn. Chalcedon. in *can. qui vere 12. ead. C. et qu.*

(5) Ead. Synod. in *can. quidam monachorum 10. C. 18. qu. 2.*

(6) N. Alexand. in *hist. saec. V. cap. 3. art. 1. § 1.*

(7) Id quod satis ostendit Fr. Florens *to. 1. dissert. in cap. auditis de praescript. cap. 2. de exemptionibus*, ex prima formula Marculphi, aliisque monimentis.

litem habuit cum Fausto Lirinensi Abbate. Hanc Synodus Arelatensis III. anno circiter 452., cui praefuit Ravennius Arelatensis, ex aequo, et bono dirimens decrevit, ut Abbatem presbyterum sanctum in gratiam reciperet suam Episcopus, eique simul et monachis collationem solitam, stipendia scilicet ad victum necessaria liberaliter contribueret; laicos monachos omnes ad liberam Abbatis curam, et dispositionem relinqueret, eorumque neminem, nisi petente Abbate, ad clericatum promoveret; et non aliud iuris in monasterio esset ipse habiturus, nisi quod sibi suevisset praecessor Leontius retinere, videlicet potestatem conficiendi, et ministrandi Chrisma, clericos ordinandi, clericisque advenis communionem, sacrumque ministerium permittendi (1). Aliis quoque monasteriis eiusmodi privilegium postea indultum, quo bona eorumdem a communibus Ecclesiarum oneribus, et pecuniariis Episcoporum iuribus exempta fuere (2).

VI. Interea suam Episcopi iurisdictionem in monasteria, et monachos, et Abbates tueri studuerunt, adversosque Abbatum conatus auctoritate synodica reprimere. *In venditionibus, quas Abbates facere praesumunt*, decrevit Synodus Agathensis anno 506. (3), *haec forma servetur, ut quidquid sine Episcopi licentia venditum fuerit, ad potestatem Episcopi revocetur.* Paulo post Synodus Aurelianensis I. anno 511. constituit, ut *non semel, sed saepius in anno Episcopi visitent monasteria monachorum, et si aliquid corrigendum fuerit, corrigatur* (4). Insuper ut *Abbates pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistant, et si quis extra regulam fecerint, ab Episcopis corrigantur: qui semel in anno, ubi Episcopus elegerit, accepta vocatione conveniant. Monachi autem Abbatibus omni obedientia, et devotione subiaceant* (5). *Monasteria* item, *vel monachorum disciplina ad eum pertineat Episcopum, in cuius sunt territorio constituta* (6).

VII. Synodo simul Tarraconensis anno 516. (7), mox Ilerdensi, quam Sergius Terraconensis metropolita suis cum suffraganeis celebravit anno 524., placuit in Hispaniarum quoque monasteriis reci-

(1) Liquet ex ipso concilio Arelatensi III. in caussa Fausti, quod laudat, illustratque Florens.

(2) Gregorius Turonensis *lib. 3. cap. 5.*, et Fr. Florens *loc. cit.* ferunt monasteria duo, Agaunense fundatum saeculo VI. a Sigismundo Burgundionum rege, et S. Marcelli extructum a rege Guntheramno Sigismundi fratre hoc pacto, quod confirmare placuit Synodo Valentinae II., *ut neque potestas regia quidquam minorare, aut auferre praesumat* ex eorumdem bonis et reditibus.

(3) Syn. Agathens. in *can. in venditionibus 40 C. 17. qu. 4.*

(4) Syn. Aurelian. in *can. non semel 29. C. 18. qu. 2.* Hac de re nonnihil dictum supra *lib. 1. tit. XXXII.*, et *ult. num. V.*

(5) Eadem Syn. Aurelian. in *can. Abbates 16. C. 18. qu. 2.*

(6) Ibidem in *can. monasteria 17. eadem C., et qu.* Hunc Gratianus canonem inscribit Concilio Arelatensi, at cum glossa marginalis iure merito Aurelianensi restituit.

(7) Syn. Tarracon. an. 516. *can. 11.* de monachis ad ecclesiastica ministeria, nonnisi *cum Abbatis imperio* deputandis loquens, ait: *canonum ante omnia Gallicanorum de eis constitutione servata.* Isthaec verba mutilavit Gratianus in *can. monachi 35. C. 16. qu. 1.*

tatos canones Agathenses, et Aurelianenses observari generatim (1), hoc speciatim adiecto, ut essent *a lege dioecesana* tantum res illae immunes, quas in *iure monasteriorum* liberas fore vellent pii oblatores: at saecularium Ecclesiarum fundatoribus nullo pacto liceret *dioecesanam legem* solvere (2). Lex autem *iurisdictionis* integra, ut nihilominus esset ad formam oecumenici canonis Chalcedonensis, decrevit Synodus Barcinonensis anno 540. (3); duoque insuper Synodi Chartaginenses anno 525. (4), et 599. immunitatis realis privilegia monasteriis indulserunt, *servatis Conciliorum limitibus* (5).

VIII. In ambiguo verborum ne quis haereat, *legem dioecesanam* aio eam dixisse primos omnium Patres Ilerdenses, quae subditos obstringit

(1) Promiscuos disciplinae canones Hispanis, et Gallis saeculo VI. fuisse hinc potissimum arguitur, quod Alaricus Wisigothorum rex Hispanis, una et Gallis Gothis imperans, consueverit ad Concilia Hispanorum Episcopos Gallicanos ditionis suae convocare, eoque tunc dominante, concilium Agathense celebratum in Gallia Gothica fuerit in urbe Agatha Narbonensis primo Provinciae.

(2) Syn. Iterdensis an. 524. can. 3. ita decrevit: *De monachis vero id observari placuit, quod Synodus Agathensis, vel Aurelianensis noscitur decrevisse: hoc tantum adiiciendum, ut pro Ecclesiae utilitate cum aliquos monachorum Episcopus probaverit in clericatus officio promovendos, cum Abbatis voluntate debeat ordinare. Ea vero, quae in* iure *monasteriorum de facultatibus offeruntur in nullo* dioecesana lege *ab Episcopis contingantur. Si autem ex laicis quispiam a se factam basilicam consecrari desiderat, nequaquam eam sub monasterii specie, ubi congregatio non colligitur, a* dioecesana lege *audeat segregare.* Integer canon hic prostat in *collect. conciliorum* quum Loaysae, et Card. de Aguirre, tum Labbaei, et Cossartii. Gratianus hunc ipsum duo in fragmenta dissecuit in *can. cum pro utilitate 34. C. 16. qu. 1.*, *et can. si ex laicis 1. C. 10. qu. 1.*, mutilato utrobique initio, quod Patres Hispanos adhaesisse Galliarum Synodis commonstrat.

(3) Syn. Barcinon. an. 540. *can. 10.* in *cit. collect.* haec habet: *de monachis vero id observari praecipimus, quod Synodus Chalcedonensis statuit.*

(4) Synodo Carthag. anno 525., cui praefuit Bonifacius Primas, pro Petro Abbate, eiusque monachis, sua conquerentibus privilegia pessundari a Liberato Byzacenae provinciae metropolita, decretum sic est: *Erunt igitur omnia omnino monasteria, sicut semper fuerunt, a conditione clericorum modis omnibus libera sibi tantum, et Deo placentia,* apud Dacherium in *spicilegio, to. 6.* Hanc se auctoritatem secutos Galliarum Episcopi profitentur in privilegio, quod indulserunt monasterio S. Dionysii, *tom. 1. Concil. Galliae,* alioque Andeberii Parisiensis Praesulis, quod refert du Chesne *hist. Franc. tom. 1.*

(5) Syn. Carthag. an. 539. pro cunctis Africae monasteriis ita constituit: *Cetera monasteria etiam ipsa libertate plenissima perfruantur,* servatis limitibus Conciliorum, *in haec dumtaxat, ut quandocumque voluerint sibi clericos ordinare, vel oratoria dedicare, Episcopus, in cuius plebe,* vel civitate locus monasterii consistit, ipse huius muneris gratiam compleat, salva libertate monachorum, nihil sibi in eis praeter hanc ordinationem vendicans, *neque ecclesiasticis eos* conditionibus *aut* angariis *subdens. Oportet enim in nullo monasterio quemlibet Episcopum cathedram collocare. . . . . Esse enim debent monachi in Abbatum suorum potestate. Et quando ipsi Abbates de corpore exierint, qui in loco ipsorum ordinandi sunt, iudicio congregationis eligantur; nec officium sibi huius electionis vindicet, aut praesumat Episcopus. Si qua vero contentio, quod non optamus, exorta fuerit, ut ista Abbatum aliorum consilio sine iudicio finiatur.* Dacherius *loc. cit.*

ad suo pendendum Episcopo cathedraticum, synodaticum, canonicam oblationum, decimarum, et funerum partem, sumptus visitationis episcopalis, eulogias ad honorandam praedicationem, et xenia, quae scilicet hospitibus dari consueverunt munera. *Iurisdictionis* autem *lex* Episcopo dat iudicandi potestatem in causis qua civilibus, qua criminalibus, moresque inquirendi, et corrigendi, tum visitandi personas, et loca ecclesiastica; praeterea, quae sunt Ordinis episcopalis, Chrisma, et Ordines conferre, sacra Olea conficere, Ecclesias, et altaria consecrare, populo Sacramenta ministrare, et verbum Dei praedicare, cetera id genus (1). Tanta inter utramque legem differentia efficit, ut iudicium pro *lege dioecesana* prolatum non extendatur ad *legem iurisdictionis* (2).

IX. Episcopalem in monasteria iurisdictionem firmavit Iustinianus Imperator, inquiens: *Monasteria degunt sub Episcopis territoriorum suorum, et Abbatum quidem curam gerunt Episcopi, monachorum vero Abbates* (3). *Si quis contra aliquem clericum, aut monachum.... habeat aliquam actionem, adeat prius sanctissimum Episcopum, cui horum unusquisque subiaceat. Abbatem, aut Archimandritam in unoquoque monasterio* a monachis electum ordinet Episcopus, *sub quo monasterium constitutum est* (4). Praeterea sanxit monasterium licere nemini sine auctoritate Episcopi aedificare (5).

X. Eodem Imperatore, Pelagius I. Pontifex rescripsit, quod ad legem dioecesanam, ut serventur conditiones a fundatrice monasterii cum dioecesano in ipso fundationis limine conventae de oblationibus ex aequo dividendis inter monasterium, et Episcopum: et ubi nil ea de re conventum constiterit, offerantur Episcopo *eulogiae*, bonam eius praedicationem remunerantes (6). Eumque in monasterio Abbatem vo-

(1) Istud utriusque legis discrimen, et proprietates in primis observavit Gratiani glossographus antiquior Ioannes Hugutio, alias Teutonicus initio *Caussae X.*

(2) Id quod rescripsit Honorius III. in *cap. dilectus filius 18. de offic., et pot. iud. ordin.*

(3) Iustin. in *l. monasteria 40. C. de Episcopis, et clericis.*

(4) Idem *Nov. 123. cap. 21., 34., et 36.*

(5) Idem *Nov. 67. cap. 1. Sancimus*, ait, *nulli licentiam esse, neque monasterium, neque Ecclesiam, neque orationis domum aedificare, antequam civitatis Episcopus Crucem figat, publicum processum illic faciens.*

(6) Pelagius in *can. Eleutharius 20., et pen. C. 18. qu. 2. Tempore dedicationis inter Episcopum Cardellum, et matrem suam* Eleutherius Episcopus *asserit convenisse, ut quidquid... per fidelium oblationes intraverit; medietatem quidem habeat ipsum monasterium, medietas autem Episcopo offeratur... si evidenti ratione constiterit, quia tempore, quo dedicatum est ipsum monasterium, conditiones superius positae convenerint: servari eas ex nostra auctoritate praecipimus, nec aliquid amplius exinde ab aliquo exigatur. Si vero nil tale constiterit: mediante te quid Episcopo ipsi nomine* eulogiae *offerri debeat, inter ipsos monachos, et presbyterum volumus definiri... et presbyter Gaudentius, qui etiam monachus est, missas in monasterio suo, sicut consuevit, facere a nullo ulterius debeat prohiberi.* Glossa hoc in canone exponit *nomine eulogiae* id venire, quod *in signum praeditionis* offertur. Nam *eulagia* graeca vox latinis dicitur *bonus fermo* ab ευ et λωκος. Videsis Gonzalez ad *cap. 1. de consuet. num. 3.*

luit ordinari, *quem sibi de sua congregatione, et monachorum electio, et possessionis dominus poposcerit* (1). At nullam monachis licentiam reliquit *arbitrio suo, aut Abbates expellere, aut sibimet alios ordinare:* quum Abbatis *potestas tota, et solicitudo* sit vel divini cultus, vel utilitatum monasterii (2).

XI. Occidentalium monachorum patriarcha S. Benedictus, qui floruit paulo post initium saeculi VI., ad coelos sublatus anno 543., et primus in Occidente legislator monasticae regulae, quam *saepius* voluit *in congregatione legi, ne quis fratrum se de ignorantia excusaret* (3), suos ea coenobitas, Abbatesque subiectos Episcopis locorum Ordinariis fore declarat, inquiens: *In Abbatis electione . . . hic constituatur, quem sibi omnis concors congregatio, sive etiam pars, quamvis parva congregationis saniori consilio elegerit . . . . Quod si etiam omnis congregatio vitiis suis (quod quidem absit) consenserit, in personam, et vitia ipsa aliquatenus in notitiam* Episcopi (*ad cuius* dioecesim *pertinet locus ipse*) *vel Abbatibus, aut christianis vicinis claruerint, prohibeant pravorum praevalere consensum, et domui Dei dignum constituant dispensatorem* (4). Hisce verbis potestatem Episcopo dioecesano servatam *se ingerendi in ipsius Abbatis, et monasterii reformatione usque ad depositionem Abbatis, et alterius deputationem*, commonet Benedictus XIV. (5). Vivariense monasterium anno 540. fundavit in Calabria ulteriori prope Scyllacium patriam suam eximius Ioannes Aurelius Cassiodorus Senator, saeculi dignitatibus amplissimis iam functus integerrime sub Theodorico, Athalarico, Theodahato, et Vitige Gothis Regibus, in eoque vixit usque ad annum 575., nullam sibi, suoque coenobio exemptionem expetens (6). Quamvis prope Sublacum duodecim monasteria fundasset S. Benedictus, mox rogatus misisset in Gallias beatos Maurum, et Faustum cum tribus aliis discipulis, et B. Placidum in Siciliam ad alia inibi condenda, fugiensque persecutionem presbyteri Florentii e Sublaco ipse ad montem Casinum demigrasset (7): tamen sua, suaeque sobolis coenobia non putavit in unam congregationem redigere, nullumque generalem praeesse cunctis Abbatem, sed sui quemque coenobii regimen per se Abbates singulos habere sub una, eademque Regula. Ea idcirco regularis disciplinae ratio postulabat, ut Episcopis dioecesanis, Metropolitis, et Patriarchae Romano gradatim subessent Abbates cum suis coenobiis, ii ne tunc essent acephali, suoque arbitrio viverent.

(1) Idem in *can. Abbatem 4. C. 18. qu. 2.*
(2) Idem in *can. nullam potestatem 9. ead. C. et qu.*
(3) Ex Regula S. Benedicti *cap. 66.* Paulus Diaconus *lib. 4. cap. 18*, et Leo Hostiensis *lib. 1. Chron. Casin. cap. 1.* tradunt Monachos Cassinenses Longobardis monasterium Cassinense invadentibus sub Zotone primo Beneventi Duce aufugisse cum Abbate Bonito, secumque asportasse inter alia Codicem sanctae Regulae manu S. Patris Benedicti conscriptum.
(4) Ex *cap. 64.* eiusdem Regulae.
(5) Bened. XIV. in *const. caussarum 40. tom. 2.* Bullarii.
(6) N. Alexander *hist. eccl. saec. VI. cap. 4. art. 9.*
(7) Leo Hostiens. *lib. 1. Cassinens. Chron. cap. 1.*

XII. S. Gregorius M., qui saeculi finem, initiumque septimi eximia decoravit sapientia, et sanctitate, monasticam rem, ac monachos ab legis dioecesanae variis oneribus immunitate frui saepius rescripsit, iisque religiosis libertatibus citra detrimentum episcopalis iurisdictionis, quas adepti iam essent secundum expositos canones, aut iure fundationis, et episcopalis indulti, aut consuetudine, aut ob publicam Ecclesiae utilitatem, diversasque locorum, et personarum conditiones. *Rationis ordo non patitur*, ad Secundinum Episcopum Tauromitanum, ait, *ut monasterium contra voluntatem fundatorum ab eorum dispositione ad arbitrium suum quis debeat vendicare* (1). Ut quadragenariam quoque praescriptionem pro monasterio S. Theodori tueretur in controversis cum Panormitana Ecclesia finibus, *etiamsi quid Romanae Ecclesiae competere potuit*, Petro Subdiacono mandavit (2): ea in re secutus legem Iustiniani (3). Tum Mariniano Episcopo Ravennati, *ut nullus Episcoporum, aut saecularium ultra praesumat de redditibus, vel rebus, vel chartis* (alias *curtis*) *monasteriorum*; *vel de cellulis, vel de villulis, quae ad ea pertinent, quocumque modo, vel qualibet occasione minuere, vel dolos, vel immissiones, aut violentias aliquas* facere. . . . Episcopi *suae Ecclesiae tantummodo sint iure contenti: et monasteria ecclesiasticis conditionibus, seu angariis, vel quibuslibet subsidiis, obsequiisque saecularibus nullo modo subiaceant. Nullis canonicis iuribus deserviant: sed remotis vexationibus, ac cunctis gravaminibus divinum opus cum summa animi devotione perficiant* (4). Haec omnia immunitatem rei pecuniariae spectant. Praeterea ut monachis electionem Abbatis (5), ita disciplinam interiorem, curamque monachorum Abbati cuique dimisit (6):

(1) S. Gregor. M. in *can. rationis ordo 34. C. 16. qu. 7.*

(2) Idem in *can. volumus 2. C. 16. qu. 4.*

(3) *Nov. 131.*, unde sumptus est *can. neque decennii 3., et ult. ead. C., et qu.*

(4) Idem Pontifex in *can. quam sit necessarium 5. C. 16. qu. 2.* Huiusce canonis verba leguntur in *ep. 18. ad Marinianum lib. 7. registri.* A Gratiano canoni huic perperam inscribitur *B. Gregorius omnibus Episcopis.* Romani Correctores hunc ipsum in Concilio Lateranensi an. 601. editum a B. Gregorio pro quiete, ac libertate monachorum adnotat. At inter apocrypha istud Concilium pluribus argumentis abiicit Fr. Florens in *cit. dissert. ad cap. auditis de praescript., et qu. 2. C. 18. de statu monachorum:* praecipue quod nullum de eo verbum occurrat in ipsius B. Gregori registro, et nonnulla obtrudat pugnantia cum eiusdem epistolis.

(5) *Cit. can. quam sit necessarium.* Idemque in *can. 2., et 3. ead. C. 18. qu. 2.* Castorio Ariminensi Episcopo scripsit: *Abbas in monasterio non per Episcopum, aut per aliquem extraneorum ordinetur . . . Abbatem cuilibet monasterio non alium, sed quem dignum moribus, atque actibus monastica disciplinae communi consensu congregatio tota poposcerit, ordinari volumus.* Insuper vetuit, ne quis ex Clero saecularis Praepositus fieret in monasteriis Ravennae, binis ad Ioannem, et Marinianum Ravennates Episcopos datis litteris in *can. pervenit 26., et dudum 27. ead. C. et qu.* Idemque Maximiano Syracusae Episcopo rescripsit in *can. presbyterorum 38. C. 16. qu. 1.*

(6) *Monachi semper maneant in Abbatum suorum potestate*, ait ad Castorium Episc. Ariminens. in *can. Luminoso Abbate 6. C. 18. qu. 2.*

hos idcirco noluit absque Abbatis consensu, bonove testimonio ad Ordines ab Episcopis promoveri, aut ad ecclesiastica obeunda ministeria quum intra, tum extra coenobium (1). Nec unam eamdemque personam passus est Abbatis dignitatem cum ecclesiastico Cleri saecularis ministerio retinere (2), aut Episcopum ordinare (3). *Missas* quoque *publicas per Episcopum, vel clericos in monasterio fieri omnino* prohibuit (4). *Nec audeat ibi*, ad Castorium scribens addit, *cathedram collocare Episcopus, vel quamlibet potestatem exercere imperandi, nec aliquam ordinationem, quamvis levissimam faciendi, nisi ab Abbate loci fuerit rogatus: quatenus monachi semper maneant in Abbatum suorum potestate, remotis vexationibus, ac cunctis gravaminibus* (5).

XIII. Itaque scopum non attingunt, qui exemptionis monasticae ab utraque lege dioecesana, et iurisdictionis figunt aeram in pontificatu S. Gregorii M. Namque ab Episcopis Gallis, Hispanis, Afris, per Orbem ceteris, quidquid legitur in epistolis Gregorianis concessum modo uni, modo aliis Romanae provinciae monasteriis; id adepti iamdiu fuerant peculiaribus Episcoporum indultis, synodorumque auctoritate perplurium locorum coenobitae. Nullam porro legem generalem monachorum exemptiones ubique gentium imperantem umquam tulit S. Gregorius, praesertim in commentitio decreto Laterauensis Concili an. 601., quod ex recitata ad Marianinum epistola conflatum esse iam subolet. Rem sane acu tangit ingenii vir acutissimi D. Ildephonsus Clemente de Arostegui (6), dum perspicuis monumentis affatim ostendit quidquid monasteriis, et coenobitis indulsere prisci, quos hactenus memoravi, canones, pontificiae quoque B. Gregorii magni decretales, huc una collineare, ut monastica res in primis ab iure pecuniario legis dioecesanae maxima ex parte libera foret, atque ab iis muneribus, gravibusque solutionibus, quas Ecclesiae quoque saecularium, praesertim parochiales, et clerici ne subeant, canones vetant, deiu, ut potestatis episcopalis abusiones religiosam turbantes disciplinam compescerentur: at integra ubique gentium esset Episcopis potestas quum Ordinis, tum iurisdictionis.

(1) *Cit. can. quam sit necessarium.*

(2) Idem Ioanni Ravennati in *can. nemo potest 2. C. 16. quaest. 1.*, *et can. pervenit 26. C. 18. qu. 2.*, tum Mariniano in *sequ. can. dudum 27.*

(3) In *can. hinc etiam 39. C. 16. qu. 1.* Abbatem quemdam in regno Francorum vetuit Episcopum ordinari, *ne forte* ait, *occasione Episcopatus Abbatia aliquid detrimenti pateretur. Quod privilegium ita est illius Ecclesiae, ut communem legem Regibus, vel Abbatibus omnino dare non possit. Non enim quod uni sigillatim conceditur, statim omnibus convenit.* At generatim censuit clericum monachum, Sacerdotio, et Episcopatu dignum, eligi, et ordinari ab Episcopis posse, *can. si quem 32. C. 16. qu. 1.*

(4) *Cit. can. 2., et 3. C. 18. qu. 2.*

(5) *Cit. can. Luminoso Abbate.* At postulanti Agapito Abbati indulsit Missas celebrare, mortuosque in monasterio S. Gregorii sepelire rescribens ad Ioannem Episcopum urbis veteris in *can. Agapitus 13. C. 16. qu. 1.*

(6) Clemente de Arogestui *lib. 3. de concordia pastoruli super iure dioecesano cap. 3. num. 37., et seqq.*

XIV. Quandoquidem ipsemet B. Gregorius Eusebium Abbatem hortatus graviter est ad debitam Praepositis, h. e. Episcopis subiectionem (1). Et vice versa Episcopum Scyllitanum increpans commonuit, ut ab incongruis usurpationibus abstinens, vigilem, sollicitamque curam disciplinae monasticae, vitaeque monachorum haberet ad corrigendum (2). Agapito Abbati suis quoque litteris nunciavit B. Gregorius monasterium in fundo Marciano provinciae Campaniae a Langobardis desolatum univisse cum omnibus rebus monasterio eius, eique curam deputandi monachos opus Dei celebraturos hac lege commisit, *ut iurisdictionem illic non Episcopus Surrentinus, in cuius civitate monasterium* Agapiti erat, *sed Nucerinus, cuius est dioecesis, haberet: nam sic huius loci*, ait, *ordinationem disponimus, ut tamen iura sua singulis Episcopis inviolata servemus* (3). Praeterea Neapolitanum Episcopum Fortunatum Theodosio Abbate monasterii S. Martini postulante hortatus est, ut novum quoddam monasterium ex voluntate Martini fundatoris in honorem S. Petri, et S. Michaelis Archangeli solemniter dedicaret, et quoties necesse foret, sacrificia Missarum a presbyteris Ecclesiae Neapolitanae illic inservientibus celebrarentur : *ita ut in eodem monasterio*, ait, *nec fraternitas tua, nec Presbyteri praeter diligentiam* disciplinae, *aliquid molestiarum inferant .. quum monachis in eodem loco deservientibus debeat proficere quidquid a fidelibus obtigerit* (4). Panormitana Sede vacante ob Victoris obitum Barbaro Episcopo rescribens, ut novi Antistitis electioni ex consensu Cleri, et plebis faciendae praeesset, *monasteria, si qua sunt*, ait, *in ipsius constituta parochia, sub tua cura, di-*

(1) B. Greg. M. *lib.* 2. *ep.* 24. ad Eusebium Abb., quam promit idem D. Clemente de Arogestui *loc. cit. num.* 57. *Qui se contra Praepositos*, ait, *suos erigunt, profecto ostendunt, quia servi Dei esse contemnunt. Et quidem ab illo Episcopo hoc, quod factum est, minima fieri debuit, a te tamen omnino debuit humiliter suscipi, et rursum cum gratiam reddebat, ad eum cum gratiarum actione debuit occurri. Quod ita a te factum non est: adhuc cognosco, quia nobis omnino lacrymarum opus est.*

(2) Idem *lib.* 7. *ep.* 33. ad Episc. Scyllitanum haec (in *cit.* Concordiae Pastoralis *cap.* 2. exscripta *num.* 78., *et ult.* inquit: *Servatis itaque omnibus, quae a tuis, sicut diximus Praedecessoribus promissa sunt, ac servata, curae tuae sit circa actus, ac vitam consistentium illic monachorum te vigilanter insistere, et si quempiam illic prave conversari, aut in aliquam immunditiae, quod absit, culpam inveneris incidisse, districta, ac regulari emendatione* corrigere. *Nam sicut ab iis, quae* incongrue u urpantur, *fraternitatem vestram volumus abstinere : ita in his, quae ad* disciplinae rectitudinem, *vel* animarum curam *pertinent, esse sollicitam, modis omnibus admonemus.*

(3) Idem *ep.* 67. *lib.* 9., cuius fragmentum prostat in *cap. ne rebus* 2. *de religiosis domibus, ut Episcopis sint subiectae.* Hoc in textu decretalium Emm. Gonzalez haud recte putat Umbriae Civitatem hanc *Nuceriam*, esse quum alia Nuceria Paganorum hoc in regno Neapolitano sit, de cuius Episcopo loquitur Gregorius.

(4) Idem *ep.* 15. *lib.* 7., unde mutilum fragmentum in *cap. Theodosius* 1. *de statu monachorum* redintegravit Emm. Gonzalez, qui alteram Episcopo quoque Neapolitano datam a Gregorio epistolam iisdem fere verbis, eademque sententia conceptam ex *lib.* 2. *registri ep.* 59. promit in *cit. cap. Theodosius* verb. *diligentiam disciplinae.*

spositionemque , quousque illic proprius fuerit ordinatus Episcopus, esse concedimus (1). Mox Vitali Sardiniae defensori scripsit , *ut monasteria servorum Dei Episcopo loci illius , sub cuius* moderamine *degunt, curae sit eorum* caussas, *utilitatesque disponere. Valde enim est incongruum, ut omisso eo, alius quilibet eorum se* caussis *admisceat ; sed ille eorum* vitam *competenti , regularique debet* moderamine *disponere, qui pro commissis eorum animabus compellitur reddere rationem* (2). Saepe dicto quoque Marinano Ravennati Episcopo rescripsit , *visitandi , exhortandique gratia ad monasterium , quoties placuerit* , accedere cum posse, et *charitatis officium* ita illic implere , *ut gravamen aliquod monasterium non incurrat* (3). Itaque ubi B. Gregorius in antedicta ad Marianum epistola , aut in Synodo Lateranensi , hanc si genuinam putaveris, exempta voluit monasteria ab *ecclesiasticis conditionibus , et quibuslibet obsequiis saecularibus*, et Episcoporum *canonicis iuribus* , aut *curis* , *canonicaeve iurisdictionis* , ut legunt Romani Correctores (4) : ex aliis eius, quae dicta modo sunt , responsis iam liquet , quod ipse mores, vitam, disciplinamque monachorum nil umquam subtraxerit a potestate , iudicio , et canonica Episcoporum correctione.

XV. Posteriora usque ad saeculum XI. decreta Patrum, summorumque Pontificum responsa, et indulta nil fere discrepant a prioribus huc usque expositis (5). Bonifacius IV. anno 607. potestatem absolvendi , officiique sacerdotalis exercitium indulsit monachis rite ordinatis (6) , monasteriumque meliorem in locum transferre cum consilio Episcopi, et fratrum (7). Ioannes IV. an. circiter 640. ad Syracusanum Episcopum Isaac rescripsit , ut Ecclesias monachis traditas sacerdotes arbitrio monachorum eligendi administrarent (8) Concilium Hispalense II. anno 619. canonicis poenis eos coercuit, qui monasteria spoliarent , convellerent , aut dissolverent (9). Toletanum IV. anno 633. interdixit Episcopis , ne quidpiam de monasterii rebus contra canones usurparent , sibi tantum vindicaturi canonicam vitae regularis curam, Abbatis, alio-

(1) Idem in *can. obitum 16. dist. 61.*
(2) Idem in *can. cognovimus 19. C. 18. qu. 2.*
(3) Idem in *can. visitandi 28. ead. C., et qu.*
(4) In notis ad *cit. can. quam sit necessarium 4.* verbo *iuribus.*
(5) Sicuti monet Wan-Espen *part.* 3. *tit. 12. cap. 2. num. 12.*
(6) Bonif. IV. in *can. sunt nonnulli 25. C. 16. qu. 1.* At Eugenius I. an. 655. monachis interdixit Poenitentiam , et Baptismum dare, baptizandos suscipere , infirmos visitare, *can. placuit 8. C. 16. qu. 1.*
(7) Idem in *can. si quis 41. C. 16. qu. 7.*
(8) Ioan. IV. *ep.* ad Isaac Syracusanum : *Decernimus, ut amodo Ecclesiae monachis traditae per suos Sacerdotes instituantur.* Divinae *enim leges habent, et saeculares, ut cuius est possessio, eius fiat institutio. Et si in dando, quod maius est, fuit charitas : sit facilios in concedendo, quod minus est, sancta largitas. Maius exim fuit possessionem dare, quam sit investituram concedere.* Haec verba fert N. Alexander in *hist. saec. VII. cap. 1. de Pontificibus art. 3. num. 3.*
(9) Concil. Hispal. II. *can. 10.*

rumque officiorum institutionem, correctionemque morum irregularium (1). Toletanum VII. anno 646. monasteriorum basilicas ab onere solvendi duos pro cathedratico solidos exemit (2). Monasterio S Dionysii, quod privilegium indulserat Landericus Episcopus Parisiensis una cum aliis Galliae Episcopis, confirmavit rex Clodovaeus II. an. 659., declarans, ut nullus Episcopus *aliquam potestatem sibi in ipso monasterio usurpare praesumat* (3) Idipsum monasterio Corbeiensi, quod fundavit rex Clotarius, regia fundatoris voluntate, ac petitione concessit Bertefridus Ambianensis cum suis Coepiscopis (4).

XVI. Concilium Emeritense anno 705. ius Episcopis vindicat Abbates quum visitandi, tum corripiendi (5). S. Nivardus Rhemensis Archiepiscopus monasterio Altiullarensi, quod is fundavit sub regula SS. Benedicti, et Columbani, privilegium contulisse a Flodoardo fertur, ut Abbas Bercharius *illud in sui iuris dominatione*, *quoad viveret*, *conservaret*, et ut post suum decessum Rhemensis Episcopus ipsum coenobium gubernaret, et eosdem monachos contra omnes adversitates defenderet (6). Nicaenum II., oecumenicum VII., an. 778. Episcopis interdixit *expetere aurum*, *argentum*, *aut aliam speciem a clericis*, *vel monachis*, *qui sub ipso sunt* (7). Praeterea oeconomos in omnibus Ecclesiis, et monasteriis fore instituendos ad formam canonis Chalcedonensis decrevit, executione Metropolitani mandata, alienationes rerum Ecclesiarum Episcopis, monasteriorum Abbatibus vetuit, Ecclesiaeque Orientalis Abbatibus facultatem conferendi monachis ordines minores indulsit (8).

XVII. Moguntinum an. 813. decrevit ad decimas Ecclesiis baptismalibus solvendas non teneri Abbates *de agris*, *et vineis*, *quae ad suum*, *vel fratrum stipendium habent* (9). Nec Episcopo licere possessionem monasterii tollere ob Abbatis peccatum (10). At Abbatem posse cum permissione Episcopi locum suum relinquere (11). Romanum sub Eugenio II., et Leone IV. an 853., ut monasterium, vel oratorium a do-

(1) Conc. Toletan. IV. *can. 51. Monemus*, ait, *eos*, *qui Ecclesiis praesunt*, *ut ultra talia non praesumant: sed hoc tantum sibi in monasteriis vindicent*, *quod praecipiunt canones*, *idest monachos ad conversationem sanctam praemonere*, *Abbates*, *aliaque officia instituere*, *atque extra regulam facta corrigere Quod si aliquid in monachis canonibus interdictum praesumpserint*, *aut usurpare quidpiam de monasterii rebus tentaverint: non deerit illis sententia excommunicationis*, *qui se deinceps nequaquam postulerunt de illicitis*. Ex concordia pastorali *loc. cit. num. 68.*

(2) Conc. Tolet. VII. in *can. inter cetera 8. C. 10. q. 3.*

(3) Regium Coludovaei praeceptum ex *to. 1. Conc. Galliae* memorat Pet. de Marca *cap. 16. num. 2.*

(4) Apud P. de Marca *loc. cit.* (5) Conc. Emeritense *can. 11.*

(6) Flodoard. *lib. 1. hist. Rhemens. Ecc. cap. 7.*

(7) Nicaen. II. in *can. praedicator 64. C. 16. qu. 1.*

(8) Idem *can. 11., 12., et 14.*

(9) Conc. Mongunt. in *can. questi sunt 46. C. 16. qu. 1.*

(10) Idem in *can. Episcopo 7. C. 16. qu. 6.*

(11) Idem in *can. Abbas 8. C. 18. qu. 2.*

minio constructoris ne auferretur, decrevit: sed Presbytero, quem is elegerit, cum consensu Episcopi commendaretur, sacrum officium obituro (1). Hadrianus II. post an. 867. ad Carolum regem rescribens, *notis*, ait, *quia omne monasterium in potestate Episcopi consistere debet iuxta canonicas sanctiones* (2). Triburiense an. 895. Abbatem in regimine peccantem ab Episcopo, vicinisque Abbatibus deponi, suoque privari officio sanxit (3).

XVIII. Anno 1061. Alexander II. clericorum officia monachos extra monasterium obire non pertulit (4). Urbanus II. an. 1088. Ecclesias monachorum subiectas Episcopis fore sanxit, eosque ad consueta Episcopis servitia obstrictos (5). Praescriptionem trigenariam contra Episcopos, nec Abbatibus, nec monachis suffragari (6): iisdemque non licere Ecclesias, decimasque a laicis absque consensu Episcoporum accipere (7). Urbano II. Pontifice Synodus apud Faventiam an. 1095. regendas Episcopis mandat Ecclesias monachorum (8). Paschalis II. anno 1099. episcopalia iura ne usurparent monachi, rescripsit ad Victorem Bononiensem (9): iis nihilominus indulsit immunitatem a decimis (10).

XIX. Istis vero medii aevi legibus aliquot specialia Sedis Apostolicae privilegia interea obrogarunt, simul, et regia protectio, et voluntas fundatorum, et concessiones Episcoporum huius praesertim regni Neapolitani. Tametsi anno 672. Adeodatus Papa primus omnium a Thomasino (11) fertur exemisse monasterium S. Martini ab Episcopi Turonensis iurisdictione: at huiusmodi privilegium Mabilonius genuinum (12), Launoius apocryphum censent (13). Petronax vero Brixiensis, coenobii Casinensis restaurator, et Abbas anno circiter 740. a Zacharia summo Pontifice *privilegium primus accepit*, habet chronicon Leonis Hostiensis (14), *ut hoc monasterium cum omnibus cellis sibi pertinentibus, ubicumque terrarum constructis, ob honorem, ac reverentiam sanctissimi Patris Benedicti ab omnium Episcoporum ditione sit libe-*

(1) Conc. Roman. in *can. monasterium 33. C. 16. qu. 7.*
(2) Hanc Hadriani II. ad Carolum regem epistolam fert Baronius *ad an. 871. to. 10. annal. pag. 501.*
(3) Triburiense in *can. si quis Abbas 15. C. 18. qu. 2.*
(4) Alex. II. in *can. iuxta Chalcedonensis 11. C. 16 qu. 1.*
(5) Urb. II. in *can. servitium 31. C. 18. qu. 2.*, et *can. sane 6. C. 16. qu. 2.*
(6) Idem in *can. possessione 1. C. 16. qu. 4.*
(7) Idem in *can. decimas 39. C. 16. qu. 7.*
(8) Syn. apud Faventiam in *can. statuendum 7. C. 16. qu. 2.*
(9) Paschal. II. in *can. pervenit 9. C. 16. qu. 1.*
(10) Idem in *can. decimas 47. ead. C.*, et *qu.*
(11) Thomasin. *par. 1. lib. 3. cap. 29. num. 13.*
(12) Mabillon. *de re diplomatica lib. 1. cap. 3. §. 9.* Hanc Turonensem S. Martini Abbatiam inter alias Carolus M. Imp. B. Alcuino, alias Flacco Albino filiorum suorum praeceptori contulit, N. Alexander in *hist. saec. VII. cap. 5. art. 3.*
(13) Io. Launoius *assert. in privileg. S. Medardi par. 3. cap. 20.*
(14) Leo Card., et Epis. Hostiensis in *chronico antiquo Cassinensi lib. 1. cap. 4.*, quod notis illustravit, et auxit hispanus Abbas S. Salvatoris de Castellis Matthaeus Lauretus.

rum, ita ut nullius iuri subiaceat, nisi solius Romani Pontificis (1). Saeculo VIII. Ioannes IV. Episcopus Beneventanus sub Zacharia Papa indulsit, ut Gardinus Abbas Ecclesiam, et monasterium S. Mariae, et S. Martiani in platea fundaret absolutum, et liberum ab episcopali auctoritate, ac iurisdictione, quod Arechis Langobardorum dux Beneventi sua sub protectione suscepit (2). Chronicon Vulturnense memoriae tradit controversiam an. 839. habitam *coram Sicardo Principe Beneventano inter Hermerissum Episcopum Beneventanum*, et monachos S. Mariae de Sano super Ecclesia parochiali, quam *usque ad tempus Domini Gisulphi Ducis, et Monaldi Rmi Episcopi fuisse in dominio S. Beneventanae Ecclesiae*, puta usque ad an. 732. circiter, Episcopus contendebat: monachis ex adverso conquerentibus *Principes, et Antistites ponere in oblivionem canones, et edicta gentis nostrae Langobardorum, et sequi in iudicando usus huius nostrae Provinciae* (3). Coniicere hinc licet Langobardos Principes privilegiis monachorum Casinensium in huius Regni provinciis velificatos maxime fuisse: quippe quos plura monasteria fundasse, ac ditasse tradunt historici, praesertim Paulus Diaconus. Monasterio etiam Fuldensi, quod sub S. Benedicti regula fundaverat S. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus, ipsomet fundatore postulante privilegium exemptionis ab episcopali potestate, immediataeque subiectioni Romanae Sedi Pontifex idem indulsit, iisdem ferme verbis usus, quae leguntur in privilegio Casinensi (4). Istudque ratum habuit, et firmavit Galliarum rex Pip-

(1) Petrus Diaconus in *suo registro fol. 2. num. 2.* integrum exscribit privilegium hoc Zachariae, tum praefatus Abbas Lauretus *lib. de existentia Corporis S. Benedicti in Casinensi Ecclesia cap. 3.*, ad calcem *chronici* Leonis Hostiensis. Ad rem pertinent nostram haec pontificiae Bullae verba: *Insuper autem praesenti privilegio supradictum locum una cum omnibus sibi pertinentibus Ecclesiis, et possessionibus per totum Orbem roboramus: atque ut* nullius *alterius Ecclesiae, nisi* Romani Pontificis *ditioni submittatur, auctoritate apostolica interdicimus: ita ut nisi ab Abbate, vel Praeposito fuerit invitatus, missarum solemnitatem nullus Episcopus celebrare praesumat in eisdem possessionibus.* Hanc Bullam Antonius Gallonius *in apologetico* adversus Constantinum Bellotum Cassinensem *pag. 54., et seq.* inter apocrypha studet inanibus argutiis proiicere. At eum merito refellit iam dictus Lauretus *loc. cit. a cap.* 10. *ad* 14.

(2) Liquet ex diplomate Arechiano an. 796. apud Ughell. *tom. 8. Italiae sacrae de Benevent. Epis. num. 39. pag. 45.*

(3) Chronicon Vulturnense a L. Muratorio editum *to.* 1. *rer. Italic. par. 2. pag. 388* Idemque Muratorius *antiq. Ital. dissert. 64.* ex Camillo Peregrino observat Gisulphum II. Beneventano Ducatu potitum ab anno 732. usque ad an. 749. Ex Ballario Casinensi *par. 2. const. 53.* fertur dein Iohannes III. Papa an. 971. indulsisse monasterio Ss. Salvatoris, quod prope Ticinum fundavit Adelais-Othonis I. Imp. uxor, ut *Baptismus etiam in Ecclesiis eiusdem monasterii licenter fieret apostolica auctoritate.* Mox vetuit, *ne in eodem monasterio alicuius potestatis proerogatis praerogativa sibi aliquando usurpare praesumat* Episcopus Ticinensis.

(4) Fuldense privilegium Zachariae ex *to.* 1. *Conc. Galliae* promit N. Alexander in *hist. saec. VIII. cap. 5. art. 4. num. 3.*

pinus cum Episcoporum, et procerum suffragiis (1) : dein generalis quoque Synodus Galliarum sub Carolo Calvo apud Saponarias an. 859. pro Bituricensi monasterio S. Benedicti (2). Hinc regulam benedictinam quamplurimae Regularium familiae ubique gentium amplecti studuerunt (3). Insuper Stephanus II. an. 757. Fulrado Abbati S. Dionysii, eiusque successoribus Abbatibus licentiam, et potestatem concessit *aedificandi monasteria ubicumque in Franciae Provincia*, prohibens *omnem cuiuslibet Ecclesiae Episcopum, aut alium quempiam Sacerdotem in praefatis monasteriis ditionem quamlibet habere, praeter Sedem Apostolicam* (4). Hadrianus autem II. ad Carolum regem IX. saeculo rescribens, *notis*, ait, *quia omne monasterium in potestate Episcopi consistere debet iuxta canonicas sanctiones* (5).

XX. Nono saeculo monasterium S. Clementis ad Piscariam in insula, quae Casa aurea etiam dicitur, dioecesibus Pennensi, et Theatinae finitima, fundavit Ludovicus II. Imp. anno 875, multisque castellis cum vassallis, et Ecclesiis dotatum sua sub protectione imperiali recepit, nihil de exemptionibus, ac libertatibus a lege dioecesana, et iurisdictionis Episcoporum locutus (6). Illud vero primus omnium Leo IX. anno 1051., mox Alexander III. an. 1166., Coelestinus III. an. 1191., et Clemens IV. an. 1268. ab omnium Episcoporum iurisdictione subtractum Sedi Apostolicae immediate subiecerunt (7).

XXI. Decimo saeculo monasterium S. Bartholomaei de Carpineto in dioecesi Pennensi fundavit anno 962. Bernardus Liuduni Comes Pennensis hoc pacto, *ut illud cum omnibus rebus suis sit liberum, et nulli unquam personae subiectum, nec nobis, vel alicui de generatione nostra ad praestandum, seu faciendum aliquid teneatur . . . simul ut ipsa* Ecclesia S. Bartholomaei *non sit subiecta neque sub Episcopio, neque sub alio monasterio, neque sub ulla persona, nisi soli Patri, et Filio, et Spiritui S. sub regula S. Benedicti* (8). Alo

(1) Ex *ep. 6.* Pippini ad Bonifacium, quam habet Duchesnius *to. 2. collect. hist. Francor.*, et N. Alexander *loc. cit.*

(2) A P. de Marca *loc. cit. num. 3.* fertur, quod ista Synodus apud Saponarias *Carolum regem, et Rodulphum Bituricensem Archiepiscopum obsecravit, ut privilegium monasterii* S. Benedicti, *quod annuente praefato rege firmaverat, quodque idem Rodulphus subscripserat, qui praefatam Abbatiam irregulariter retinebat, ratum, et inconvulsum servare studerent.*

(3) In Conc. Cabilonens. II. an. 813. haec habentur: *Pene omnia monasteria regularia in his regionibus constituta secundum Regulam S. Benedicti se vivere fatentur.*

(4) Apud N. Alexandrum *loc. cit.* et P. de Marca *lib. 3. de concord. cap. 16. num. 2.*

(5) Langobárd. *leg. 3.*

(6) Liquet ex diplomate apud Ughellium *Ital. Sacr. tom. 6.* in fine, et relatis a Lione Ostiense *lib. 1. Casin. Chron. cap. 36.* Privilegium Ludovici exin confirmatum a Siciliae Rege Rugerio an. 1140., ostendit huius diploma *ibidem pag. 1312.*

(7) Ex pontificiis litteris, quas integras habet Ughellius *loc. cit.*

(8) Liquet ex duobus instrumentis apud Ughel. *to. 6.* in fine. Ubi refertur Episcopus Pampo an. 1070. donasse cum consensu Capituli Pennensis Abbati

Beneventanus, et Siponti[illegible] Archiepiscopus anno circiter 984. cum consensu Capituli sui Beneventano S. Modesti monasterio, quod Langobardus princeps Roffridus, Pandolphi, et Landolphi parens fundaverat, multisque monasteriis, Ecclesiis, praediisque dotaverat (1), nonnullas attribuens Ecclesias ab omni Archiepiscoporum, Sacerdotumque Ecclesiae Beneventi iurisdictione liberas, et exemptas fore sanxit (2). Azo Larinensis Episcopus monachis S. Benedicti renuntiavit Ecclesiam, et Monasterium, S. Benedicti de Pettenari ex placito Maldefridi Comitis anno circiter 960. (3).

XXII. Saeculo XI. Monasterium, et Abbatiam S. M. de Curatio Ordinis Cisterciensis fundavit ante an. 1060. in dioecesi Marturanensi ad ripas fluvii Crotalis Rogerius Marturanensis Ecclesiae Romanae patrocinio subiectam (4). Cuiusmodi libertatem, exemptionemque firmavit Michael Marturanensis Episcopus an. 1170. (5). Primaevos Carthu-

S. Bartholomaei plebem, et castellum S. M. de Cateniano cum aliis sex castellis sub annuo censu denariorum duodecim in festo Assumptionis, vel infra octavam solvendo episcopali Ecclesiae. Id quod firmarunt consentiente quoque Capitulo successores Episcopi Heribertus an. 1112., et Grimaldus an. 1123. cum onere census denar. 24., ex relatis ab Ughellio *to. 1. Ital. Sacr. de Episcopis Pennens., et Hadriens. num. 12., et 13.* Eas postea donationes episcopales feruntur *ibidem* confirmasse Paschalis II. an. 1116., et Innoc. II. an. 1138., nil de exemptione locuti.

(1) Liquet ex diplomate Pandolphi, et Landolphi apud Ughell. *tom 8. Ital. Sacr. de Benev. Arch. pag. 78.*

(2) Alonis privilegium, seu decretum referunt Marius Vipera Archid. Benev. *in chronico de Benevent. Eccl. Praesulibus*, Pennottus *lib. 3. tripartitae hist. cap. 37.*, et Ughell. *to. 8. de Benevent. Archiep. num. 2. pag.* 107. his verbis conceptum. *Sancimus amodo, et perpetuis deinceps temporibus, ut sine omni conditione pontificalis dominationis persistat, nulloque umquam tempore quilibet nostrorum successorum Praesulum, seu presbyterorum, vel cuiuscumque gradus clericorum in eis dominandi licentiam habeat, vel censum eliquem redituum exigat, nulli quoque plebi, nullique alteri Ecclesiae, nisi monasterio eis Praelato, eiusque rectoribus cum integris suis rebus subditas esse volumus.*

(3) Leo Ostiensis *lib. 2. chron. Casin. cap. 6. Constantius quoque*, ait, *Praepositus S. Benedicti de Latino proclamavit in placito Maldefridi Comitis super Azonem Episcopum ipsius Civitatis de Ecclesia S. Benedicti in Pettenari quam idem Episcopus cum omnibus possessionibus eius sibi vindicaverat, et ostensa ratione, ac iustitia nostra, iudicante Comite, et Episcopo renunciante, collegit eam; et quoniam destructa erat, a fundamentis eam restaurans, ibi monasterium, quod hactenus intra Civitatem fuerat, esse constituit, ibique cum monachis religiose vivere coepit.* Id refert quoque Ughellius *to. 8. de Larinens. Episc. num. 1.*

(4) Liquet ex apostolicis Honorii II. litteris indulgentiarum apud Ughellium *to. 9. Ital. Sacr. de Marturanens. Episc. nu. 5. pag. 362*: *Quod quidam filius noster Rogerius de Marturano*, ait Papa Honorius, *construxit, et S. Romanae Ecclesiae obtulit, ad exemplar Antecessorum nostrorum. Alexandri II., Greg. VII., Urbani II., Paschalis II., Calixti II., Sanctae Apostolicae Sedis auctoritate protegimus, et indulgentiae privilegio communimus.*

(5) Ughellius *ibidem pag. 360.* exscribit indultum Michaelis Episcopi Ioachimo Abbati S. M. de Curatio, haec inter alia inquientis: *Quamvis privilegium apostolicum, quod habetis Cisterciensis Ordinis, libertatem, vos a D. beatis-*

sianorum mores eodem saeculo commendans ven. Guibertus Abbas, haec inquit: *sub Priore agunt: vices autem Abbatis, ac provisoris Grationopolitanus Episcopus vir plurimum religiosus exequitur* (1). Anno 1095. Theodorus Episcopus Squillacensis, postulante Rogerio Calabriae, et Siciliae Comite, indulsit, ut S. Bruno, eiusque socius Lanuinus cum monachis, et eremitis in Ecclesiis S M, et S Io Baptistae in loco Turrium, et oppido Styli commorantibus bona sibi a Rogerio donata in perpetuum libera, et immunia a vectigalibus, et decimis episcopalibus possiderent: id quod firmavit Ioannes Episcopus successor, et Urbanus II. anno 1098. (2). Ab eodem Rogerio Comite fundatum Miletense Monasterium SS. Trinitatis, et S. Michaelis Archangeli ex lege fundationis Urbanus II., et Eugenius III. sua sub speciali protectione susceperunt (3).

XXIII. Anno 1181. Tancredus Lycii Comes, Rogerii Siciliae regis nothus, monasterium, et Abbatiam SS. Nicolai, et Cataldi pro monachis Benedictionis Lycii fundavit, eique decimas casalis Aurii, et censum canonicum attribuit cum consensu Petri Guarini tunc Episcopi Lyciensis, et senatus Canonicorum, et privilegio Alexandri III. prorsus exemptum ab episcopali auctoritate, inquiens: *Quae sane cum sit in sola protectione summi Pontificis constituta, sic ex privilegii eiusdem D. Papae recitatione clarescit, ut nullius Pontificum audientiam perhorrescat. Collegium itaque personarum ibidem servientium monachorum esse volumus secundum B Benedicti Regu-*

simo Papa Alexandro III. obtinuisse testatur, ut tamen Deo digni beneficii cooperatores et nos esse mereamur: tam laudabilem libertatem praesenti privilegio confirmamus, quatenus quidquid libertatis quoque Cisterciensis Ordinis monasteria habere noscuntur, vestrum monasterium ex integro habere laetetur.

(1) Ven. Guibertus Abbas S. M. de Novigento *lib. 1. de vita sua cap.* 11., apud N. Alexandrum *in hist. saec. XI. to.* 14. *edit. Neap pag. 374.*

(2) Ughell. *cit. to. 9. de Scyllacens. Episc. num. 5. pag. 590.*

(3) Apud Ughell. *to.* 1. *de Miletensibus Episc. num. 8.* Eugenius III. an. 1150. privilegium indulgens Roberto Abbati Miletensis monasterii SS. Trin., et S. Mich. Archang. eiusque fratribus Ord. S. Benedicti, quod a fundamentis a Rugerio extructum, et *per manum fel. rec. D Urbani praedecessoris nostri Papae II. B. Petro, Eiusque S. Romanae Ecclesiae* (ait) *in ius perpetuum et tutelam oblatum esse dignoscitur, ad exempla Praedecessorum nostrorum sa. me. Paschalis, et Innocentii Rom. Pont. sub B. Petri, et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus . . . Sepulturam eiusdem loci omnino liberam esse sanximus, ut eorum, qui, se illic deliberaverint sepeliri, devotioni, et extremae voluntati, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat . . . . . Missas autem, seu stationes pubblicas in eodem loco praeter Abbatis, et fratrum voluntatem fieri prohibemus.... Nullus a vobis decimas praesumat exigere.... Chrisma, Oleum sanctum, consecrationes altarium, ordinationes monachorum, vel clericorum a quocumque malueritis catholico recipietis Episcopo. Adiicimus etiam, ut nulli Episcoporum facultas sit absque licentia Romani Pontificis locum vestrum, vel monachos, seu clericos inibi commorantes interdictioni, vel excommunicationi subiicere, aut aliquam potestatem vel molestiam exercere. . . nec ulli alii, nisi Romanae, et Apostolicae Sedi, cuius iuris sunt, aliqua teneantur occasione subiecti.*

lam, qui divino ministerio vigilanter deserviant, nullius Pontificum iurisdictioni subiecti (1).

XXIV. Saeculo XIII. monasterium Fontislaureati in districtu Fulminis frigidi Tropeiensis dioecesis a Simone de Mancistra illius fundi domino fundatum an. 1201., subiectumque Ioachimo Abbati S. Ioannis Florensis Ordinis Cisterciensium, eiusque successoribus Richardus Episcopus Tropeiensis anno 1202. exemit, salva tamen reverentia sibi, et successoribus debita eo modo, quo Florense monasterium consuevit Cusentino Archiepiscopo exhibere (2). Illudque Innocentius III. an. 1202. sub speciali patrocinio Sedis Apostolicae suscepit, inhibens, ne Tropeienses Episcopi, et Canonici aliud amplius exigerent, quam in concessione sua praefatus Episcopus Richardus reservaverat (3). Monasterio S. Stephani de Insula parva Ordinis S. Benedicti Matthaeus Episcopus Insulanus anno 1239. *omnia iura episcopalia* cum Capituli sui consensu quum remisisset (una libra cerae quotannis, consecratione altarium, Ecclesiae dedicatione, ordinatione monachorum, et ecclesiasticis Sacramentis in eodem monasterio sibi, et successoribus reservatis) *ob reverentiam Apostolicae Sedis, cuius vos scimus*, ait, *esse filios speciales:* id confirmavit Innocentius IV. anno 1243. (4).

XXV. Huiusmodi singularia exemptionum privilegia sat innuunt incolumem, integramque interea Episcopis fuisse potestatem in ceteris monasteriis, eorumque religiosis, qui sibi nullum a fundatoribus, neque ab Episcopis, aut Romanis Pontificibus indultum ostenderent privilegium exemptionis a lege dioecesana, et iurisdictionis: pro eaque non semel iudicatum. Hinc est, cur Episcopus Marsicensis ab Alexandro III. delegatus apostolicus super controversa exemptione inter Episcopum, Capitulumque Tricarici, et Abbates monasteriorum Bantiae, SS. Trinitatis Venusii, et S. Michaelis Archangeli Montiscaveosi, re cognita decreverit anno 1162., Prioratus Ecclesiarum, et monasteriorum Andriacis, et S. Nicolai in Sylva, tum Hostiliani, Ciriliani, et Gurgulionis esse obnoxia iurisdictioni Episcopi Tricaricensis, consuetisque pecuniarum, candelarum, panis, vini, pecorum, et gallinarum contributionibus: quia *receptis, et diligenter inspectis*, ait, *privilegiis Sedis Apostolicae per procuratores dictorum monasteriorum nobis ostensis, Prioratus, seu monasteria, Ecclesiae, villae, seu casalia, et eorum possessiones tantum confirmabantur eisdem, nec de exemptione a iuribus episcopalibus aliqua in eisdem privilegiis mentio ha-*

(1) Apud Ughell. *to. 9. Ital. Sacr. de Episc. Lycisns., seu Aletinis, seu Lupiens. pag. 96.* Hanc Abbatiam Lyciensem ex Alexandri VI. Papae, et Alphonsi II. Regis Neap. concessionibus an. 1494. ad Congregationem Olivetanam obvenisse tradunt Io. Caesar Infantinus in *Lycia Sacra*, et Lancellotus in *hist. Olivet. Congr. ibid. pag. 107.*

(2) Ughell. *to. 9. de Tropeiens. Episc. num. 11. pag. 636.*

(3) Liquet ex pontificiis Inn. litteris apud Ughellium *ibidem*, quas confirmavit Honorius III. an. 1216., tum Clemens IV. an. 1267.

(4) Ex litteris Inn. IV. ad Priorem, et Fratres monasterii S. Stephani de Insula parva apud Ughell. *cit. to. 9. de Insulanens. Episc. num. 6. pag. 711.*

bebatur (1). Grandemque pecuniam ex intermissis dudum solutionibus quum deberet monasterium Bantiae, episcopali mensae vendidit anno 1354. Casale Andriacis, ut ei satisfaceret in parte pretii (2).

XXVI. Monachi vero satius aestimantes exiguum censum Apostolicae Sedi quotannis persolvere, quam Episcopis cathedraticum, et alia legis dioecesanae onera ferre, suas idcirco Ecclesias, et monasteria Romanae Ecclesiae censuales, et immediate subiectas facere cooptarunt. Liber censuum Romanae Ecclesia anno 1192. sub Coelestino III. editus a Censio Camerario (3) continet LXIII. Ecclesias, et monasteria huius Regni. Paulus II. edixit anno 1469. die 6. Iunii, ut Congregationes non mendicantium annatas, seu quindennia communia, et minuta servitia quotannis Camerae Apostolicae persolvant pro suis monasteriis, Ec-

(1) Constat ex sententia Episcopi Marsicensis, quae servatur in archivo Cathedralis Ecclesiae Tricaricensis, ab Antonio Zavarrone Episc. Tricaric. exscripta in *notis* ad Bullam Godani Archiep. Acheruntini an. 1060. pro Arnaldo Episc. Tricaric. *pag. 65.* typis Mutianis Neap. an. 1749.

(2) Ex instrumento venditionis, quod extat in eodem archivo, id promit *cit.* Zavarronus *ibidem.* Ughellius *to. 1. Ital. Sacr. de Marsorum Episc. num. 13.* fert sententiam ab Othone Cardinale apostolico delegato latam die 5. Maii 1236. pro Episcopo Marsorum, a Gregorio IX. confirmatam, qua damnatus est Abbas est monasterium Casaemarii ad praestanda iura episcopalia in quatuor Ecclesiis monasterio subiectis.

(3) Apud Lud. Murator. *to. 7. antiquit. medii aevi* Centius Camerarius in *libro censuum* has dioecesum nostrarum Ecclesias recenset. In Episcopatu Miletensi Monast. SS. Trinitatis unam unciam auri. In Archiep. Regino Eccl. S. M. de Balnearia duas uncias. In Episc. Cassanensi Eccl. S. M. de Camillana duos squisatos, Eccl. S. M. de Santaleio, vel de Aquaformosa unum marrabutinum. In Episc. Neucastrensi Monast. S. Euphemiae Ord. S. Bened. unam unciam auri: item pro Casali Nuceriae posito in dioecesi Tropeiensi annuatim duas uncias auri ad pondus regni; quod ei concessum fuit pro dicto censu tempore Alexandri IV. In Episc. Catacensi monast. S. Iuliani unam unc. auri. In Episc. Geratino monast. S. Petri de Cavea duos squisatos. In Episc. Squillacensi monast. de Carra unum marrabutinum. In Archiep. Cusentino Eccl. S. Io. in Flore infra terminos Silae unum marrabutinum. In Episc. Bisinianensi monast. S. M. de Sambucino 1. Squif. In Archiep. Consano monast. S. M. de Ilice 1. unc. auri. In Episc. Moranensi monast. S. Salvatoris de Guilieto dioecesis S. Ang. de Lombardo unum obulum aureum pro Eccl. S. Thomae de plano Rubi posita in Episc. Moranensi. In Archiep. Agerontino Hospitale eiusdem Civitatis cum capella S. Lazari tres solidos parvenses: et monast. de Bonconverso sex solidos auri. In Episc. Tricaricensi Ecclesia SS. Trinitatis 1. unc. auri. In Episc. Venusio Ecclesiae SS. Trinitatis 1. unc. auri, et Ecclesia S. Nicolai de Morbano 1. squisatum. In Episc. Anglon. monast. de Banza 1. unc. auri. In Archiep. Tarentino monast. S. M. de Gualetio 1. lib. cerae, et thuris. In Archiep. Brundus., et Oritan. Eccl. S. M. de Parvo ponte 1. unc. auri, Eccl. S. Thomae cum hospitale 1. marrab., et Eccl. S. Margaritae de Penna de Bachio 1. unc. auri. In Arch. Hydruntino Eccl. S. M. de Neto 1. unc. auri, et monast. S. Nic. de Casulis 1. michalatum auri, quod valet quinque tarenis Regis. In Episc. Litiensi Eccl. S. Ioannis dimidiam unc. auri. In Archiep. Barensi Eccl. S. Bened. 2. melequinos. In Episc. Bituntino Eccl. S. Georgii Bituut. 3. solidos parvenses. In Episc. Conversano Abbas eiusdem terrae 1. unc. auri. In Episc. Tranensi Eccl. S. M. in Baroli villa 1. obulum marrabutinum. In Episc. Andrensi mon. S. Thomae quartam unc. auri

clesiis, et beneficiis (1). Tum Alexander VII. pro publicis S. Romanae Ecclesiae necessitatibus die 4. Iunii 1663. indixit, imposuitque pro una tantum vice *subsidium 300. millium scutorum monetae romanae super omnibus bonis, et proprietatibus undecim Congregationum non mendicantium*, *Casinensis alias S. Iustinae de Padua*, *et Lateranensis*, *Montis Oliveti*, *Camaldulens. et Montis Coronae*, *Carthusien. S. Salvatoris*, *Vallis umbrosae*, *Silvestrinae*, *S. Georgii in Alga*, *Coelestinorum*, *Circestiens*, *Lombardiae ac Tusciae*, *et S. Hieronymi* (2). Exin eae ipsae Congregationes solemni stipulatione ad annua scuta 32. millia R. Camerae solvendum pro ea capitali summa, et haec vicissim ad privilegia earum manutenenda se obstrinxerunt. Ex novissimo tandem indulto Benedicti XIV. onus eiusmodi subsidiorum Cameralium redimere singulatim student ad rationem 5. pro 100., u-

ad pondus Baroli, et monast. S. M. de Monte mediam unciam. In Archiep. Sipontino monast. montis Sacri dimidiam unc. auri. Eccl. S. Leonardi 1. unc. Eccl. S. Thomae 1. libram olibani, monast. S. Io. in Lama 1. unc. auri, et monast. S. M. de Pulzano 2. bisancios. In Episc. Vestano monast. de Calena 1. unc. auri, et Eccl. S. M. de Cripta nova 1. aureum. In Episc. Troiano, qui est Domini Papae, monast. S. Marci de Foia 4. libr. olibani, monast. de Ursara 1. unc. auri. In Episc. Melphiensi Domini Papae similiter monast. Vulturnense 1. unc. auri. In Episc. Monopolitano monast. S. Stephani 1. unc. In Archiep. Benevent. monast. Turris maioris 1. unc. monast. S. M. de Gualdo 4. tarenos, et 1. libr. olibani. In Episc. Telesino monast. S. Siri 1. unc. auri. In Episc. Avellino monast. S. M. Montis Virginis Ord. S. Bened. 1. obulum aureum, quod monast. specialiter spectat ad D. Papam, et factum fuit censuale anno 7. D. Alex. PP. IV. In Episc. Licherino Eccl. SS. Trinitatis de Castelluccio 2. libr. cerae. In Archiep. Salernitano Cavense coenobium 3. solidos auri ex regesto Urbani II. an. 2. In Episc. Nusquitano monast. S. M. de Fundo Ciano 10. tarenos de Salero. In Episc. Venafrano monast. S. Vincenti de Sancra 3. squisatos. In Episc. Sorano, qui est D. Papae monast. S. Dominici 12. denarios Papienses, et 100. brachia panni. In Marsia in Episc. Furcunensi Eccl. S. Io. de Colomento 1. lib. cerae. In Episc. Marsicano Eccl. S. M. de Apamia 3. solidos parvenses, et 1. lib. cerae, monast. S. Silvestri de Pereto Ord. S. Damiani 1. lib. cerae. In Episc. Valvensi monast. de Bumunaco 1. Romanatum, hospitale S. Viti de Scarafano 1. libr. cerae. In Episc. Teatino monast. de Maiella 1. marrabutin. monast. S. Stephani de Ripamonte 1. unc. auri, Eccl. S. Hierusalem 1. tarenum regale, monast. S. Martini de Valle 2. solidos parvenses, Eccl. S. Manopello 1. bizantium, facta censualis 8. anno D. Greg. IX. In Episc. Abrutino Eccl. S. Dominici 2. solidos Pisanos.

(1) Hanc Bullam videsis in Bullario Casinense Cornelii Margherini. Pro decimis papalibus, seu subsidiis belli contra Turcas, vigesimam partem redituum ecclesiasticorum aequantibus annatas fuisse indictas, observat Rigantius in *Reg. V. Cancellariae num. 71. tom. 1. pag. 427.*, puta unius anni fructus beneficiorum Concistorialium, medietatem unius annatae in Beneficiis inferioribus valorem 24. ducatorum Camerae excedentibus, Rigant. *ibidem to. 2. pag. 313. num. 11.* Pro beneficiis autem perpetuo unitis quindennia vicem annatarum supplent, Rigant. *cit. to. 1. num. 90. pag. 429.*

(2) Alex. VII. in *const. cum inter ceteras* in eodem Bullario Casinensi. Tum iisdem congregationibus non mendicantium concessa facultas augenti montem Religionum, seu novennalem ad 400. millia, et imponendi census pro solusione subsidii sex decimarum, quas pro sacro etiam bello S. Pius V. imperavit.

tentes arbitrio alienandi praedia monasteriorum, vel faciendi versuras venditione annuorum reddituum.

XXVII. Hinc patet, cur monasteriorum alia Episcopis dioecesanis, nonnulla Sedi Apostolicae, aliqua Regum immediatae protectioni, ac regimini subessent medio aevo ex variis fundationum pactis, Regum praeceptis, ac placitis, summorumque Pontificum privilegiis. Inter Langobardorum leges Pipinus Italiae rex propterea edixit, *ut monasteria virorum, et puellarum, tam quae in mundio* (h. e. iurisdictione, ac potestate) *Palatii esse noscuntur, vel etiam in mundio episcopali, seu, et de reliquis hominibus esse inveniuntur, distringantur ab eo, in cuius mundio sunt, ut regulariter vivant.* Et Synodus Vernensis VIII. saeculo inter alia constituit, *quod ab illa monasteria, ubi regulariter monachi, vel monachae vixerunt, si* regalis *erat, ad Domnum Regem faciant rationes Abbas, vel Abbatissa; et si* episcopalis, *ad illum* Episcopum (1).

XXVIII. Regiae interim visitationes monasteriorum, atque investiturae Abbatiarum irrepserant. Carolus M. an. 806. in suis Capitularibus edixit, *ut Missi Dominici per singulas civitates, et loca monasteria virorum, et puellarum praevideant, quomodo, et qualiter in domibus Ecclesiarum, et ornamentis emendatae, vel restauratae esse videntur, et diligenter inquirant de conversatione singulorum. . . . . et ecclesiasticae regulae pertinentibus.* A Pipino rege eius filio duos Missos regios, *unum monachum, et unum Capellanum* (h. e. presbyterum saecularem palatinum) directos ad inspicienda monasteria virorum, et puellarum, *quomodo esset eorum habitatio, vel qualis vita aut conversatio, et quantum unumquodque monasterium de rebus habere videtur, unde vivere possit:* compertum habet ex memoratis Langobardorum legibus Muratorius (2). Mox etiam aLothario I. Imperatore inter alios monasteriorum Italiae regios inspectores Meramum Abbatem in Ticinensi virginum monasterio an. 833. constitutum, *ut Regula ibi* observaretur *S. Benedicti.*

XXIX. Quoniam prisci canones sanxerunt monasteria non posse a lege dioecesana, et episcopali iurisdictione eximi sine consensu Episcopi (3), nec suam ab Episcopis iurisdictionem omnino remitti sine auctoritate summi Pontificis (4): plenam idcirco exemptionem, nonnisi consentientibus plerumque locorum Ordinariis fere indulgere Apostolica Sedes consuevit, utens olim perraro sua, qua fungitur, suprema potestate subtrahendi a iure dioecesano, et episcopali aliquod non requi-

(1) Synod. Vernensis *can. 20.*, de qua N. Alexander in *hist. saec. VIII. cap. 5. art. 4. num. 12.*

(2) L. Murator. *antiqu. Italic. dissert. 66.* Idem Carolus M. in Capitulari *de caussis Regni Italiae cap. 6.* edixit: *De monasteriis, et xenodochiis, quae per diversos Comitatus esse videntur, ut regalia sint, et quicumque ea habere voluerit, per beneficium Domni Regis habeat.*

(3) *Ex can. monachorum, can. de monachis, et can. cellulis C. XVIII. qu. 2., et aliis paulo ante dictis num. 5., et seqq.*

(4) Ex traditis a Bened. XIV. in *const. caussarum 40. to. 2.* Bullarii *pag. 344.*

sito, aut invito Episcopo monasterium. Id quod liquet ex actis Concilii Romani anno 1002. a Silvestro II. celebrati, eiusque sententia pro Abbatis, et monasterii S. Petri de Perusio omnimoda exemptione contra Perusinum Episcopum (1).

XXX. Orientales Ecclesiae mores, ac leges Patriarchis quum iam concessissent ius *stauropegii*, videlicet Crucem figendi patriarchalem et Ecclesiae, aut religiosae domui, quam sua sub protectione speciali suscipiens Patriarcha potissimum in limine fundationis, ac dedicationis liberam tunc faceret ab ordinaria dioecesani Episcopi potestate (2): ita Romani quoque Pontifices suam Patriarchae potestatem potiorem in Ecclesiis, et monasteriis occidentalibus consueverunt e re nata explicare, quoties eam expeterent vota fundatorum in primis cum consensu dioecesanorum Praesulum, tum publica Ecclesiae utilitas, regularis disciplinae ratio, et necessitas concordiae inter Clerum saecularem, ac regularem confovendae, simul et abusus varios dioecesanae potestatis coercendi, ac reformandi.

XXXI. Quae vero sensum inoleverunt ex privilegiis eiusmodi exemptiones Regularium, eorumque subiecto Sedi Apostolicae, eas tutari maxime placuit Romanis Pontificibus. S. Gregorius VII, *an ignoras*, inquit, rescribens ab Episcopum Taurinensem, *quod sancti Patres plerumque, et religiosa monasteria de subiectione Episcoporum, et Episcopatus de parochia metropolitanae Sedis propter infestationem praesidentium diviserunt, et perpetua libertate donantes Apostolicae Sedi, velut principalia Capiti suo membra adhaerere sanxerunt.* Mox Alexander II., ut Gervasio Rhemensi Archiepiscopo suaderet privilegia monasterio Gorbeiensi concessa non abnormia esse, commonuit *alias esse leges Ecclesiarum, quae sunt generales, et alias esse eas, quae specialiter in privilegiis quibusdam praerogantur Ecclesiis ad*

(1) In eo Conc. Rom. sub. Silvestro II. quum S. Petri de Perusio Abbas contenderet, Perusino Episcopo contradicente, frui sese omnimoda exemptione ab episcopali potestate, ac iurisdictione: *veniant privilegia nostrorum antecessorum Paparum*, in primis Pontifex inquit, *et his perlectis* censeant fratres *Coepiscopi, quae sit aequitatis rectitudo.* Iis exhibitis (et lectis *ait Episcopus: privilegia haec non reprobo, sed sine consensu praedecessoris mei, caus temporibus illud prius privilegium factum est, factum fuisse dico: si solum viderem consensum, haberem inde aeternum silentium.* Adhaec universus clerus continuo reposuit: *vidimus omnes epistolam Antecessoris tui, in qua, et consensus erat, et precibus, ut hoc fieret Episcopus obnixe postulabat, cuius rei testes sumus, et secundum canonicam sanctionem verum fuisse comprobamus.* Itaque his peractis prolata demum fuit pro Abbate sententia, silentium Episcopo, eiusque successoribus perpetuum indicens. Prostant haec in Labbaeana *collect. Concil. to. 9. pag.* 1247., et apud Ughell. *in appendice to. 9. Ital. Sacr.*

(2) Istud ius Patriarchis orientalibus consuetudine antiquissima quaesitum ostendit Christianus Lupus in *scholiis, et notis ad can Concil. to. 3.*, ususque receptum in Orientalis imperii coenobis praecipue post annum Christi millesimum probat Thomasinus *to. 1. lib. 1. cap. 9. num.* 15., *et cap.* 16. *num.* 1., Bullarii, et *lib. 1. de Syn. dioeces. cap. 4. num. 3.* Inter iura patriarchica idipsum recensui *lib. 1. tit.* XIV. *num.* XVI.

immunitatem, ne quorumlibet importunitate patiantur inquietudines (1).

XXXII. Itaque paulatim increbuit quum exemptorum numerus, tum amplificatio exemptionum personalium, quas captare XI. inde saeculo studebant Abbates censum Ecclesiae Romanae annuum offerentes in signum acceptae ab ea libertatis. Easque alii Patrum, et Cistercienses monachi, divo Bernardo duce detestabuntur (2): probabant alii, praesertim Cluniacenses (3). Ad genuina Romanorum Pontificum privilegia simul accessit immensa congeries apocryphorum. *Falsariorum enim praestigiosa malitia ita in Episcoporum contumeliam se armavit, ut falsitas in omnium fere monasteriorum exemptione praevaleat: nisi in decisionibus, et examinationibus faciendis iudex veritatis exactior districtissimus intercedat*, ad Alexandrum III. scripsit Petrus Blesensis (4).

XXXIII. Hinc Episcoporum querelae ad generale Concilium Lateranense III. delatae in primis contra Templarios, aliosque generatim Religiosos exemptionibus abutentes, *robur episcopalis auctoritatis enervantes*. Episcoporumque iura usurpantes *contra canonicas sententias, et tenorem privilegiorum:* quae tamen privilegia fore non violanda,

(1) Ambas S. Greg. VII., et Alexandri II. epistolas refert Benedictus XIV. in *const. caussarum 40. to. 2. Bullar. pag. 345.*, et Petrus de Marca *de concordia lib. 3. cap. 16. num. 6.*

(2) S. Bernardus *ep. 42.* ad Henricum Senonensem Archiep: *Abbates*, ait, *spoliant Ecclesias, ut emancipentur; redimunt se, ne obediant. Non propter me, inquis, facio: sed quaero Ecclesiae libertatem. O libertas omni, ut ita loquar, servitute servilior! Patienter ab huiusmodi libertate abstineam, qua me pessimae addicat superbiae servituti.* Tum Eugenio Papae *lib. 3. de considerat.* loquens, addit: *Nolo praetendas mihi fructum emancipationis ipsius. Nullus est enim, nisi quod inde Episcopi insolentiores, monachi etiam dissolutiores fiunt . . . Murmur loquar, et querimoniam Ecclesiarum . . . Quaeris quam?* subtrahuntur *Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis . . . Facilis hoc, quia potestis: sed utrum, et debeatis, quaestio est.* Honorius III. in *cap. ne Dei ecclesiam 43. de simonia* hanc primitivam Cisterciensis professionis formulam tradit: *Ego N. Abbas Cisterciensis Ordinis subiectionem, et reverentiam, et obedientiam a SS. Patribus constitutam secundum regulam . . . S. Benedicti tibi, Domine Episcopo, tuisque successoribus canonice substituendis, et S. Sedi Apostolicae, salvo ordine meo, perpetuo me exhibiturum promitto.*

(3) Petrus Cluniacensis Abbas *in apologia. Hunc unum solum, et maximum* (Romanum Pontificem) *nos*, inquit, *habere Episcopum gloriamur, huic soli specialiter obedimus, ab hoc solo, si caussa (quod absit) exigeret, interdici, suspendi, atque excommunicari possumus.* Idem *lib 3. ep. 28.* priscos Ecclesiae mores collaudans in Episcopis multis vitam monasticam professis, ideoque idoneis, qui monachorum disciplinam corrigerent, querulus inquit. *Hodie vero cum sint fere omnes saeculares a regulari vita prorsus alieni: qua fronte monasteria visitare, ac de rebus, quas nesciunt, definire debeant, non video; scilicet docebunt quod non didicerunt, milites erunt, priusquam tyrones, magistri antequam discipuli.* Goffridus Vindocinensis Abbas *lib. 2. ep. 27. Acephali non sumus, ait, quia Christum Salvatorem caput habemus, et post ipsum Romanum Pontificem.*

(4) Petr. Blesens. *ep. 68.* ad Alexandr. III., sub nomine Richardi Archiepisc. Cantuariensis, quam laudat Benedictus XIV. *cit. const. caussarum 40. to. 2. Bullar. pag. 340.*

sed suos intra fines correctis excessibus custodienda, in eo ipso Concilio decrevit Alexander III. (1). Tum haud semel rescripsit eosdem Religiosos frui libertatibus, et privilegiis a Romana Ecclesia indultis debere, nullam eis molestiam inferri patiens (2). Mox collaudavit Legatum suum ex eo, quod iura Sedis Apostolicae in Ecclesiis *censualibus* Novariensis dioecesis vigil servaret; eumque commonuit, ut duplex genus *censualium* distingueret, videlicet *libertatis*, et *protectionis* (3). *Sicut non omnes*, ait, *qui specialiter B. Petri iuris existunt, annuatim Apostolicae Sedi censum exolvunt: ita nec omnes nostri censuales ab Episcoporum subiectione habentur immunes. Inspicienda sunt ergo privilegia. . . . ut si fuerit deprehensum, quod Ecclesia, quae censum solvit*, specialiter *B. Petri iuris existat, et ad indicium perceptae* libertatis *census annuus conferatur: non immerito poterit* speciali *praerogativa gaudere. Si vero ad indicium perceptae* protectionis *census persolvitur: non ex hoc iuri dioecesani Episcopi subtractum aliquid videtur.*

XXXIV. In Lateranense IV. etiam Concilio cautum voluit Innocentius III., *ut privilegia, quae quibusdam religiosis Romana concessit Ecclesia, permaneant inconcussa:* dummodo *non pertrahantur ad abusum* (4). Pluresque decretales, re cognita dedit ad Italos, Hispanos, Lusitanos, Tripolitanos Episcopos, ea ne speciatim violarentur apostolica privilegia, quae nonnullis monasteriis plane largiebantur exemptionem ab ecclesiasticis Episcoporum censuris, et iurisdictione ordinaria (5) At censuit non extendendum ultra tenorem cuiusque privilegii fore ad inferiora unius, eiusdemque religionis monasteria privilegium libertatis, et exemptionis indultum principali coenobio, quod sit caput Ordinis (6). Hinc liquet alia monasteriorum tunc exempta, et libera, alia non exempta, sed subiecta Episcopis fuisse.

(1) Alex. III. in *cap. cum plantare 3. de privilegiis.*

(2) *Cap. dilecti filii 4., cap. ad hoc 5., et cap. porro 7. eod. tit.*

(3) *Cap. recepimus 8. eod. tit.* Eamdem distinctionem adhibuit Bonifacius VIII. in *cap. si Papa 10. eod. tit. in VI.*

(4) Inn. III. in Conc. Later. IV. *cap. ut privilegia 24. de privilegiis.*

(5) Inn. III. in *cap. cum olim 12. eod. tit.* Abbati, et Conventui S. Petri Eugubini Ord. S. Bened. rescribens, privilegio Lucii Papae *ipsum coenobium, nullo mediante ad Romanam Ecclesiam pertinere, et quod non liceret alicui Episcopo excommunicationem eidem monasterio, et eius Ecclesiis indicere, ut fratres illic Domino servientes ab omnium* potestate liberi *Romanae Ecclesiae libertatis gratia potirentur*: iussit idcirco id non esse violandum. Idipsum decrevit pro monasterio S. Basilii de Flano in dioecesi Nepesina, *cap. quoniam 21. eod. tit.* Pro Ecclesia, et monasterio Iotrensi in Catalaunia, *cap. ex parte 13. eod. tit.* Pro monasterio S. Crucis Canonicorum Regularium dioecesis Colubriensis in Lusitania, *cap. cum olim 14. eod. tit.* Pro hospitalariis, vel templariis in Tripolitana dioecesi, *cap. petiistis 20. eod. tit.* Et generatim pro monasteriis, et Religiosis Cluniacensibus quarumcumque dioecesum Honorius III. in *cap. quanto amplius 26. eod. tit.*

(6) Inn. III. in *cap. ex ore 17. de privilegiis* ad Abbatem, et fratres Evasensis coenobii in Anglia rescribens, *definimus*, ait, *quod Evasense coenobium liberum est in capite, tanquam ab episcopali iurisdictione prorsus exemptum*,

XXXV. Gliscentes in diem exemptiones quum aegreferrent Episcopi, earumque abusus criminarentur: Innocentius IV. saeculo XIII. in Concilio Lugdunensi non esse privilegia Sedis Apostolicae infringenda, nec excedendos eorumdem limites iussit; at exemptos generatim iudicio Episcoporum ratione tantum delicti, et contractus, reique sitae subiecit, ubi domicilium haberent in eorumdem dioecesi; quod vero ad Religiosos perplures, quibus Apostolica Sedes indulsisset, ne quis Episcoporum auderet pro quavis caussa eos interdicere, suspendere, aut excommunicare, vetuit Ordinariis locorum ubicumque suam in ipsos exercere iurisdictionem (1). Mox Bonifacius VIII. edixit ecclesiasticos quum religiosos, tum saeculares, qui forum Episcopi dioecesanum sint declinaturi, sua debere illis requirentibus privilegia exemptionis ostendere, aut quadragenariam libertatis praescriptionem probare: alias, *cum de Iure communi Ordinariorum intentio sit fundata, sua iurisdictione uti possit libere in eosdem* (2). Eamque ob rem varias privilegiorum formas, et clausulas declarat, quarum aliae monasteriis, et Ecclesiis exemptionem conferunt, aliae secus (3).

XXXVI. Iteratas XIV. saeculo in Concilio Viennensi querimonias de mutuis Praesulum, et Religiosorum excessibus Clemens V. cohibere studuit, ad concordiam utrosque hortatus. *Una est*, inquit (4), *Regularium, et saecularium Praelatorum, et subditorum exemptorum, et non exemptorum universalis Ecclesia.... una Fides, et unum Baptisma... decet igitur, ut et Praelati, et alii tam exempti, quam non exempti suis iuribus sint contenti, et alter in alterius iniuriam non prosiliat, seu iacturam.*

XXXVII. A singulis tandem ad universos progressae usque adeo sunt pontificiae Regularium virorum emancipationes, ut universi Religiosorum Ordines, excusso ubique iugo tam legis dioecesanae, quam ordinariae iurisdictionis Episcoporum suos habeant in unoquoque monasterio Praelatos Regulares, quasi episcopali iurisdictione praeditos, quibus pareant in primo iudiciorum gradu, et supremum cuiusque Ordinis, aut Congregationis Moderatorem generalem iura in secundo gradu reddentem instar Metropolitae, hunc, et illos Romanae Sedi subiectos immediate. Mendicantium Religiones XIII. saeculo plenariam eiusmodi exemptionem promeruere. Nicolaus IV. in suis, quas pro Dominicanis Fratribus edidit, constitutionibus, *decernentes*, ait, *ex nunc eumdem Ordinem, ac personas, Ecclesias, Oratoria, domus, et loca praefata soli Romano Pontifici, et Romanae Ecclesiae tam in spiritualibus, quam temporalibus absque ullo medio subiacere . . . . et*

et soli Romanae Ecclesiae subiectum . . . in membris *autem, quae non probantur exempta, dioecesano Episcopo ipsum subiacere decernimus; propter quod Abbas ad Synodum eius debet accedere . . . pro ipsis quoque membris non exemptis idem Abbas tenetur Vigoriensi Episcopo exhibere reverentiam, obsequium, et honorem.*

(1) Innoc. IV. in *cap. volentes 1. de privilegiis in VI.*
(2) Bonif. VIII. in *cap. cum personae 7. eod. tit. in VI.*
(3) Idem in *cap. si Papa 10. eod. tit.*
(4) Clemens V. in *Clement. un. de excess. Praelatorum.*

ab omni Ordinariorum iurisdictione prorsus exemptus (1). Clemens V. Ordinem sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum ab Ordinariorum omnium iurisdictione penitus exemptum Sedi Apostolicae, speciatim subiecit (2). Ioannes XII. saeculo XIV. Carmelitas eodem privilegio auxit, aiens: *In ius, et proprietatem B. Petri, et Apostolicae Sedis assumimus, illaque a cuiuscumque Dioecesani, et cuiuslibet alterius potestate, iurisdictione, et dominio omnimode in perpetuum prorsus eximimus de gratia speciali: decernentes ex nunc Ordinem vestrum . . . soli Romano Pontifici, ac dictae Sedi tam in spiritualibus, quam in temporalibus absque ullo medio subiacere* (3). Eodem privilegio nunc fruuntur aliae quoque Religiones Mendicantium omnes, quibus Apostolica Sedes vel directe, vel indirecte per communicationem privilegiorum fere largita est omnimodam exemptionem a locorum Ordinariis, et iurisdictionem quasi episcopalem pleno iure Abbatibus, Praelatisque Regularibus (4). Nam etsi Concilium Tridentinum omnibus monasteriis, *exceptis domibus Fratrum S. Francisci Capuccinorum, et Minorum de Observantia* indulserit, ut bona immobilia possiderent (5): tamen inter Mendicantium Ordines ii adhuc recensentur, quos primaeva sui fundatoris institutio, et regula, vel constitutiones ante comitia Tridentina latae ad paupertatem in communi quoque profitendam obstrinxere (6); in his Iesuitae, ac Theatini. Uniuersae pariter Congregationes monachorum non mendicantium sua eiusmodi privilegia exemptionum, et quasi episcopalis iurisdictionis titulo etiam oneroso censuum, et subsidiorum Cameralium sibi custodire, ac firmare sategerunt.

XXXVIII. Amplificandis Abbatum iuribus, et Regularium exemptionibus admodum profuere Capitula generalia Abbatum, et Priorum omnium unius, eiusdemque Ordinis a Cisterciensibus primum instituta instar Synodorum provincialium, procurantia communem regularis disciplinae reformationem, et observantiam nedum comitialibus statuit, et decretis, sed visitatorum quoque generalium ministerio. XIII. saeculo Innocentius III. in generali Concilio Lateranensi IV. constituit (7), ut *in singulis regnis sive provinciis fiat de triennio in triennium, sal-*

(1) Nicolaus IV. an. 1288. circ. *constitut. 3.*, et *13. to. 2.* novi Bullarii Ord. Fratrum S. Dominici, quod typis vulgavit P. Bremondus a Benedicto XIV. laudatus in *cit. const. caussarum 40. to. 2. Bullarii sui pag. 345.*

(2) De qua re N. Alexander in *hist. saec. XIV. cap. 7. art. 5. num. 3.*

(3) Ioan. XII. *const. 1. to. 1.* Bullarii Ordinis Carmelitarum, quod collectum a P. Monsignano laudat Benedictus XIV. *loc. cit.* N. Alexander *loc. cit. num. 7. to. 16. edit. Neap.*

(4) Ex gl. in *Clement. 1. de reb. Eccl. non alienan. ver. proprii,* Barbosa *de iur. Eccl. lib. 2. de monast., et relig. dom. cap. 12. num. 21.*

(5) Trid. *sess. 25. de reform. cap. concedit. 3.*

(6) De quibus iam dixi *lib. 1. tit. XXXII., et ult. a num. XII. ad XV.*

(7) Innoc. III. in *cap. in singulis 7. de statu monachorum* formam celebrandi capituli generalis, praescribens addit: *Advocent autem in huiusmodi novitatis primordiis duos Cisterciensis Ordinis vicinos Abbates, ad praestandum sibi consilium, et auxilium opportunum: cum sint in huiusmodi capitulis celebrandis ex longa consuetudine plenius informati.*

vo iure dioecesanorum Pontificum, commune Capitulum Abbatum, atque Priorum. . . iuxta morem Cisterciensis Ordinis: in quo diligens habeatur tractatus de reformatione Ordinis , et observantia regulari. . . . Ordinentur etiam in eodem Capitulo religiosae, ac circumspectae personae, quae singulas Abbatias eiusdem regni, seu provinciae non solum monachorum , sed etiam monialium vice nostra studeant visitare , corrigentes , et reformantes , quae correctionis , et reformationis officio viderint indigere. . . Dioecesani autem Episcopi monasteria sibi subiecta ita studeant reformare, ut cum ad ea praedicti visitatores accesserint , plus in illis inveniant, quod commendatione , quam quod correctione sit dignum. Haec prima de Congregationibus Regularium lex generalis, quam Synodus Tridentina (1) firmavit , ampliavitque ad *monasteria omnia , quae generalibus Capitulis, aut Episcopis non subsunt, nec suos habent ordinarios regulares visitatores , sed immediate a Sede Apostolica* regi *consueverunt :* simul iubens , ut ea etiam *teneantur infra annum a fine Concilii , et deinceps quolibet triennio sese in Congregationes redigere iuxta formam constitutionis Innocentius III. in Concilio generali:* tum *Congregationibus constitutis generalia illarum Capitula , et ab illis electi praesides, vel visitatores eamdem habeant auctoritatem in suae Congregationis monasteria, ac Regulares in eis commorantes, quam alii praesides, ac visitatores in ceteris habent ordinibus:* Episcopis autem dioecesanis, *tamquam Sedis Apostolicae delegatis subdantur*, ubi neglectae disciplinae ratio, aliave legitima caussa postulaverit. Hinc videtur inter monasteria exempta , et non exempta discrimen a Tridentinis Patribus ferme sublatum. Nam religiosarum Congregationum forma recentior quum omnia ubique dioecesum monasteria unius, eiusdemque Ordinis , ac Regulae constructa in corpus unum redegerit , non alia extrinsecus ferre potestatem visa est , nisi universalem Romani Pontificis nullis locorum finibus limitatam.

XXXIX. Nunc itaque ordinario , et communi probatarum Religionum iure omnes ferme Regulares suum intra septa religiosa forum habentes Superiorum suorum iudicio subsunt in caussis quum civilibus , tum criminalibus , et mixtis : quum omnia in Congregationem redacta monasteria, sint hodie exempta (2) ab Episcopi dioecesani iurisdictione in tribus etiam casibus ab Innocentio IV. exceptis in Concilio Lugdunensi (3). Id quod quammaxime firmavit Xystus IV. saeculo XV. (4).

XL. At plurimae adhuc sunt caussarum species , in quibus iurisdictioni Episcoporum partim ordinaria, partim delegatae parere monachi, et regulares quomodolibet exempti coguntur (5): easque ad summa sex

(1) Trid. in *cap. monasteria 8. sess. 25. de reform.*

(2) Ut monet Fagnanus in *cap. cum dilectus 8. de relig. dom. num. 17.*

(3) Innoc. IV. in Conc. Lugdun. *cap. volentes 1. de privileg. in VI.*, de quo superius dictum *hoc tit. num. XXXV.*

(4) Xystus IV. in bulla *regiminis*, quam *mare magnum* appellant , apud Fagnan. in *cap. tuarum n. 18. de privileg.*

(5) Fagnanus in *cap. grave 19. de officio ordinarii a num. 37. ad n. 82. , et ult.* quadraginta septem casus eiusmodi enumerat.

capita redigere commodum est. Scilicet quae spectant 1, curam animarum. 2, Sacramentorum administrationem. 3, praedicationem. 4, communem fidelis populi disciplinam, et publicum Dei cultum. 5, clausuram monialium. 6, necessitatem disciplinae regularis extrinsecus continendae.

XLI. In primis quae curam animarum saecularium, Sacramentorumque administrationem spectant. Nam Tridentina Synodus decrevit, ut *in monasteriis, seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum saecularium (praeter eas, quae sunt de illorum monasteriorum, seu locorum familia) personae tam regulares, quam saeculares huiusmodi curam exercentes subsint immediate in his, quae ad dictam curam, et Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi, et correctioni Episcopi* (1). Dum Synodus Episcopo *immediate* subesse Regulares heic renunciat: eos aperte declarat subiectos *ordinariae* iurisdictioni dioecesanae, quam suo iure ex communi canonum dispositione cum habeat Episcopus, nullo apostolicae delegationis beneficio indigens (2), Vicarius Capitularis etiam Sede vacante potest idcirco exercere (3). Consequens hinc est Regularibus non licere curam animarum suscipere sine consensu, et adprobatione Episcopi (4): Parochi autem religiosi monasteriorum exemptorum iure cogantur ad Synodum dioecesanam accedere, decreta Episcopi curam spectantia exequi, ab eoque apostolica mandata, et iubilaea itidem accipere (5), delinquentes ab Episcopo ipsorum vitam, et mores cognituro canonicis poenis plectantur etiam depositione ab officio parochiali (6).

XLII. Ab isthac regula specialim excepit ipsa Tridentina Synodus mo-

(1) Trid. in *cap. in monasteriis 11. sess. 25. de Regularibus.* Idipsum antea constituerat Urbanus II. in *can. sane quia 6. C. XVI. qu. 2.*, Alexander III. in *cap. cum et plantare 3. §. in Ecclesiis de privilegiis*, Innoc. IV. in *cap. 1. de verb. sign. in VI.*, Bonif. VIII. in *cap. per exemptionem 9. de privileg. in VI.* Leo X. in Conc. Lateranensi an. 1516. *sess. 11. to. 14. Conc.* collect. Labb. Capellanos etiam Religionis Hierosolymitanae curam animarum exercentes hac Tridentina lege obstrictos declaravit S. Pius V. *const. 104*, et Greg. XIII. *const. 225. §. 5.* Parochos item Regulares Indiarum occidentalium, et orientalium, Benedictus XIV. *const. laetiora 1. to. 2.* Bullarii.

(2) Id quod observat Fr. Florens in *comm. ad lib. 1. decretal. initio tit. de Officio* Ordinarii, et luculenter commonstrat D. Ildephonsus Clemente de Arostegui in *Concord. Pastorali cap. 10.*

(3) Ex iis, quae iam exposui superiori *lib. 1. tit. XXVII. num. III. num. IV., et V.*

(4) Ex traditis a Benedicto XIV. in *const. firmandis 109. num 11. to. 1. Bullarii pag. 435. Nullus monachorum parochias Ecclesiarum accipere praesumat sine consensu Episcopi. De ipsis vero titulis, in quibus constituti fuerint, rationem Episcopo, vel eius Vicario reddant, et convocati ad Synodum veniant*, decrevit Conc. Moguntinum *an. 847. cap. 14. to. 5.* collect. Harduini.

(5) Ex decreto S. Congr. Conc. in Passaviensi iurisdictionis 1. Octobris 1661., apud Benedict. XIV. *lib. 3. de Syn. Dioec. cap. 1. num. 10.* Si quando aliud Superiores Regulares, aliud Episcopus dioecesanus decreverint quod ad parochialem curam: executioni demandanda tunc esse decreta episcopalia, pluries respondit eadem S. Congr. apud eumdem *cit. lib. 3. cap. 7. num. 4.*

(6) Bened. XIV. *cit. const. 109. num. 8., et 11. to. 1. Bull.*

nasterium *Cluniacense cum suis limitibus*, eaque simul monasteria, seu loca, *in quibus Abbates Generales, aut Capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent:* illa insuper alia, *in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores iurisdictionem episcopalem, et temporalem in Parochos, et parochianos exercent: salvo tamen eorum Episcoporum iure, qui maiorem in praedicta loca, vel personas iurisdictionem exercent* (1). His enim casibus Regulares etiam quoad curam animarum eximuntur ab Episcopi iudicio, visitatione, et correctione (2).

XLIII. Quum Sacramentorum administratio sit praecipuum curae spiritualis officium, Gregorius XV. praevio S. Congregationis Concilii vote declaravit, ut perinde Regulares, ac saeculares quomodolibet exempti, qui cum cura, vel sine cura animarum Sacramentum aliquod saecularibus personis Episcopo aut permittente, aut inscio ministraverint; in his, quae ministerium eiusmodi spectant, omnimodae iurisdictioni, et correctioni dioecesani Episcopi, tamquam Sedis Apostolicae delegati, plane subiiciantur (3). Quoniam ii pacto opus habeant episcopali approbatione ad audiendas saecularium confessiones, privilegiis non obstantibus, et obstringantur episcopalibus casuum reservationibus, iam enucleatum alibi est (4). Eadem ratione Regularium nemini licet absque licentia Episcopi exorcizare (5).

XLIV. Hinc fit etiam, ut delinquentes in celebratione Missarum Regulares, aut episcopalia decreta circa eam rem non servantes ab Episcopis puniantur (6), praesertim si post meridiem sacrum feceriut (7), vel in Sabbato sancto maioris hebdomadae, antequam in cathedrali, vel matrici Ecclesia pulsentur, campanas pulsaverint (8), vel in Oratoriis privatis, aut altare viatico excesserint fines indulti apostolici (9): aut SS. Eucharistiae Sacramentum sine licentia Episcopi exponant publice in propriis etiam Ecclesiis (10), aut Confraternitatum Oratoriis (11).

(1) Trid. in *cit. cap. 11. sess. 25. de Regular.*

(2) Bened. XIV. *ead. const. 109. num. 12.*

(3) Greg. XV. in *const. inscrutabili* an. 1622., quam exscriptam habet, exponitque Fagnanus in *cap. cum capella 16. de privilegiis a num. 18. ad ult.*

(4) *Lib. II. tit. VIII. num. XLV. usque ad LI.*

(5) Bened. XIV. in *const. magno 48. num. 34. tom 3. Bull. pag. 389.*

(6) Ex Trid. *sess. 22.* in decr. *de observ. et evitan. in celebr. Missae*, et Bened. XIV. In *const. magno 48. num. 29. to. 3.* Bullar.

(7) Ex *const.* S. Pii V. die 29. Martii 1566.

(8) Ex decreto S. Congr. Episc., et Reg. 10. Oct. 1563.

(9) Ex Clementis XI. decreto die 15. Decembris 1703., quo declarantur simul abrogata per Conc. Trid. privilegia olim Regularibus concessa utendi altare viatorio.

(10) Ex decreto S. Congr. die 10. Decemb. 1602., quod Regularibus non licere declarat in suis Ecclesiis Sacramentum exponere, nisi ex caussa publica ab Ordinario probanda: at ubi e tabernaculo non extrahatur, inibique velatum sic maneat, ut hostia conspici non possit, licore quidem ex caussa privata.

(11) S. Congr. Episc., et Reg. 14. Nov. 1698., S. Congr. Conc. die 23. Iunii 1629. apud Matthaeucc. *Officialis Curiae cap. 14. num. 6.*, decrevit: Si Confraternitatibus, quae sint in Ecclesiis Regularium, incumbit onus manutenendi

Pariter quod ad Poenitentiae Sacramentum fractores sigilli (1), turpesque sollicitatores (2). Itidem Ordines, Chrisma, Ecclesiae consecrationem, cetera episcopalis ordinis ministeria ab alio, praeterquam dioecesano Episcopo sine speciali Sedis Apostolicae privilegio petentes (3): insuper impedientes Episcopo Sacramentum Confirmationis in parochiali Ecclesia monasterii exempti ministrare (4); aut Pontificalia celebrare, in divinis officiis benedicere populo, ac praedicare (5): quique sacros susceperint Ordines ante legitimam aetatem, temporumque interstitia, et sine praevio Episcopi examine (6).

XLV. Verbi evangelici ministerium Episcopis a Christo Domino praecipue demandatum exemptos itidem Regulares episcopali subiicit potestati (7). Hinc Tridentina Synodus nedum prohibuit Regulares verbum Dei praedicare in sui Ordinis Ecclesia sine benedictione Episcopi, in aliis vero Ecclesiis sine ipsius licentia, sed sanxit etiam, ut *Episcopus eis praedicationem interdicat*, qui errores, aut scandala disseminaverint, et *secundum iuris dispositionem, aut loci consuetudinem procedat*, et ubi sese ii exemptos generali, vel speciali privilegio praetenderint, *tamquam Sedis Apostolicae delegatus* (8). Parochos itidem Regulares curam animarum in Ecclesiis intra dioecesim exemptis exercentes ad praedicandum diebus saltem dominicis, et festis solemnibus

altare, et illius cultum, *Episcopus potest visitare circa ea, quae respiciunt ipsam manutentionem, cultum, et ornamenta altaris, seu Capellae, onera Missarum, divinorumque officiorum inibi celebrandorum, et ea omnia, quae ad obligationem confratrum relationem habent.*

(1) Ex S. Greg. XV. *const. inscrutabili.*

(2) Ex alia eiusdem Greg. XV. *const. universi dominici gregis*, die 30. Aug. 1622.

(3) Ex supradictis *lib. II. tit. X. num. LV.*

(4) Ex decreto S. Congr. Concilii in Brixiensi die 9. Iunii 1559.

(5) Ex decreto S. Congr. Episc., et Regul. die 10. Iunii 1693., iussu Clementis VIII.

(6) Ex Trid. in *cap. nullus 12., et cap. subdiaconi 13. sess. 23. de ref.*

(7) S. Francisci Regula *cap. 9.* vetat suis fratribus, invito Episcopo praedicare. *Quia expresse continetur* in Regula, inquit Nicolaus III. in *cap. exiit qui seminat 3. de verb. sign. in VI.*, *quod fratres non praedicent in Episcopatu alicuius Episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum: nos . . . dicimus quod sicut Regula ipsa protulit, observetur: nisi per Sedem Apostolicam . . . sit concessum, vel ordinatum aliud, vel in posterum concedatur.* Consonant Ordinis Praedicatorum constitutiones.

(8) Trid. in *cap. quia vero 2. sess. 5. de reform.*, et rursus in *cap. praedicationis munus 4. sess. 23. de ref. Nullus*, ait, *saecularis, aut Regularis etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, praedicare praesumat.* S. Pius V. in *const. de profess. fidei facienda* Episcopos declarat posse professionem fidei a Regularibus Concionatoribus exigere, dum praedicandi licentiam concedant, alio tempore secus, Gallemart. *in declar. ad cit. cap. 4. sess. 24. num. 10.* Clemens X. in *const. superna 11.* Cal. Iulii 1670. declarat Regulares suis in Ecclesiis concionaturos teneri ab Episc. dioec. benedictionem petere, *praedicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint*: si tamen Episcopus *contradixerit*, non posse, et contravenientes ab eo, tamquam Sedis Apostolicae delegato puniri: in aliis, quae proprii Ordinis non sunt, Ecclesiis praedicandi licentiam petentes, posse ab Episcopo quoad doctrinam examinari.

cogat censuris ecclesiasticis, aliisve poenis arbitrariis: in monasteriis vero nullius dioecesis Metropolitanus, tamquam Sedis Apostolicae delegatus, negligente regulari Praelato, ipsos ad id compellat (1). Praeterea ad lectionem sacrae Scripturae in monasteriis, ubi commode fieri queat, habendam, Regulares ab Episcopis auctoritate apostolica sunt, et cogendi, et praevio examine adprobandi (2). Huc refertur editio sacrorum librorum interdicta sub anathemate, ac pecuniaria mulcta etiam Regularibus, nisi praecesserit Episcopi examinatio, et adprobatio (3).

XLVI. Usus spiritualis iurisdictionis, quae populi dioecesani regimen, publicumque Dei cultum respiciat, insuper postulat, ut dioecesano Episcopo obtemperent quoque Regulares, eiusque iurisdictionem impedientes ab ipsomet puniantur (4). Hos idcirco Tridentina synodus obstringit ad publicandum, servandumque censuras, et interdicta, et festos dies, quos Episcopus imperavit (5), atque adire pubblicas processiones (6), nisi post Tridentina comitia specialem ab istis exemptionem obtinuerint (7). Utque insolitas imagines, novasque reliquias suis in Ecclesiis, nonnisi ab Episcopo antea recognitas, et probatas, exponant (8). Quod ad sacros ritus, et divina officia, eos cogi servare iussiones episcopales, docet Benedictus XIV. (9), nec non dioecesanas generatim constitutiones vi potestatis, ut aiunt, *directivae*, quamvis a *coactiva* sint exempti (10).

XLVII. Sanctimonialium clausura, ut inviolata conservetur in omnibus monasteriis quomodolibet exemptis, auctoritatem Sedis Apostolicae delegatam Episcopis expresse mandat Synodus Tridentina (11) ad com-

(1) Trid. in *cit. cap. 2. sess. 5.*
(2) Trid. in *cap. eadem 1. sess. 5. de reform.*
(3) Trid. *sess. 4. in decreto de editione, et usu sacr. libr.*
(4) Ex decreto S. Congr. quod probavit Gregorius XIII.
(5) Trid. in *cap. censurae 12. sess. 25. de regular.*
(6) Trid. in *cap. controversias 13. ead. sess. Exempti omnes*, inquit, *tam clerici saeculares, quam regulares quicumque, etiam monachi ad publicas processiones vocati accedere compellantur, iis tantum exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt.* S. Pius V. in *const. etsi mendicantium* an. 1567., hocce decretum in iis tantum processionibus habere locum declaravit, *ad quas secundum consuetudinem antiquam locorum soliti sunt accedere, vel quae pro bono pacis Ecclesiae, vel pro victoria contra infideles indicuntur.* Tum S. Congr. Concilii die 9. Martii 1592. Archiep. Neap. rescripsit ad processiones pro Romani Pontificis electione, utpote pro bono publico indictas, Regulares omnes etiam exemptos teneri, et compelli posse. Ipsos item Neapoli consuevisse in aliis etiam processionibus pro dioecesanae Synodo apertura, pro iubilaeis, pro pace inter christianos Principes, opeque divina contra invasiones Turcarum imploranda, convenire contestantur diaria Magistr. Caeremon.

(7) Greg. XIII. in *const. quaecumque*, die 16. Iulii 1567. Iesuitas a cunctis processionibus quavis caussa indicendis exemit, simul, et alios quoslibet Regulares, quorum monasteria ultra dimidium milliare passuum ab Ecclesia processionem inchoatura distent.

(8) Trid. *sess. 25.* in decr. *de invocat., et venerat. Sanctor.*

(9) Benedict. XIV. in *const. annus qui 3. num. 13. tom. 3.* Bullar. *pag. 40.*

(10) Idem in *const. gravissimo 12. num. 3., et seq. cod. to. 3. pag. 110.*

(11) Trid. in *cap. Bonifacii VIII. constitutionem 5. sess. 25 de regular., et monial.*, Benedictus XIV. *cit. const. gravissimo 12. num. 3.*

pescendos censuris, aliisque poenis, appellatione postposita, inobedientes, atque in clausuram peccantes. Hinc Regulares cum monialibus in monasterio Regularibus etiam subiecto collocuturi opus habent licentia Praelati regularis ab Episcopo subscripta (1): atque administrantes monialium bona rationem quotannis Episcopo reddere, qui eos ex caussa probabili poterit administrationis officio privare, nisi Regularis Superior ab Episcopo monitus amoverit (2). Confessarii vero quum ordinarii, tum extraordinarii monialium Regularibus subiectarum nequeunt sine speciali Episcopi adprobatione munus obire; et ubi deficiant Praelati regulares, dabit Episcopus extraordinarios, qui ea in re, ut indulgentior sit, commonet Benedictus XIV. (3). At monasteria monialium, quae a Regularibus reguntur, sub eorum cura, et custodia generatim reliquit Synodus Tridentina, dum alia Sedi Apostolicae subiecta Episcopis, tamquam dictae Sedis delegatis gubernanda mandavit (4). Id etiam ut Episcopi servent in Conservatoriis mulierum sine clausura non secus, quam in monasteriis clausurae, monet Benedictus XIV. (5): addens collegia mulierum eiusmodi sine clausura, domusque magistrarum piarum, et virginum Anglicanarum ita ordinariae iurisdictioni Episcoporum fere subesse, ut nulla gaudeant a iuribus parochialibus, et episcopalibus exemptione (6).

XLVIII. Publica demum disciplinae regularis necessitas, utilitasque saepius iudicio Episcoporum aut ordinario, aut delegato subiicit Regulares. Quicumque igitur contendat se per vim, ac metum, alioque vitio vota solemnia irritante professionem inivisse religiosam, velinque inde discedere intra quinquennium: Ordinarius loci una cum Superiore monasterii ea de re iudicabit (7). A suis item Conventibus ultro discedentes absque Superioris licentia in scriptis, etiamsi adire Praelatos maiores praetendant, *ab Ordinariis locorum* tamquam desertores puniendos fore Synodus Tridentina decrevit (8): eoque magis fugitivos, et apostatas, et eiectos incorrigibiles (9). Qui etiam studiorum caussa

(1) Ex decreto S. Congr. iussu Urbani VIII.

(2) Ex Greg. XV. *constit. inscrutabili* de monialibus Regularium curae subiectis.

(3) Benedict. XIV. in *const. pastoralis 56. to. 2.* Bullar. *pag. 477.*

(4) Trid. in *cap. monasteria 9. sess. 25. de regular.*

(5) Benedict. XIV. in *cit. const. pastoralis 56. to. 2.* Bull. *pag. 673.*

(6) Idem in *const. quamvis iusto 7. pag. 61., const. emanavit 11. to. 3.* Bullar. *pag. 96.*

(7) Ex Trid. in *cap. quicumque 19. ead. sess.* 25. Benedictus XIV. in *const. si data 47. to. 2.* Bull. *pag. 395.* idipsum tradit, addens caussam invalidae professionis in gradu appellationis a Metropolitano una cum alio Regulari Superiore, in casu autem discrepantiae ab Sede Apostolica iudicari: tum in gradu restitutionis in integrum post lapsum quinquennii a Sede tantum Apostolica, Eiusque iussu vel in Rotae auditorio, vel alterutra Congregationum, aut Concilii, aut Episc., et Regul., nisi loci Ordinario eam ipsa Romana Sedes delegaverit: nullitatem vero ob tyrocinium in coenobio non expletum a S. Congr. Conc. tantum.

(8) Trid. in *cap. prohibet 4. sess. 24. de Regular.*

(9) Ex decr. S. Congr. Conc. sub Urbano VIII. die 21. Septem. 1624.

ad universitates mittuntur, nisi habiteut in Conventibus tantum, Ordinarios locorum iudices sortiuntur (1). Degens autem regularis quilibet extra monasterium, *si deliquerit*, ab Ordinario loci, tamquam a Sede Apostolica delegato visitari, puniri, et corrigi potest (2). At intra monasterii claustra qui degit, et extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit: eum nisi punierit Superior suus intra tempus ab Episcopo praefigendum, ab Episcopo tunc punietur (3). Quique ob notorium crimen inciderint ipso facto in censuram excommunicationis, ut a dioecesanis vitentur, eo magis poterunt ab Episcopo publice denunciari (4). Monetas qui falsaverint, falsamque expenderint, eos locorum Ordinariis puniendos Urbanus VIII. speciatim sanxit (5). Quique defecerint pias defunctorum voluntates implere, officiaque hospitalitatis, nisi Conventus, *ubi viget regularis observantia*, hospitalis administrationem habeat (6).

XLIX. *In civilibus* etiam *caussis mercedum, et miserabilium personarum Regulares extra monasterium degentes quomodolibet exempti, etiamsi certum iudicem a Sede Apostolica deputatum in partibus habeant: in aliis vero, si ipsum iudicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tamquam ab ipsa Sede delegatis conveniri, et iure ad solvendum debitum cogi ut possint*, Tridentina Synodus decrevit (7). Eos tamen, qui de licentia Superiorum suorum degant extra Conventum, perinde non complectitur hocce decretum (8), atque in coenobio conviventes. Ceterum passivas caussas omnes Regularium civiles hoc in Regno Nuntiaturae Apostolicae tribunal ex receptis moribus passim co-

(1) Ex Trid. in *cit. cap. prohibet.*

(2) Trid. in *cap. Ecclesiarum 3. sess. 6 de ref.*

(3) Idem in *Regular. 14. sess. 25. de regul.* Ex Clementis VIII. *const. suscepti muneris* 18. Martii 1596. adde: *Si Superior huiusmodi Regularem impunitum alia transmittat, in virtute sanctae obedientiae, et sub privatione vocis activae, et passivae ipsum Regularem delinquentem, instante Episcopo, et intra terminum ab Episcopo praefigendum a loco, ad quem transmissus fuerit, revocare, et in quo deliquit, constituere, sive sistere tenetur. Quod si hoc etiam facere praetermiserit, Ordinarius loci, ad quem . . . ab ipso Ordinario loci, in quo deliquit, similiter requisitus, tanquam Sedis Apostolicae delegatus praedictum Conc. Trid. decretum omnino exequi, et in Regularem delinquentem severe animadvertere potest, ac debet.*

(4) Ex cit. Trid. *cap. 12. sess. 25. de Regular.*

(5) Urb. VIII. in *const. in suprema* an. 1627.

(6) Ex Trid. in *cap. 8., et 9 sess. 22. de reform. cap admonet 8. sess. 25. de reform.*, et Bonif. VIII. in *cap. religiosus 2. de testam. in VI.*

(7) Trid. in *cap. in exemptorum caussis 14. sess. 7, de reform.* Bened. XIV. Fr. Bernardo Episcopo S. Pauli in America Lusitana rescribens in *const. Pontificia 7. to. 2.* Bullarii, in memoriam ei revocat, *omnes, et singulos Regulares Episcopo in civilibus subiectos esse, eosdemque Religiosos cuiusvis ordinis et instituti sint, extra claustra degentes, et delinquentes subiectos esse Ordinario loci, uti Sedis Apostolicae delegato, qui eos visitare, punire, et corrigere potest uti conceptis verbis statutum est a Conc. Trid. sess. 6. cap. 3. de ref.* quemadmodum, et translatos de uno ad alium Ordinem, extra claustra novi Ordinis commorantes.

(8) Gallemart. in *declarat.* ad istud *cap. 14. sess. 7.*

gnoscit, ac iudicat (1): quemadmodum et criminales delinquentium extra claustra (2).

L. In parvis praeterea Conventibus Urbanus VIII., et Innocentius X. episcopalem iurisdictionem primi excitarunt. Nam edixit Urbanus anno 1625., monasteria tunc recens erecta, vel erigenda, in quibus actu non cohabitarent, nec substentari possent duodecim de familia, omnimodae iurisdictioni, visitationi, et correctioni Episcoporum subiecta fore (3). Mox Innocentius anno 1652. iam collapsam in exiguis Regularium familiis disciplinam instauraturus, ea cuncta Italiae, Insularumque adiacentium monasteria, hospitia, grangias (4), seu membra coenobiorum, in quibus probam vitae institutionem non servaret paucitas religiosorum, nedum perpetuo suppressit, novasque monasteriorum fundationes sine praevia Sedis Apostolicae, aut S. Congregationis Episcoporum, et Regularium licentia interdixit: sed ea etiam loca religiosa, personasque inibi commorantes omnimodae iurisdictioni cuiusque locorum Ordinarii subiecit (5). Postmodum nonnulla ex iisdem suppressis re cognita cum voto particularis iam dictae Congregationis (6) in integrum

(1) Quod iam innui *lib. 1. tit. XXII. num. XXVII. pag. 369.*

(2) Ex iam dictis *ibidem num. XI. pag. 357.*

(3) Urb. VIII. in *const. Romanus Pontifex*, die 21. Iunii 1625. Antea Clemens VII. in *const. quoniam ad institutam*, an. 1603. iam imperaverat Episcopis, ne cui facultatem nova monasteria suis in dioecesibus instituendi facerent, nisi auditis interesse habentibus, prius agnoverint nullum ea detrimentum aliis iam erectis illatura. Tum Gregorius XV. in *const. cum alias.* an. 1621. sanxit nullum fore construendum aut pro viris, aut virginibus coenobium, nisi tantas, vel opes firmas, vel eleemosynas habeat, quantae sufficiunt duodecim alendis personis.

(4) Grangias dixit Innocentius parvos Conventus, quos Alexander III. *Obedientias* appellat in *cap. cum ad monasterium 6. §. tales de statu monachor.*, et *cellas* Bonifacius VIII. in *cap. privilegium 4. de verb. sign. in VI.* Nunc grangiae vulgo dicuntur praedia, domusque rurales monasterii, quibus praeesse ad agros colendos consuevit unus ex religiosis arbitrio Superiorum delectus.

(5) Innoc. X. in *const. instaurandae 5o.*, edita idibus Octobris 1652. *to. 5.* Bullarii. Singula vero suppressa eiusmodi monasteria in numerato habent litterae S. Congregationis ad id speciatim ab ipso Innocentio deputatae.

(6) Innoc. X. in *const. ut in parvis Regularium virorum conventibus*, seu decreto praefatae Congregationis, quod ipse Pontifex probavit die 10. Febr. 1654., apud Fagnan. eiusdem Congr. Secretarium in *cap. relatum 7. num. 71. ne clerici vel monachi.* Versa vice ipsamet S. Congregatio censuit, die 29. Nov. 1667., *Conventus* numquam *suppressos, in quibus actu degant de familia plures, quam sex Religiosi, minime comprehendi in decreto sa. me. Innoc. X., quod incipit*, ut in parvis; *ac proinde locorum Ordinarios nequaquam posse in vim dicti decreti in huiusmodi Conventibus, aut illorum personis ullam sibi iurisdictionem vindicare*, apud Panimoll. *dec. 84. annot. 2. n. 62.* Cumque Melphictensis Episcopus in visitatione sacrorum liminum quaesivisset, an sibi delegata iurisdictio esset in parvos suae dioecesis Conventus Regularium nunquam suppressos, in quibus non alerentur quatuor sacerdotes; ita ut posset non solum iisdem Conventibus adnexas Ecclesias, sed ipsos etium Conventus, et cubicula, personasque item Regulares inibi commorantes personaliter visitare: S. Congr. Concilii die 3. Aug. 1686. respondit *servandum esse decretum Congregationis super statu Regularium editum die 29. Nov. 1657.*, apud Bened. XIV. *lib. 3. de Syn. dioec. cap. 2. num. 5.*

restituit, concessitque petentibus Religionum Superioribus cum suffragio dioecesanorum Praesulum, ac lege, ut in singulis eiusmodi semel suppressis monasteriis, iterumque restitutis conviverent saltem sex probatae vitae Regulares, in his quatuor saltem Sacerdotes, iique Ordinariis locorum, tamquam Sedis Apostolicae delegatis, quoadusque duodecim personas religiosa familia contineret, omnino subiicerentur. Conventus autem recentiores post diem 21. Iunii 1625. erecti, nisi duodecim de familia reapse alerent ex Urbani VIII. constitutione, Ordinariis quoque locorum subiectionem ferunt: at parva numquam suppressa monasteria antiquiora, in quibus adsint sex religiosi, pristina exemptione fruerentur (1). Hac parvorum Conventuum distinctione sit, ut in suppressis atque ad statum saecularem redactis Conventibus, aut grangiis ius visitandi Ecclesiam, publicumque oratorium solus habeat Episcopus iure ordinario; in personas autem religiosas inibi degentes iurisdictionem ordinariam Praelatus Regularis, delegatam Episcopus exerceant cumulate, at nullam rerum temporalium notionem, pecuniaeve nihil titulo visitationis liceat Episcopo suscipere (2): parvos autem numquam suppressos Conventus infra sex religiosos Episcopi iure delegato, Praesul Regularis iure ordinario insimul visitent (3). Quoties promiscua, et cumulata Episcopi iurisdictio concurrat cum ea Praelati Regularis, locus erit praeventionis ut fraudem vero ne faciant Episcopo praevenienti Regulares, nonnulla cavit Alexander VII. (4).

LI. In casibus hucusque expositis nullo pacto poterunt Regulares iurisdictionem aut ordinariam, aut delegatam Episcoporum declinare: quum sua reformationis Regularium decreta Patres Tridentini fore adamussim observanda caverunt, *non obstantibus eorum omnium, et singulorum privilegiis, sub quibuscumque formulis verborum conceptis, ac* mare magnum *appellatis, etiam in fundatione obtentis, nec non constitutionibus, et Regulis etiam iuratis, atque etiam consuetudinibus, vel praescriptionibus etiam immemorabilibus* (5). Iure hinc merito censuit S. Congregatio Concilii an. 1602., *privilegia etiam in fundationis limine obtenta non esse impedimento, quominus Regulares teneantur, ad observandum, quae in dictis capitulis* sess. XXV. de Regularibus *continentur: propterea quod eiusmodi privilegiis, et exemptionibus etiam in fundationis limine concessis idem Concilium dicto* cap. XXII. eiusdem sess. *disertis verbis derogavit.* (6) (*).

(1) Conc. Aquisgran. an. 817. iamdiu decreverat, in quibuslibet *cellis* Regularium *non minus de monachis ibi habitare debere, quam sex.*

(2) Ex decreto Alexandri VIII. cum voto S. Congr. super statu Regularium 25. Iunii. 1664. (3) Eadem S. Congr. 11. Septembris 1670.

(4) Videsis Fagnan. in *cap. quanto de off. Ordinarii num. 41., et 42.*

(5) Trid. in *cap. haec omnia 22., et ult. sess. 25. de Regular.*

(6) S. Congr. Conc. in Rheatina 26. Aprilis 1602., apud Bellarmin. *in adnot. ad Conc. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 13.* verb. *tam clerici.*

(*) Conventione novissima an. 1818. art. XV. cautum: Religiosi omnes tam mendicantes, quam possidentes in utriusque Siciliae Regno vel existentes, vel restituendi, suis Superioribus Generalibus subditi

TIT. XIII.

De foro exemptorum saecularium et nullius dioecesis.

I. Clerici quoque saeculares instar monachorum studuerunt Ecclesias aliquot, Capellasque ab episcopali iurisdictione eximere peculiari lege fundationis, et censuales Ecclesiae Romanae facere, praesertim XI. adhinc saeculo.

II. Canonicam vel personarum, vel Ecclesiarum exemptionem non Episcopi, sed Romana tantum Sedes indulgendi ius habet privilegio aut expresso, aut ex legitima praescriptione praesumpto.

III. Ultra expressos in privilegio fines exemptio non extenditur.

IV. In rebus dubiis pro episcopali iurisdictione ordinaria contra exemptionem, nisi haec palam ostendatur, iudicandum est.

V. Ex privilegii littera, vel observantia diuturna dignoscere oportet varios fines exemptionis personalis aut localis, aut realis, aut mixtae, plenae, et generalis, aut mutilae, et particularis, perpetuae, aut temporariae.

VI. Personali exemptioni potest exemptus renunciare, non item reali sine adsensu pontificio.

VII. Exempti non alium iudicem ordinarium, nisi Papam, vel pontificios ab eo delegatos habent, hoc in Regno varios.

VIII. Nuntio enim pontificio subsunt Neapolitana Ecclesia cum hospitale regio, et monasterio S. Iacobi Hispanorum, suisque capellanis, et famulantibus clericis, et monialibus.

IX. Simul, et Ecclesia cum adnexo nosocomio, et monte S. M. de Patientia Caesarea.

X. Exemptio ab Ordinariis locorum magistratibus per laicos Principes indulta non excludit dioecesanam Episcoporum iurisdictionem: immediata Regis protectio secus.

XI. In secundo gradu etiam nonnulli exemptorum Praelato suo speciatim subiecti subsunt Nuntio Apostolico, nimirum presbyteri, et clerici famulantes Ecclesiae, et hospitali S. Angeli ad Nidum, omnesque Sedi Apostolicae immediate subiecti.

XII. Inferiores autem Praelati Ecclesiarum exemptarum ordinariam in primo gradu, et quasi episcopalem iurisdictionem exercent ex privilegio, vel personalem, vel localem, vel mixtam.

XIII. Regis nostri Capellanus Maior ordinaria potitur iurisdictione in regios Capellanos, et clericos Capellae palatinae, regiarumque arcium, legionum, triremium, et na-

vium , hospitalium militum , regiarum Audientiarum , Ecclesiarumque regiae collationis beneficiarios , et publicos Professores , famulosque Universitatis studiorum.

XIV. Rector Hospitalis , et Ecclesiae S. Angeli ad Nidum in eiusdem presbyteros , clericos , ministros , et famulos.

XV. Carthusianus Prior , et Conventus S. Martini in presbyteros , clericos , et ministros Ecclesiae Coronae spineae , vulgo Incoronatae in urbe Neapolis.

XVI. Abbas commendatarius S. Antonii Viennensis in Ecclesia eiusdem tituli in suburbio Neapolis , Capellisque plurimis hoc in Regno dicatis eidem Sancto.

XVII. Neapolitano Incurabilium Hospitali , et Ecclesiae , monasterioque S. M. de Populo , nec non Ecclesiae , monasterioque Solitariae inservientes presbyteri , et clerici ob immediatam Regis protectionem exemptione ab archiepiscopali foro fruuntur , certumque non habent Praelatum.

XVIII. Quemadmodum et ecclesiastici quum saeculares , tum regulares inservientes regiae Ecclesiae , hospitioque S. Theresiae in suburbio Plagae Olympiae , regii patronatus Caroli III. nunc Hispaniarum Regis.

XIX. Basilicae regiae S. Nicolai Bariensis presbyteri , et clerici regio eiusdem Priori , tamquam ordinario loci suo subsunt in primo gradu , in secundo autem regiae Curiae Capellani Maioris.

XX. Ex multis Romanorum Pontificum , nostrorumque Regum privilegiis.

XXI. Quemadmodum et Rhegiensis Clerus regiae Ecclesiae S. M. Catholicae in Calabria citeriori subditus Protopapae regio.

XXII. Nec non beneficiarii abbatialis regiae Ecclesiae S. Petri ad Curtim Abbati suo subiecti , de iurepatronatus Ducum Montiscalvi.

XXIII. Abbas autem infulatus Ecclesiae S. Bartholomaei terrae Paduli causas civiles , et mixtas Cleri sui in primo gradu iudicans subest dioecesano Archiepiscopo Beneventi , earumdem caussarum iudici ordinario in secundo gradu.

XXIV. Sicubi graeci cum latinis insimul adsint cum duobus Episcopis graeco , et latino , graecus in graecos , latinus in latinos iurisdictionem exercent ordinariam. Hoc tamen in Regno Italograecus Episcopus in Calabria institutus ad sacra ritus graeci ministeria ordinariam non habet iurisdictionem in graecos latino cuiusque dioecesis Episcopo subditos.

XXV. Aegyptiorum vero , et Cophtorum iudex ordinarius nunc est Episcopus Hierosolymitanus.

XXVI. Hoc item in Regno multi sunt Praelati nullius dioecesis cum territorio separato, ordinariam, et quasi episcopalem habentes iurisdictionem in Clerum, et popolum.

XXVII. Monachis activam tardius iurisdictionem adeptis, Benedictus XIV. iure declaravit Monasterio S. Stephani Ordinis S. Benedicti Religioni Hierolymitanae unito cum Ecclesiis, et Capellis oppidi Putiniani nullam in Clerum, et populum Putiniani iurisdictionem quaesitam, eamque ad Episcopum Cupersani pertinere.

XXVIII. Idipsum pro Episcopo Miletensi contra Equites Hierosolymitanos Melicuccae, ac Drusii commendatarios decretum est anno 1743.

XXIX. Pro cuiusque dioecesani Episcopi ordinaria iurisdictione iudicatur, quoadusque Praelatus inferior eam expresso privilegio quaesivisse in territorio separato vere nullius dioecesis ostenderit.

XXX. Casinensis Abbas quasi episcopalem iurisdictionem eiusmodi cum territorio separato in Clerum, et populum XXVIII. oppidorum procul dubio habet.

XXXI. Et Cavensis Abbas SS. Trinitatis episcopali dignitate olim auctus, quae tandem ei adempta in Episcopum Cavensem saeculo XVI. transiit.

XXXII. At Neritonense coenobium eiusdem ordinis in cathedram episcopalem, suppressa regularis Abbatis dignitate, versum est anno 1413.

XXXIII. Monasteria sunt quoque plura, Abbatiaeque regulares, ordinariam, et quasi episcopalem iurisdictionem cum territorio separato habentes, quae in commendam clericis saecularibus ab Apostolica Sede conferuntur. In his Beneventanum S. Sophiae Monasterium.

XXXIV. Tum Abbatia, et monasterium S. Angeli Fasanellae a Caputaquensi dioecesi avulsum, et separatum.

XXXV. Abbas item Farfensis, et S. M. Maioris Urbis nedum in Romana provincia, sed hoc etiam in Regno quasi episcopalem iurisdictionem in plurium locorum Cleros, et populos habet.

XXXVI. Monasterium S. Vincentii ad fontes Vulturni Ordinis S. Benedicti olim commendatum, postea Patribus Casinensibus restitutum est, cum iurisdictione ordinaria in multis locis ab Aeserniensi dioecesi separatis.

XXXVII. Alia vero monasteria olim commendata, deinde suppressa, atque in statum saecularem redacta nunc habet Vaticana S. Petri Basilica, eiusque Archipresbyter Cardinalis cum

plena iurisdictione ordinaria in locis permultis huius etiam regni.

XXXVIII. At Lateranensis Basilica ordinariam, dioecesani vero Episcopi delegatam iurisdictionem in Ecclesiis in solo Lateranensi fundatis sine territorii separatione simul obtinent.

XXXIX. Ex lege fundationis etiam hoc in Regno quasi episcopalis iurisdictio cum territorio separato data est in saecularibus Ecclesiis, et locis Archipresbytero Altimurano, et Abbati Altavillae collationis regiae.

XL. Eamdem diu habuit religiosus Balneariae Prior Ordinis Praedicatorum, nunc demum e Clero saeculari ad regiam nominationem institutus.

XLI. Abbatissa insuper hoc in Regno una Monasterii virginum Cupersani insigniis utens abbatialibus ordinaria quasi Episcopi iurisdictione in Castellanae Clerum, et populum adhuc potitur.

XLII. Variis tot exemptionibus humano iure inductis institutam divinitus potestatem Episcoporum non destrui plura commonstrant.

XLIII. In locis cum territorio seperato subiectis Praelato inferiori nullius dioecesis, nec ordinariam, nec delegatam exercent iurisdictionem Episcopi, praeterquam functiones Ordinis episcopalis.

XLIV. Has debent exempti expetere a dioecesano, aut viciniori Episcopo, nisi privilegium apostolicum post comitia Tridentina aliud imperaverit.

XLV. Nullius Praelati inferioris commemoratio in precibus liturgicis, et collectis, umquam permittitur.

XLVI. Visitant etiam Episcopi exemptas eiusmodi Ecclesias iure tantum delegato, et gratis omnino.

XLVII. Ceteri exempti Praelatum inferiorem, Ecclesiamque nullius habentes in dioecesi episcopali, subsunt in multis iurisdictioni etiam ordinariae Episcopi dioecesani.

XLVIII. Ad classem hanc putatur Ecclesia Archipresbyteralis S. Petri ad Scafatum in dioecesi Nolana pertinere.

XLIX. Ecclesia ista, et Monasterium S. M. Regalis vallis ab ea parum distans, utrum in Sarnensi, an Nolana sint dioecesi, sunt qui adhuc dubitant.

L. Praelatorum inferiorum iurisdictio in exemptos intra episcopales dioeceses varia ex peculiari cuiusque privilegii litteras suos accipit limites.

LI. Non absurda Patribus visa est isthaec iurisdictio partialis, nec generalem uniuscuiusque Episcopi monstrosam efficere.

LII. Personalem ex honorariis titulis exemptionem abolere synodus Tridentina censuit.

LIII. In criminalibus tantum caussis, non item in civilibus. Hoc tamen in Regno Protonotarii ad honores tantum tolerati nulla fruuntur exemptione.

LIV. At plena gaudent exemptione duodecim participantes Collegii Protonotariorum vetustissimi.

LV. Quemadmodum et Capellani, clericique regii Capellano Maiori suo ipsorum Ordinario Praelato subiecti omnimodis.

LVI. Oblati monasteriis, et militaribus, ac religiosis Ordinibus inservientes, nonnisi ubi regularem in claustro vitam agant, exemptionem obtinent.

LVII. Simul et Curiales Romani, Officiales Papae, familiaresque Cardinalium veri, tum Officiales Nuntiaturae Apostolicae. Honorarii autem officiales, deputatique iudices contra simoniacos iam exoleverunt.

LVIII. Personalis exemptionis privilegium in caussis criminalibus nemini fere suffragatur.

LIX. Pius IV. privilegia exemptionum omnia ad reformationis Tridentinae normam redegit.

LX. Indulta post Tridentinum privilegia ex peculiaribus eorumdem litteris strictam accipiunt interpretationem.

I. Exempla monachorum secuti clerici quoque saeculares, ut iugum Episcopi dioecesanum exculerent, aliquot Ecclesias, Capellasque ambierunt in limine fundationis primum Romano Pontifici subiicere, tum ex intervallo itidem facere censuales Romanae Ecclesiae. Hoc in Regno Vulturariensis Episcopus Arderadus anno 1057. Ecclesiae S. Stephani a Petro presbytero, alteroque Petro Ioannis filio fundatae privilegium libertatis ex voluntate fundatorum indulsisse fertur ab Ughellio (1). Quum Alexander III. non monasteria solum, sed Ecclesias generatim censuales Romanae Sedis memoravit in Episcopatu Novariensi Italiae (2), ac liber censuum cameralium sub Coelestino III. editus (3), et monasteria, et Ecclesias complectatur: sat liquet ad saeculares etiam clericos exemptionem a dioecesanis, immediatamque Sedis Apostolicae protectionem propagatam speciali fuisse privilegio. Speciali inquam, propterea quod clerici, et laici per generales litteras apostolicae protectionis ab Episcoporum suorum potestate minime subtrahuntur (4).

II. Episcopo quidem potestas non est personas, Ecclesiasve suae dioe-

(1) Ughell. *to. 8. de Vulturariens. Episc. pag. 550.*
(2) Alex. III. in *cap. recepimus 8. de privilegiis.*
(3) De hoc *libro censum* videsis dicta superius *tit. XII. n. XXVI.*
(4) Decretal. Innoc. III. ad Auson. Episc. in *cap. ex parte tua 18. de privilegiis*, et Bonif. VIII. in *cap. si Papa 10. eodem tit.*

cesis communi, publicoque iure sibi subiectas eximendi ex sese (1). Nam Innocentius III. remissionem iurium episcopalium ab Episcopo Faventino factam non valere sane rescripsit (2): Episcopumque successorem ea non obligari (3) Fons itaque omnium exemptionum in Ecclesiis praesertim Occidentalibus non alius, nisi Romanus Pontifex agnoscitur, cui soli fas est communibus Ecclesiae legibus, statutisque Conciliorum oecumenicis per dispensationem canonicam derogare, praeterea nemini (4): quum omnes catholici iugum B. Petri, eiusque Successorum aequo animo, piaque devotione ferant (5). Fit exinde, ut exemptio canonica nequeat sine *privilegio* Sedis Apostolicae, aut legitima *praescriptione*, quae urgentem parit privilegii coniecturam, obtineri (6).

III. Quum vero privilegium *privata* sit *lex* (7) ab lege communi declinans, sive *ius singulare contra tenorem rationis* (puta Iuris communis) *propter aliquam utilitatem auctoritate constituentium introductum* (8): quidquid eo indulgetur, implendum sane est, ut ne fiat inane, quod *valere potius, quam perire debet* (9). Verumtamen plus aequo, et ultra, quam sonat privilegii littera singularis, eiusmodi concessio non extenditur de casu ad casum, neque de persona ad personam (10). *Quod* enim *contra* communes regulas *Iuris receptum est, non est producendum ad consequentias* (11): sed intra limitatos ipsius privilegii fines continendum strictissime, quos ultra, citraque generalis regula vigebit.

IV. Putatur idcirco Episcopus habere fundatam in iure (hoc est ipso iure satis probatam) intentionem ordinariae potestatis exercendae in

(1) Abbas in *cap. cum venerabilis de censib. num. 3.*, et Fagnan. in *cap. veniens de transact. num. 25.*, Benedictus XIV. in *const. caussarum 40. to. 2.* Bullarii.

(2) Innoc. III. in *cap. cum venerabilis 21. de censibus.*

(3) Idem ad London. Archiep. in *cap. quia circa 22. de privilegiis.*

(4) *Cap. cum inferior 16. de maiorit., et obed. cap. canonum statuta 1. de constit., et can. praeceptis apostolicis 2. dist. 12.*

(5) Sicuti Gratianus docet ex Capitularibus Caroli M. in *can. in memoriam 3.*, et epistola B. Leonis M. ad Episc. Vienn. in *can. ita Dominus 7. dist. 19.*

(6) Bonifacius VIII. in *cap. cum personae 7. de privilegiis in VI.*, Rota Rom. *dec. 221. num. 3., et 4. par. 13. rec.*

(7) *Cap. Abbate 25. de verb. sign.*

(8) Ex Paulli definitione in *l. ius singulare 16. D. de legibus.*

(9) Ex Innoc. III. decretal. in *cit. cap. Abbate 25.*

(10) Innoc. III. in *cap. ex ore 17. de privileg.* Bonif. VIII. in *cap. per exemptionem 9. de privilegiis in VI. Si enim Canonici*, ait, *alicuius Ecclesiae eximantur: ipsi soli Canonici, non autem Ecclesiae, vel alii eius clerici sunt exempti. Si tamen clerici cuiusvis Ecclesiae eximantur, tunc tam Canonici, quam alii clerici eximuntur, non tamen Ecclesia, nisi aliud in exemptionis privilegio exprimatur.* Idemque in sequenti *cap. si Papa 10. eod. tit.* postquam explicuit varias privilegiorum formas, et clausulas ad extremum declarat, exemptos in casibus, quos privilegium exprimit, *Ordinariorum iurisdictioni quantum ad alia* fore subiectos.

(11) Ex Paulli sententia in *l. quod vero 14. D. de legibus*, et Bonif. VIII. in *cap. quae a Iure communi 28. de reg. Iur. in VI.*

cunctas Ecclesias, personasque suae dioecesis, atque in dubio manutenendus fere in ea est (1): nisi quicumque se ab illa exemptum contendat, postulans episcopalem forum declinare, antea privilegium exemptionis clarum ostenderit: aut longaevam huius praescriptionem privilegio in coniectura posito aequipollentem rite, ac plene probaverit in termino iudiciario, quem Episcopus, locive Ordinarius debet, quoties exceptio fori declinatoria obiiciatur, impertiri ad probandam eam, quae in quaestione sit, exemptionem, alias locum daret appellationi (2). Et ubi exemptionis titulus patebit, aut longaeva possessio libertatis cum fama tituli, hanc Episcopo turbare non licet: quum episcopale ius ordinarium adversis probationibus vel extenuatum, vel elisum vim amiserit suam (3).

V. Variantium at exemptionum indole odiosa, et restricta quum exempti privilegiorum suorum transgredi metas iure merito prohibeantur (4): diversas earum species ipsissima privilegiorum verba tutius indicabunt, *personalis* ne, an *localis*, aut *realis*, aut *mixta*, an *plena*, et *omnimoda*, aut *mutila*, et *particularis*, an *perpetua*, vel *temporaria* exemptio sit concessa. *Personalis* exemptio nullo circumscripta loco sequitur personas, ubilibet ipsae delinquant, contrahant, remve habeant controversam (5). *Localis*, quae scilicet alicui Ecclesiae speciatim sit indulta, ad personas extra locum exemptum contrahentes, delinquentes, rem, aut beneficium possidentes non extenditur (6), neque ad aliam Ecclesiam (7). *Realis* duplex: altera enim res Ecclesiae, aut monasterii temporales a iure dioecesano eximens ad res spirituales, alias-

(1) Ex textu Bonif. VIII. in *cap. cum personae 7. de privil. in VI.*, Benedictus XIV. in *const. inter multa 33.*, *et const. caussarum 40. to. 2.* Bullarii *pag. 351.*, *satis erat*, inquit, *Curiae episcopali, ut adversarium vinceret adsistentia iuris, cuius favorem pro iurisdictione Episcopi in tota sua dioecesi canonicae sanctiones stare voluerunt.*

(2) Glossa in *cit. cap. cum personae verb. competentem lit. g.*

(3) Rota *dec. 566. num. 1. par. 5. rec. to. 2.*, Tamburrin. *de iure Abbatum to. 1. disp. 15. qu. 8. num. 6., et 10.*

(4) Alex. III. in *cap. porro 7. de privilegiis.*

(5) De hac loquitur Innocentius IV. in Conc. Lugdun. *cap. volentes* 1. §. *in eos de privileg. in VI. In eos autem*, ait textus, *quibus ne interdici, suspendi, vel excommunicari a quoquam valeant, a Sede Apostolica est indultum; sicut sunt religiosi quamplures, in quorum privilegiis continetur, ne quisquam Episcopos, vel Archiepiscopus monasteriorum suorum monachos pro ulla caussa, ullove* loco *interdicere, suspendere, vel excommunicare praesumat; iidem Ordinarii iurisdictionem suam quantum ad ista, ubicumque illi fuerint, penitus exercere non possunt.*

(6) Huc spectat illud Innocentii III. responsum in *cap. quoniam 21. de privileg.* Privilegium monasterio indultum, *ut nullus Episcopus* Ecclesias *utroque iure illi subiectas interdicto supponere . . . praesumat . . . intelligendum videtur*, ait, *de monachis, aut clericis in ipso monasterio permanentibus, vel ad Ecclesias destinatis.*

(7) Innoc. III. in *cap. ex ore sedentis 17. de privileg.* ea exemptione, quae principali coenobio indulta fuerat, nequaquam gaudere subiecta ei membra, et loca, rescripsit.

que praerogativas Episcoporum non protrahitur (1): altera Ecclesiae, aut dignitati, non personis concessa transit ad quoslibet in Ecclesia successores, aut Dignitatem ipsam obtinentes: quum personalis non Ecclesiae, aut Dignitati, sed benemeritis personis tributa eas non transiliens cum iis ipsis extinguatur, et pereat (2). Hanc ob caussam *localis* exemptio appellari etiam *realis* consuevit. *Mixta*, quae nimirum alicuius Ecclesiae personis respectu ipsius Ecclesiae, eiusque rerum indulgetur, pro aliis rebus, ac locis minime suffragatur (3). Quum vero exemptio Ecclesiae concessa Canonicos una, et clericos ipsius faciat exemptos; at exemptio Canonicis, clericisque indulta Ecclesiam eorum non eximat (4): hanc ob rem videtur *mutila* esse quum personalis, tum particularis rerum exemptio, eaque magis deminuta, quam localis et mixta, quamvis inspecta loci restrictione personalis usum habeat locale ampliorem. Quae tandem cuncta Ecclesiae loca, personas, caussas, et res omnes a dioecesanis oneribus, et episcopali iurisdictione subtrahit generatim; haec merito *plena*, et *omnimoda* exemptio dicitur: istaque nunc fruuntur universi Regularium Ordines ex privilegiis recentioribus, quemadmodum et Praelati nullius dioecesis, eorumque subditi separatum a dioecesibus episcopalibus territorium incolentes.

VI. Inter personalem *extinguibilem*, realemque *perpetuam* exemptionem differentia efficit etiam, ut exemptus quisque suo personali privilegio valeat sponte sua renunciare (5), forumque ordinarium, cui sublata exemptione subesset, prorogare (6), illudque contrario actu, vel unico amittat (7). Ecclesiae vero exemptae privilegia realia sine adsenso Romani Pontificis, cui ea speciatim subest, nullius renunciatio-

(1) Ex antedictis *tit. XII. num. XIII., et seq.*

(2) Perpetuam *realis* exemptionis stabilitatem indicat S. Leo M. ad Martianum Augustum in *cap. privilegia 2. C. XXV. qu. 2.* haec scribens, *privilegia Ecclesiarum, et monasteriorum auctoritate sanctorum Patrum instituta nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari.* Extinguibilem *personalis* naturam comprobat Innoc. III. in *cap. cum accessissent 8. de const.*, ibique glossa.

(3) Innoc. III. in *cap. Cum Capella 16. de privileg.* rescripsit Canonicos, et Capellanos aulicae Capellae Ducis Burgundiae apostolico exemptionis privilegio potituros, *in quantum exempti sunt*, inquit, *eiusdem ratione Capellae: sed in quantum ratione parochialium Ecclesiarum, vel alias iurisdictionem episcopalem respicere dignoscuntur*, officio, et potestati Episcopi subesse. *Mixta* generatim esse privilegia Regularium ratione loci monasteriorum exempti, regularisque disciplinae, commonet Fagnanus in *cap. tuarum num. 13., et 81. de privilegiis*, et Card. Petra *in comm. ad const. 1.* Paschalis II. *num. 32.*

(4) Bonif. VIII. in *cap. per exemptionem 9. de privileg. in VI.*

(5) Innoc. III. in *cap. ad apostolicam 16. de regularibus.*

(6) Rota *dec. 165. num. 28., et dec. 306. num. 5. par. 6. rec.*

(7) Innoc. III. in *cap. cum accessissent 8. de constitut.* statum auctoritate Sedis Apostolicae firmatum pro Canonicis Tullensibus esse in suo robore permansurum rescripsit, *nisi postea dicti Canonici contravenerint.* Hoc in verbo glossa monet, quod *privilegium unico actu perdatur.* Itidem ex B. Gregorii M. sententia in *can. privilegium 63. C. XI. qu. 3.*, et Innoc. III. in *cap. contingit 45. de sent. excomm. privilegium omnino meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate.*

ne, aut consensu, aut patientia summoventur (1): sed canonica tantum longaeva praescriptione (2). Hinc realem potius exemptionem, quam personalem fere in dubio aestimandam, Doctores putant (3).

VII. Ab ordinario Episcoporum foro dioecesano quum subtrahant exemptos, eosque Apostolicae Sedi speciatim subiiciant privilegia exemptionis: Ordinarium idcirco iudicem ii omnes Papam proculdubio sortiuntur (4), universalis Ecclesiae caput unum, cui omnem humanam creaturam subesse postulat salutis necessitas (5). *Quoniam* vero *privilegia, et exemptiones,* ait Synodus Tridentina, *quae variis titulis plerisque conceduntur, hodie perturbationem in Episcoporum iurisdictionem excitare, et exemptis occasionem laxioris vitae praebere dignoscuntur* (6): ne, dum Roma consulitur, divina humanaque iura ab effroenis hominibus expugnentur, necesse fuit, ut exemptis quibusque saecularibus, non secus, quam Regularibus, suos in partibus iudices daret Apostolica Sedes, ipsorum caussas in tempore cognituros, et prompta facturos in diem iudicia. In hoc propterea Neapolitano regno varium exempti forum proprium habent quum in primo, tum secundo gradu pro diversis exemptionum privilegiis: alii nempe Nuntium pontificium, alii regium Capellanum maiorem, alii suum Ecclesiae Praelatum inferiorem, nonnulli Curiam Romanam immediate.

VIII. Ecclesiastico Nuntii Pontifici foro subsunt inter alias ex gr. Neapoli Ecclesia, et Hospitale regium S. Iacobi Hispanorum cum suis Capellanis, ceterisque inibi famulantibus, duoque monialium monasteria SS. Conceptionis, et B. M. Magdalenae, eiusdem Hospitalis aere fundata. A Prorege Petro de Toledo cum adsensu Pauli Papae III, et placito Caroli V. Imperatoris istud fundatum, primumque lapidem a Thoma Caracciolo, Capuae Archiepiscopo, et Capellano Maiori positum

(1) Innoc. III. in *cap. cum tempore 5. de arbitris*, et *cap. cum venissent 2. de in integr. restit.* Benedictus XIV. in *const. ad supremum 46. §. 27. to. 4.* Bullarii iure hinc merito declaravit officiales, et ministros Romani Tribunalis S. Inquisitionis foro suo non posse nec tacite, nec expresse ideo renunciare, quod non personis eorum, sed tribunali sit utique indultum.

(2) Idem in *cap. accedentibus 15. de privilegiis* rescripsit privilegium realis exemptionis ab onere decimarum Templariis non suffragaturum, si *per quadraginta annos . . . contra indulta privilegia decimas solverint.* Glossa in *cit. cap. cum accessissent* verb. *contravenerint* hisce versiculis discrimen istud exponit. *Privatam legem tollit contrarius actus,*

Si personalis *sit*: *si patet esse* realis,
Tunc non perditur, nisi praescripsisse probetur.

(3) Erasmus a Chokier *de iurisd. Ordinar. in exemptos par. 1. qu. 6. n. 6.*

(4) *Cap. si Papa 10. de privileg. in VI.* cum concord., et glos. in *cap. auctoritate 4. eod. tit.* verbo *Sedis Apostolicae. lit. 1.*

(5) Bonif. VIII. in Extravag. *unam sanctam 1. de maiorit, et obedient.*, et Conc. Parisiens. in *can. nulla ratione 8. dist. 93.*

(6) Trid. in *cap. quoniam privilegia 11. sess. 24. de reform.*

anno 1540. ferunt scriptores (1). Aliunde liquet ab eo Prorege Petro de Toledo fuisse de licentia Clementis VII., et Carolo V. mandante extructum, pro pauperibus Nationis hispanicae sub apostolica, et regia protectione (2). Hanc *Ecclesiam, et hospitale, eorumque Capellanos, ministros, ceterasque personas, res, et bona mobilia, et immobilia praesentia, et futura ab Archiepiscopi Neapolitani pro tempore existentis, et quorumcumque aliorum Ordinariorum etiam, tamquam dictae Sedis delegatorum, eorumque Vicariorum, et officialium iurisdictione, correctione, visitatione, superioritate, et dominio, auctoritate apostolica penitus, et omnino perpetuo* exemit, et liberavit, suaeque Sedi Apostolicae immediate subiecit Gregorius XIII. anno 1584. idemque simul indulsit *magistris, et gubernatoribus dicti hospitalis regii* facultatem aedificandi prope ipsum hospitale regium *duo monasteria monialium*, unum videlicet sub *Conceptionis B. M. V.* pro virginibus, et matronis honestis, alterum vero *convertitarum* nuncupanda sub *B. M. Magdalenae* invocationibus pro mulieribus impudicis, et poenitentibus, cum privilegio protectionis Apostolicae immediatae, eaque duo monasteria, *quod ad spiritualia tantum curae, visitationi*, et correctioni Ministri Generalis Ordinis fratrum minorum de observantia subiecit (3). Dein Xystus V. petitionibus Petri Ossunae Ducis Proregis de mandato Philippi II., et gubernatorum regii eiusdem hospitalis, et Ecclesiae annuens Nuntium Sedis Apostolicae perpetuo deputavit in iudicem, *qui tamquam dictae Sedis delegatus per seipsum, vel per alium ab eo subdelegatum, seu subdelegandum in omnibus, et singulis ac quibuscumque caussis litibus, et controversiis, differentiis civilibus, et criminalibus, spiritualibus, et temporalibus, ecclesiasticis, et profanis, realibus, et personalibus, meris, et mixtis omnium, et singulorum procuratorum, presbyterorum, diaconorum, et subdiaconorum, et aliorum clericorum, ceterorumque servientium ecclesiasticorum, ac aliorum ministrorum, et personarum etiam regularium praesentium, et futurorum Hospitalis regii, et Ecclesiae, ac monasteriorum praedictorum ex quibuscumque criminibus, excessibus, vel inobedientiis, ac super quibuscumque materiis, occasionibus, bonis, rebus, iuribus, actionibus, vel praetensionibus tam active, quam passive, vel mixtim... quavis occasione, vel caussa motis.... ac movendis... cum omnibus, et singulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, adnexis, et connexis... summarie, simpliciter, et de plano, ac sine strepitu, et figura iudicii, sed sola facti veritate inspecta, et manu regia audire, cognoscere, decidere, et sine debito terminare libere, et licite valeat, et debeat.... et quod explo-*

(1) Caesar Eugenii Caraccioli in *Napoli sacra pag. 529.*

(2) Id compertum habeo ex Bulla Xysti V., data die 3. Iulii 1585. quae servatur in archivo Eccl., et hosp. S. Iacobi Hisp. Neap., eiusque transumpta in archivis quum Nuntiaturae Apostolicae, tum Curiae Archiepisc.

(3) Hanc Gregorii XIII. bullam, quae item in archivio antedicto custoditur memorat, firmatque Xystus V. *loc. cit.*

ratio voluntatis monialium, seu puellarum, ac mulierum, quae in dictis monasteriis ... profiteri volent.... non ad Ordinarium loci , sed ad solum Ministrum Generalem Ord. fr. min. de obs. , et ipso absente ad Ministrum Provincialem eiusdem Ordinis, una cum Nuntio praedicto omnino spectet , et pertineat : qui Minister generalis , et in eius absentia Minister Provincialis huiusmndi omnia alia spiritualitatem dictorum monasteriorum concernentia gerere... possit, et debeat. Dictus autem Nuntius omnibus, et singulis Confessoribus, et Capellanis Hospitalis regii, et Ecclesiae , dum ipsi alias ab eorum Ordinariis ad id semel adprobati fuerint , Confessiones omnium, et singulorum magistrorum , et gubernatorum Hospitalis ministrorum, et officialium, aliarumque personarum actu inservientium... nec non pauperum in dicto Hospitale regio... degentium, vel hospitantium utriusque sexus audiendi , ipsosque confitentes absolvendi... licentiam, et facultatem tribuere libere, et licite valeat; Ordinarii loci, vel Parochorum, aut quorumvis aliorum licentia desuper minime requisita... et in dictis Monasteriis, et quolibet ipsorum Capellanos idoneos, et sufficientes , ac ab eodem Nuntio adprobandos , et qui saltem semel antea ab eorum Ordinariis adprobati fuerint, ad eorumdem magistrorum liberam electionem constituere, et deputare (1).

IX. Eodem Nuntii Apostolici foro potitur nosocomium, mons, et Ecclesia S. M de Patientia Caesarea , ab Annibale Caesareo Regii Consilii S. Clarae Secretario fundata in hac etiam urbe Neapolis , quam in ipso fundationis limine sub regia immediata protectione suscepit Prorex Comes de Lemos die 31. Martii 1601. (2). Nam Clemens VIII. pontificiis litteriis eodem anno super ea fundatione datis , *Hospitale , et Ecclesiam huiusmodi*, ait, *illorumque res, et bona mobilia, et immobilia cuiuscumque qualitatis , et quantitatis , ac ubicumque locorum existentia , praesentia , et futura; nec non eorumdem Hospitalis, et Ecclesiae... gubernatores* (quatuor), *administratores, Abbates, presbyteros* (duodecim), *clericos* (sex), *officiales, et ministros praedictos ab Archiepiscopi Neapolitani pro tempore existentis, et quorumcumque aliorum Ordinariorum etiam tamquam Sedis Apostolicae delegatorum, eorumque Vicariorum, ac Officiatium, aliorumque iudicum iurisdictione , correctione, visitatione , superioritate, et dominio, ac computorum, et rationum exactione, et redditione, nec non quarumcumque decimarum etiam per Sedem praedictam quandocumque ex quibusvis caussis imponendarum ; nec non onerum synodalium, et eorum , quae* bonus pastor *nuncupantur , solutione, et praestatione penitus, et omnino perpetuo eximimus , et liberamus: illaque sic exem-*

(1) Verba sunt ipsissima Bullae Xysti V.

(2) Liquet ex regio diplomate leges fundationis adprobante, cuius exemplum habet processus archivi Archiep. Neap. inscriptus : *Patientiae Caesareae nosocomii , Ecclesiaeque erectio P. 77., 7., 10.* Huius regimini praeest cum titulo Protectoris Praesidens S. R. Consilii. Insignem urbis Alexandrinae Ecclesiam hoc itidem Caesareae vocabulo appellatam , quod ibi sonat Caesarum basilicam , fert S. Epiphanius *haer. 69. num. 2.*

pta, et libera dictae Sedi, illiusque Nuntio *in dicta civitate pro tempore residenti subiicimus, et submittimus* (1) (*).

X. Ex rebus ita gestis intelligere licet, quod exemptio ab ordinaria magistratuum saecularium potestate, quam Princeps indulserit, fere non excludat per sese absque privilegio apostolico ordinariam, et dioecesanam Episcopi iurisdictionem (2). Ceterum *si Ecclesiae, de quarum exemptione agebatur, forent illae, de quibus mentio fiebat in privilegio Regum: non esse dubitandum de libertate, et exemptione illarum*, rescripsit Innocentius III. (3). Immediata enim regia protectio, cui ex Tridentino (4), et Concordatis (5) vis est eximendi Ecclesias ab ordinaria dioecesanorum potestate, in rebus non modo temporalibus, sed etiam spiritualibus, totamque iurisdictionem Ordinariis adimendi, praesumitur hanc vicissim Regi reservare, ac tribuere hoc pacto, ut ipsam nemo valeat sine Regis licentia, et voluntate inibi obtinere.

XI. Quaenam in exemptis generatim sit Nuntio delegata iurisdictio, in caussis primi gradus iam alias monui (6). Speciali at privilegio sunt nonnulli exemptorum, qui ordinario suorum Praelatorum iudicio fere subiecti iudicem insuper in nonnullis caussis, et visitatorem sortiti sunt eumdem Sedis Apostolicae Nuntium. Benedictus XIV. Neapolitano Hospitali, Ecclesiaeque S. Angeli a Nido pleno iure exemptis in limine fundationis, speciatim diuturnas cum Archiepiscopo Neapolitano super ea controversias definiturus indulsit, *ut Nuntio Apostolico in civitate Neapolis residenti, tamquam speciali delegato eiusdem S. Sedis, quandocumque liceat, et quoties ei opportunum videbitur, ipsum Hospitale, Oratorium, et Ecclesiam, eiusque Sacristam, seu Rectorem, aliosque tam clericos, vel presbyteros, quam laicos a iurisdictione Archiepiscopi tam ordinaria, quam delegata, ut praefertur*,

(1) Exemplum istius Bullae prostat in eodem processu Curiae Arch. Neap. *fol. 10. ad 16.* Eaque simul indulsit Pontifex Abbati eiusdem Ecclesiae pontificalia insignia, et ornamenta, eam sacrae supellectilis, in qua sacri olei unctio non adhibetur, benedictionem, Ecclesiae pollutae reconciliationem. Abbati praeterea, presbyteris, et clericis propriam Crucem in processionibus divinorumque officiorum celebrationem instar Collegiatae. Item Confessariis ab Ordinario loci, aut Nuntio adprobatis facultatem absolvendi Ecclesiae, et Hospitalis patronos, gubernatores, officiales, ministros, pauperes, aliasque hospitalis personas a quibusvis casibus etiam Ordinario loci, et Sedi Apostolicae quomodolibet in Bulla quoque coenae reservatis in mortis articulo dumtaxat. Fundatori, eiusque successoribus denique iuspatronatus, et praesentandi Abbatem a Sede Apostolica instituendum reservavit.

(*) Inter venerabilia Loca iamdiu sub Militari Regimine in nostro Regno suppressa recense tum regium hospitale, et monasterium S. Iacobi Hispaniarum, tum nosocomium, et montem S. M. de Patientia Caesarea, necnon illud S. Angeli ad Nidum.

(2) Ex traditis a Benedicto XIV. in *cit. const. caussarum 40. num. 29. to. 2.* Bullarii *pag. 349.*, et Innocen. III. in *cap. inter dilectos 6. de fid. instr.*

(3) Innoc. III in *cap. auditis 15. de praescriptionibus.*

(4) Trid. in *cap. Episcopi 8. sess. 22. de reform.*

(5) Concordata *cap. 5. num. ult.*

(6) *Lib. 1.* harum Instit. *tit. XXII. num. XXVII.*

exemptos in iis, quae respiciunt divinum cultum, morum, vitaeque honestatem, et administrationem praedictorum Sacramentorum, ac doctrinae in exercitiis spiritualibus exponendae puritatem, et generaliter, quoad omnia spiritualia visitare, corrigere, et punire, et in eos quoscumque iurisdictionis actus exercere, quos nomine S. Sedis exercet, atque exercere potest, ac debet in alio huiusmodi, qui in limine fundationis a potestate, et iurisdictione suorum Ordinariorum exempti fuerunt, et Sedi Apostolicae immediate subiecti (1) (*).

XII. Generalis huiusmodi Nuntio apostolico delegata in exemptos omnes iurisdictio non impedit, quominus inferiores Praelati Ecclesiarum exemptarum, quae sint vel intra fines episcopalis dioecesis, vel vere nullius dioecesis cum territorio separato, ordinariam, et quasi episcopalem ex privilegio exerceant inrisdictionem in subditorum suorum caussis passivis iam superius explicatam (2): *personalem* scilicet (quae nulli cohaeret loco, personasque subiectas ubilibet sequitur in alieno quamvis territorio degentes) ii, qui territorium non habeant separatum (3): *localem*, aut *mixtam* suo cohaerentem territorio, qui separatum vere istud obtineant ex privilegio apostolico, vel possessione immemorabili. Etenim sola cuiuslibet inferioris Praelati exemptio *passiva* nullam ei *activam* iurisdictionem tribuit, hanc nisi largiatur expresse privilegium (4). Singulis exemptionum generibus indigena, et patria suppetunt exempla.

XIII. Sunt plane in hac urbe principe nonnulli ex Praelatis eiusmodi iurisdictione ordinaria sine territorio pollentes in eas Cleri saecularis personas haud paucas, quae libertatem ab Archiepiscopi Neapolitani iurisdictione dioecesana ex inconcussis moribus, et privilegiis plene potiuntur. Primario quidem loco est Regis nostri Capellanus Maior, cuius foro, et iurisdictioni reapse ordinariae parere iam nostis (5) centum Capellanos, clericosque nedum palatinos Regalis Capellae, Regiorumque castrorum, seu arcium urbis, alios etiam perplures aliorum in regno castrorum, Capellanos dein classiarios, et militares legionum, triremium,

(1) Bened. XIV. in *const. praeclarum 51. §. 20. to. 4.* Bullarii.

(*) Videsis nostras animadversiones ad Tit. XXII. de Nuntio Apostolico Lib. 1. num. LXXVI. pag. 290.

(2) *Lib. 1. tit. XXIV. de Praelatis inferioribus.* Ubi non absurdum esse Abbatum, et Praelatorum alios iurisdictionem quasi episcopalem cum territorio separato habere in caussis omnibus fori ecclesiastici, alios absque territorio in personas speciatim exemptas; commonui cum Card. Petra *to. 1. ad const. 2. Eugenii III. num. 12:* non secus, quam in uno, eodemque corpore sub uno capite diversa membra non eumdem actum habent.

(3) Card. de Luca *disc. 20. de iurisd. num. 19. ad 24.* Nam Ecclesia nullius dioecesis absque territorio exempta perinde a dioecesanis Episcopis aestimatur, ac si extra horum dioeceses existeret, Felin. in *cap. grave de offic. ordinar.*, et Reg. de Ponte in *ms. alleg. de visitat. hospital., et in specie Incurabilium num. 28.*

(4) Ex traditis a Bened. XIV. in *const. apostolicae 76. §. 10. to. 1.* Bullarii, seu decretali epistola pro Episcopo Conversani contra militarem Ordinem S. Io. Ierosolymitani super iurisdictione oppidi Putiniani, et Clemente de Arostegui *par. 1. concord. pastoral. cap. 4. num. 87, et seq.*

(5) Ex *lib. 1. tit. XXIII. de Capellano Maiori num. XVII, et seq.*

et navium, hospitaliumque militum actu servientes, insuper Capellanos Regiarum Audentiarum, Ecclesiarumque regiae collationis Rectores, Abbates, ac beneficiarios: sed publicos etiam Professores Regiae Universitatis studiorum, eorumque bidellos (*).

XIV. Secundarius accedit Rector iam dicti Hospitalis, et Ecclesiae S. Angeli, et S. Andreae ad Nidum, qui ex voluntate Raynaldi Cardinalis Branchacii fundatoris (1), et apostolicis Martini V. (2), Pauli III. (3), Urbani VIII. (4), et Benedicti XIV. privilegiis omnem ecclesiasticam iurisdictionem habet super ipsos Hospitalis, et Ecclesiae presbyteros, clericos, ministros, et famulos a potestate Archiepiscopi quum ordinaria, tum delegata exemptos plenissime (5).

(*) Videsis animadversiones ad Tit. XXII. de Capellano Maiori vol. 1. p. 314.

(1) Instrumentum fundationis die 11. Martii 1427. Romae confectum a Raynaldo Card. Branchacio haec habet: *Praedicta Universitas* (Nobilium Equitum Plateae Nidi), *vel duo per Universitatem, ut praemittitur eligendi* (gubernatores) *eligat, vel eligant unum honestum clericum, qui habeat potestatem, et iurisdictionem super presbyteros, et clericos infrascriptos, ipsosque corrigendi, puniendi, excommunicandi, et omnem iurisdictionem ecclesiasticam exercendi, si contingat eos, vel ipsorum aliquem delictum, vel aliquod aliud crimen etc.*

(2) Martinus V. sua, quam die 24. Aprilis 1426. antea dederat, bulla indulsit eidem Card. Raynaldo, *ut Hospitale praefatum postquam aedificatum, et per te* (ait) *dotatum fuerit, ut praefertur, cum omnibus iuribus, et pertinentiis suis, necnon personas easdem, et Rectores ipsius Hospitalis pro tempore existentes a dominio, visitatione, et potestate praefatis* (Archiepiscopi Neapolitani, et Abbatis saecularis Ecclesiae olim S. Andreae ad Nidum) *eximimus, et totaliter liberamus, illaque libera, et exempta ab eisdem fore statuimus, ac nobis, et successoribus nostris, et Sedi praedictae immediate subesse debere.*

(3) Paulus III. die 28. Febr. 1543., suis apostolicis litteris dispositiones Card. *R.* Branchacii confirmavit, iterumque indulsit, *ut praesbyter Sacrista pro tempore electus, vel eligendus omnimodam potestatem, et iurisdictionem ordinariam in dictos clericos, et sacerdotes exerceret.* Eiusmodi pontificia indulta comprobans Philippus II. regio diplomate Bruxellis dato die 13. Aug. 1560, *dictum Praepositum*, ait, *sive Sacristam in possessione, exemptione, exercitio, iurisdictione, aliisque superius relatis confirmamus, praesidioque nostro defendendos, et protegendos esse dicimus, decernimus, et mandamus: conditione tamen adiecta, quod Praepositus, sive Sacrista Ecclesiae, et Hospitalis praedicti praesens, et futuri uti non possint, nec valeant armata familia, praeterquam trium, vel quatuor servientium.* Haec liquent ex originalibus litteris, quae in archivio ipsius Ecclesiae servantur.

(4) Urban. VIII. die 30. Maii 1543. suis insertas Martini V. litteras confirmans, *per hoc autem*, ait, *nullum ius cuique de novo adquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari.*

(5) Benedict. XIV. in *cit. const. praeclarum 51. to. 4.* Bull. §. 13. *Declaramus itidem*, inquit, *atque decernimus Rectorem, seu Sacristam Hospitalis a duobus Nobilibus, ut supra electum toto tempore, quo in huiusmodi officio duraverit, habere potestatem, et iurisdictionem super dictos viginti quatuor clericos, seu presbyteros, nec non super dictos sexdecim laicos Ecclesiae, Hospitali, et Bibliothecae addictos, eisque respective inservientes, postquam tamen in rotulo . . . descripti fuerint, et non prius, ipsisque corrigendi, puniendi, excommunicandi, et omnem iurisdictionem ecclesiasticam in*

XV. Itidem Carthusianus Prior, et Conventus S. Martini unus omnium Regularium Neapoli degentium Ordinarius est Praelatus Ecclesiae sub vulgari titulo *Incoronatae*, alias Coronae Spinae D. N. I. C. in platea corrigiarum, quam in ipso fundationis limine omnino exemptam, liberamque a dioecesana lege, ac iurisdictione Archiepiscopi Neapolitani voluit primitus, quantum in se fuit, Regina Ioanna I. (1), dein cum adsensu, privilegioque apostolico Gregorii XI. ea lege, ut eidem Priori, et Conventui subiecta perpetuo foret, una cum duodecim Capellanis, et diaconis quatuor Cleri saecularis in ea famulantibus (2). Mox

cos exercendi, quotiescumque contingat ipsos in delictum, seu crimen aliquod incidere.

(1) In regio diplomate, quod Regina Ioanna I. dedit die 16. Aug. 1370, exscripto in pontificia bulla Greg. XI. mox recitanda, haec ait: *Ecclesiam supradictam, omniaque ipsorum loca praesentia, et futura; nec non Sacerdotes, diaconos, officiales, ac familiares continuos, domesticos, commensales, praesentes, et futuros, et alios, si qui forsan eis addentur in posterum, spiritualiter, et temporaliter immediate subiectos esse volumus, et quantum in nobis est, ex nunc subiicimus Priori, et Conventui monasterii S. Martini prope Neapolim Carthusiensis Ordinis, et monasterio praelibato. Quodque idem Prior . . . unum Vicarium loco sui, nec non Sacerdotes, et diaconos, et officiales, et familiares, ac procuratorem, seu negotiorum gestorem . . . eligendi, ponendi, instituendi, assumendi, eosque immutandi, et destituendi, et alios subrogandi semel, et pluries pro suae voluntatis arbitrio, nulla iuris, vel consuetudinis solemnitate servata, habeat liberam potestatem . .* praeterea *faciendi statuta, et ordinationes super divinis officiis celebrandis, nec non super vita, et moribus . . . vicarii, Sacerdotum, diaconorum, officialium, et familiarium praefatorum . . . et praedictos omnes, et quemlibet eorundem visitandi, corrigendi, et puniendi, et alia omnia, et singula faciendi, disponendi et exequendi, quae quicumque* Praelatus *in suos* subditos *quomodolibet exercere . . .* Vicarius *autem paaefatus, qui sit unus de praedictis Sacerdotibus, aut alius infra dictum numerum duodecim Sacerdotum curam animarum ac regiminis administrationem habeat pleno iure.*

(2) Gregorius XI. bulla sua, quae incipit *his, quae Ecclesiarum*, anno sui Pontificatus III. data, AE. V. an. 1373., post insertum ex integro diploma Regium *ipsius Reginae in hac parte supplicationibus inclinati*, ait, *fundationem, constructionem, submissionem ac dotationem, et ordinationem praedictas, ac omnia, et singula in praefatis litteris contenta rata habentes, et grata, illa auctoritate apostolica, et ex certa scientia confirmamus ... et insuper ... Ecclesiam praedictam cum personis in eis degentibus ab omni iurisdictione, ac dominio, et potestate ven. fr. n. Archiepiscopo Neapolitani, et quorumlibet aliorum Ordinariorum iudicum eximimus, et totaliter liberamus: ac ipsa praefatis* Priori, *et Conventui immediate decernimus ac volumus subiacere; quodque praefatus Archiepisc., vel quivis alius loci Ordinarius praeter Priorem, et Conventum praedictos in . . . Ecclesiam aut personas praedictas non possint auctoritate ordinaria excomm. suspens, aut interd. sententias promulgare, vel alias etiam ratione delicti, seu contractus, vel rei . . . iurisdictionem aliquam quomodolibet exercere.* Altera tum bulla, quae incipit *ad ea quae*, data kal. Septemb. Pont. an. 3. idemment Gregorius XI. eiusdem Reginae petitionibus annuens inhibuit *universis, et singulis personis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis exiterint, etiamsi patriarchali, archiepiscopali, imperiali, aut regali, vel quavis alia ecclesiastica, vel mundana praefulgeant dignitate, ne in . . . Ecclesia praedicta contra voluntatem dicti Prioris . . . aut*

idem Papa Gregorius anno 1376. facultatem audiendi confessiones, et absolvendis a peccatis personas inibi degentes, et cui eis dispensandi, eidem Priori Carthusiano indulsit *in eis casibus dumtaxat, in quibus Abbas de iure monachos suos absolvere, et cum eis dispensare potest*, nec non *committendi vices suas idoneo Sacerdoti, quem ad hoc duxerit eligendum* (1). Posthaec Nicolaus V., et S. Pius V. quum omnia ipsius Ecclesiae loca, et bona eidem Monasterio, et Conventui Carthusiano S. Martini perpetua unione addixissent cum onere dandi eleemosynas pauperibus ad idemmet Monasterium confluentibus: speciatim S. Pius V. insuper imperavit, ut *dicta Ecclesia Coronae Spinae propter unionem adnexionem, et incorporationem huiusmodi debitis non fraudetur obsequiis, sed illius congrue supportentur onera consueta . . . Presbyteros vero, diaconos, et alios ministros, qui in divinis in Ecclesia Coronae Spinae deservient ad eorumdem Prioris, et Conventus nutum amovibiles . . . tenere, et constituere, et non in communi mensa, sed unum ab alio separatim etiam extra domos eiusdem Ecclesiae Coronae Spinae cum menstrui salarii adsignatione. . . Exemptiones quoque, immunitates, gratias, superioritates, privilegia, et indulta tam per Gregorium praedecessorem, quam alios quoscumque apostolica, ordinaria, regia, mixta, seu alia quacumque auctoritate. . . . Ecclesiae Coronae Spinae praefatis, ac personis inibi pro tempore degentibus, nec non eisdem Priori, et Conventui concessa, propter suppressionem. . . nullatenus expirare, vel extingui, sed eis, ut prius, in omnibus, et per omnia perpetuo suffragari debere* (2). Tandem res ita gestas Carolus tunc noster, nunc Hispaniarum Rex clementissimus ratas habuit, suoque regio diplomate firmavit die 14. Febr. 1754. (3), grato ferens animo S. Martini Carthusiam ipsam quotannis regio pauperum generali Hospitio centum supra mille ducatos contributuram (*).

eorum domibus pro habitando intrare, vel aliquos ad habitandum ponere: seu praedictum Priorem . . . directe, vel indirecte ad recipiendum aliquos . . . aut removendum inducere praesumant.

(1) Patet ex litteris incip. *magnae devotionis*, quas Greg. XI. postulante Regina Ioanna dedit 6. non. Martii Pont. an. 6.

(2) Ex litteris S. Pii V. incip. *Romanus Pontifex*, die 20. Feb. 1565., et alteris incip. *exigit immensa*, 10. kal. Martii 1565., quae commemorant unionem tempore Nicolai V. iam confectam. Extant huiusmodi Bullae omnes cum regio diplomate in archivio Carthusiae S. Martini quum autographae, tum typis editae, vulgataeque.

(3) Autographum hoc diploma membraneum, quod in eodem tabulario servatur, inspiciendum mihi comiter dedit aeque litteris, ac morum innocentia praeclarus, suique instituti observantissimus huius Cartusiae Prior D. Augelus Cuccaro.

(*) Illa heic in antecessum attexenda duximus, quae Summus Pontifex Pius VII. litteris apostolicis sub die XXVIII. mens. Iul. an. 1818. sanxit: quaeque huiusce Regni Praeposituras, Abbatias, ac Prioratus respiciunt.

« Decernimus, quod Monasteria, Abbatiae nuncupatae Montis Cassinen. Ordinis » S. Benedicti, nullius Diocesis, Provinciae Capuanae, ac Sanctissimae Trinitatis » Caven eiusdem Ordinis S. Benedicti nullius Diocesis, Provinciae Salernitanae: » nec non Montis Virginis, ipsius Ordinis Sancti Benedicti, nullius Dioecesis, Pro-

XVI. Abbas commendatarius S. Antonii Viennensis Praeceptoriae generalis Neapolitanae haud obscurum occupat gradum inter Praelatos exemptos, ecclesiastica sine territorio iurisdictione fruens quum in ecclesia eiusdem Praeceptoriae in suburbio Neapolis (1), Capellisque plurimis quaquaversus intra alias huius Regni dioeceses eidem Sancto dicatis, tum in personas eiusdem Praeceptoriae beneficiarias ubilibet commorantes. Eam diu tenuit suum veluti membrum hospitalis Ordo Canonicorum Regularium S. Antonii Viennensis, seu monasterium Viennense in Delphinatu totius Ordinis princeps cum privilegio generali exemptionis passivae, et iurisdictionis ordinariae Regularium, quod largiti iam fuerant Honorius III. an. 1218., dum piam societatem Confratrum secularium primus convertit in Prioratum monasticum Ordini Benedictino subiectum (2), et Bonifacius VIII. anno 1297., qui Ordinem eiusmodi Viennesem instituit sub Regula S. Augustini, ac titulo Canonicorum Regularium S. Antonii Viennensis, a Benedictina Regula, et subiectione subtractum (3). Paulus V. inde sub initia XVII. saeculi Praeceptoriam Neapolitanam Ioanni Baptistae Victorio primus commendavit ad vitam. Cui ea de re litem in Rotae auditorio quum intulisset generalis Abbas Viennensis, ut Praeceptoriam hanc suo vindicaret Ordini vi unionis antea indultae pro sustentando in Romana Curia Procuratore generali : Urbanus VIII. litem finiens, defuncto iam Victorio, dissolven-

» vinciae Beneventanae cum respectivis separatis Territoriis, et cum ordinariae » iurisdictionis exercitio, in eo, quo sunt statu, etiam in posterum remanere » perpetuo debeant. Praeposituram vero, seu Archipresbyteratum Ecclesiae S. » Mariae La Mena nuncupatum, Oppidi Civitatis nuncupatae Altimuri Provin- » ciae Barensis, ac Prioratum Sancti Nicolai Barensis denominatum in possessio- » ne, et exercitio eorum iurium, quibus legitime, et canonice gaudent, con- » servamus. Exceptis autem tribus dumtaxat Abbatiis, ac Praepositura, vel » Archipresbyteratu, nec non Prioratu supradictis in iurisdictione, et respecti- » ve in iuribus legitime, et canonice adquisitis, per hasce nostras litteras » conservatis, quoad reliquas omnes Abbatias nullius Dioecesis, in ipsius Re- » gis Ditiones citra Pharum existentes, Episcopi, et Vicarii Capitulares vici- » niores exercere in eis pergent spiritualem iurisdictionem, quam nunc exer- » cent, Nobis expresse reservantes, de Titulis, et bonis ceterarum supradi- » ctarum Ecclesiarum nullius Dioecesis, deque aliis omnibus easdem respicien- » tibus per alias apostolicas litteras providere . . . Regium quoque *exequatur* » hisce apostolicis litteris accessit sub die 1. mens. Aug. eiusd. an. 1818.

(1) Hanc Ecclesiam a Ioanna I. cum adsensu Papae Gregorii XI. fundatam anno circ. 1371., ex gentilibus Andegavensium Principum, illiusque Pontificis insignibus, quae patent in antiquo pariete extrinsecus, fert Caesar Eugenii Caraccioli in *Napoli sacra pag. 639.*

(2) N. Alexander in *hist. saec. XI., et XII. cap. 7. art. 8. de monach., et sanctim. n. 12.* Idemque tradit piae huiusmodi Confraternitati curandis aegris igne sacro tactis addictae ortum dedisse Gastonem viennensis Provinciae nobilem virum, eiusque filium Girinum, seu Girondum eo morbo mirifica ope S. Antonii liberatos, eamque primitus fundatam an. 1095. in oppido Motae, quod S. Antonii postea dictum est, signo *tau* vestibus appincto.

(3) Bonifacii VIII. Bulla *in dispositione to. 1. Bullar. Rom.* speciatim Canonicos omnes Regulares sub Praefecto Abbate Generale Viennensi ab Episcoporum omnium iurisdictione absolutos, et exemptos Apostolicae Sedi nullo medio subiecit. Tamburin. *de iure Abbat. to. 3. disp. 5. qu. 11. n. 27.*

dam censuit unionem, perpetuumque silentium indicens Abbati, ne quid iuris amplius ei superesset, eam secundo commendavit Cardinali Magalotto (1), mox aliis gradatim Abbatibus Commendatariis subsecuti Pontifices. Ita Viennensis Ordo Canonicorum Regularium hoc de regno eliminatus omnino est: Abbatialis vero Ecclesia S. Antonii, et generalis Praeceptoria, quamvis Praelatis secularibus, et plerumque S. R. E. Cardinalibus commendata retinuit adhuc integra status Regularis privilegia, exemptiones, et iurisdictionem ordinariam nedum in Capellanos, et clericos saeculares ipsi Ecclesiae famulantes, sed in beneficiarios etiam universos, qui grancias, et membra, et beneficia manualia eiusdem ex libera collatione, aut institutione Abbatis commendatarii ubilibet in regno obtinent ad nutum ipsius Abbatis perinde amovibiles, ac si professi Regulares ea suo ab Abbate acciperent administranda (2). Enimvero praecipua commendae vis est servandi, tuendique iura omnia Ecclesiae commendatae in eo ipso, quo antea vigebant statu, ita ut nullum ei detrimentum, aut mutatio inferatur (3) (*).

(1) Rigant. in *comm. ad Reg. IV. Cancell.* §. *4. num. 15., et 54. to.* 1.

(2) Ex Clem. VII. *const. 2.* §. *19.*, Rigantius *loc. cit. num. 16., et 17.* post Corradum, Montanum, Rotam, et S. Congr. ex communi Doctorum sententia receptum scribit, *quod Praeceptor Praeceptoriae Neapolitanae est ordinarius provisor beneficiorum omnium suo titulo S. Antonii in regno Neapolitano existentium*, cum *iure etiam instituendi in beneficiis de iurepatronatus* S. Congr. particularis die 16. Iulii 1627. in Neapolitana Praeceptoriae S. Ant. Vienn. ad quinque dubia respondit. 1. *Abbatem Commendatarium habere intentionem fundatam conferendi Praeceptorias, et alia membra gen. Praeceptoriae, nec non cetera Beneficia, quae conceduntur in const. Clem. VII., sive ratione eiusdem privilegii, sive ex dispositione Iuris communis. 2. etiam quoad institutionem una cum iure devolutivo. 3. Beneficia esse manualia de sui natura, exceptis curatis, et electivis. 4. non cadere sub reservatione, posse tamen cadere sub affectione, nisi haec tollatur per indultum. 5. Ordinarios non posse conferre, nisi obstet legitima praescriptio cum requisitis Perusinae I. Benvignati coram Pamphilio, et Ferrariensis coram Penia; et nisi obstet ultimus status cum requisitis.* Rigant. *loc. cit. num. 48. ad 52.* Dein postulanti Cardinali Cantelmo huius Abbatiae Commmendatario I. *an. Regulares Ordinis S. Antonii Viennensis sive primordialiter professi, sive ad eum translati aliquod ius praetendere possint in beneficiis dependentibus ab eadem Praeceptoria generali Neapolitana.* II. *an collatio eorundem beneficiorum spectet ad Commendatarium, seu Praeceptorem generalem, ita ut in ea non sit molestandus nec praeripiendus ab Ordinariis, in quorum dioecesibus granciae, et membra sita sunt.* S. Congregatio Concilii die 8. Iulii, et 9. Septem. 1690. respondit ad I., *negative:* ad II., *spectare ad Eminentiss. Commendatarium.* Rigant. *loc. cit. num. 55., et seq.*

(3) Videsis *tract de Beneficiis cap. XI. de commendis num. XII., et XIII.*

(*) Summus Pontifex Gregorius XVI. litteris apostolicis sub die V. Nov. an. 1839., quibus accessit regium *exequatur* latum die XVI. Dec. eiusd. an. plura constituit, quae ad Abbatias spectant, quaeque heic recensere iuvat.

Gregorius XVI.—Ad perpetuam rei memoriam.

Religionis decus, Christianique populi spirituale simul, ac temporale commodum maxime postulat, ut dotandis congruenter episcopalibus Mensis, Paroeciis Seminariis, atque Capitulis omni per eos, ad quos pertinet adhibita cura prospiciatur. Compertum hinc est, quemadmodum ad eiusmodi dotationem in utrius-

XVII. Alios haec etiam metropolis habet presbyteros, et clericos ab Archiepiscopo Neapolitano exemptos, qui nempe inserviunt Hospitali In-

que Siciliae Regno apprime comparandam respexerit apostolica Pii VII. fel. rec. Praedecessoris Nostri sollicitudo, et eximia Ferdinandi I. praecl. mem. Regis pietas, pluribus ea de re articulis adiectis Conventionis invicem pactae an. MDCCCXVIII. Attamen expleta iam applicatione fundorum, qui hunc in finem erant ab eo tempore designati, animadvertendum fuit aliquot adhuc extare episcopales Mensas, quae statutam Conventione dotationem minime acceperunt, atque etiam nonnullas Paroecias, nec non Seminaria, et Capitula, quibus congrua dos, generatim loquendo, nequaquam fuit attributa. Cum porro huic incommodo efficaciter mederi, simulque gravissimo negotio, de quo agitur, cumulate consulere propositum sit, aeque Nobis, ac Carissimo in Christo Filio Nostro Ferdinando II. utriusque Siciliae Regi Illustri, qui avitae Religionis studiosissimus aemulator existit, eumque idcirco ad necessaria paranda omnem operam intenderemus opportunum perpendimus alienum nequaquam esse a mente sacrorum Canonum, ut in hanc caussam debita quidem forma impendantur bona ad ecclesiastica beneficia, vel Abbatias, quae residentiam non requirunt, spectantia, idque magis etiam confirmari exemplo Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum, a quibus non absimilis providentiae ratio, urgente necessitate, suscepta est. Itaque post initam de tota re deliberationem maturam, ex certa scientia, motu proprio, deque Apostolicae potestatis plenitudine supprimimus, penitusque in perpetuum extinguimus singulos quosque titulos, quibus insignitae hactenus fuerunt Abbatiae Concistoriales, vel adhuc controversae in Dioecesibus utriusque Siciliae Regni ibidem erectae, quarum puri redditus ducatis annuis quingentis monetae Neapolitanae minores existunt. Qua praevia suppressione, ac perpetua extinctione ita statuimus, atque mandamus, ut nempe: I. Fundi iisdem Abbatiis hactenus addicti perpetuo cedant, atque adiudicentur in dotationem, sive in supplementum dotationis Parocciis, Seminariis, et Mensis Episcopalibus, nondum integre ad Conventionis normam dotatis, pariterque Capitulis congruente dotatione indigentibus. II. Abbatiis eiusdem generis, quae detractis oneribus maiorem ducatis annuis quingentis redditum obtinent, annua in posterum pensio, quartam non excedens partem ipsorum reditnum in praedictum usum imponatur. III. Ad horum effectum utrique memoratae superius Conventionis Executori facultas sit investigandi prius annuam summam, quae ad eiusmodi dotationem, vel supplementum dotationis requiratur, ac deinde Abbatias secundo loco recensitas onerandi annua pensione ibidem enunciata, quae quartae, quintae, sextae, minorive etiam redituum parti pro quantitate nimirum, eidem dotationi necessaria respondeat, quartam tamen nunquam exsuperet. Pars autem, quam ipsi in annuam pensionem statuerint erogandam in Bullis de collatione singularium Abbatiarum, de quibus agitur, exprimatur. IV. Abbatiae Concistoriales, seu controversae, maiori, vel minori ducatis quingentis reditu, demptis quidem expensis pollentes, quae suum in praesentiarum Rectorem habent, minime subiectae istiusmodi praescriptionibus intelligantur, nisi cum primum illas vacare contigerit. Quoniam vero erga religiosissimum utriusque Siciliae Regem, quem paulo ante laudavimus, praecipuae benevolentiae sensibus admovemur, ut ei gratum facere quibusque rebus liceat, parati simus, praesertim cum nuper inspexerimus impensum devotissime ab ipso voluntati Nostrae obsequium super aliis Ecclesiae negotiis, quae in praedicto Regno Apostolici Ministerii Nostri sollicitudinem postulabant; idcirco idoneam nacti opportunitatem, duximus propensissimae Nostrae benignitatis argumenta iis, quae in praemissis constituimus adiungenda. Persuasum namque aliunde Nobis est, ipsum piissimum Regem ardentiori u que studio incensum erga Catholicam Ecclesiam nihil pro sua parte praetermissurum, quod ad illius decus emolumentum, sacrorumque iurium ei divinitus tributorum inde-

curabilium , eique adnexis Ecclesiae S. Mariae de Populo , et mona-

mnitatem, libertatemque conducat. Hac ergo propensione moti, et fiducia pariter illecti concedimus in perpetuum praelaudato utriusque Siciliae Regi , Eiusque Successoribus indultum , seu privilegium nominationis ad omnes quascumque Abbatias Concistoriales , vel etiam controversas cunctis, quae circa nominationem ipsam Apostolica Sedes hactenus habuerit , aut habere fortasse posset , iuribus penitus renuntiantes: salvis tamen ceteroquin, exceptisque Abbatiis purum annuum reditum ducatorum quigentorum non attingentibus , quarum fundos in alium usum erogandos supra decrevimus , et salva similiter portione, quam ex reditibus ceterarum Abbatiarum annuam quigentorum ducatorum summam excedentium detrahi oportebit caussa pensionis in eumdem usum imponendae. Indulgemus insuper, ut idem Serenissimus Rex , Eiusque successores nominare possint ad Abbates modo commemoratas, praeter personas qualitatibus Iure canonico requisitis praeditas , etiam Religiosas Communitates , vera et propria Ecclesiastica institutione pollentes, et uti tales canonice habitas , quae quidem publice docendae iuventutis , vel divini verbi per sacras, uti vocant Missiones administrandi muneri sint addictae , ita nempe ut Communitates , et Instituta quaecumque tum laicalia , tum mixta omnino excludantur. Volumus autem , atque mandamus , ut circa memoratas Abbatias , iis tantummodo exclusis , quas regii patronatus esse dignoscitur ex elencho unanimiter confecto, inter Venerabilem Fratrem Alexandrum Archiepiscopum Petrae , modo S. R. E. Cardinalem Giustiniani , et Marchionem Tommasi vivis deinceps ereptum utcumque vi harum litterarum Regiae in posterum nominationis evadant , nihilominus ad canonicam institutionem obtinendam litterae sub plumbo ex Dataria Apostolica debeant impetrari , quemadmodum antea hac de caussa huic Sanctae Sedi reservatae perpetuo fuerunt. Item volumus, quod illas etiam Abbatias , quas religiosis Communitatibus verae, propriaeque ecclesiasticae institutionis , uti talibus canonice habitis , docendaeque pubblice iuventutis, vel divini verbi administrandi muneri addictis , uniri , seu applicari serenissimus Rex , Eiusque Successores fortasse cuperent acta consueta per Cancelleriam, vel Datariam Apostolicam confici, et litteras pariter sub Plumbo obtineri debere, et enunciatam unionem , seu applicationem precariam , seu perpetuam rite perficiendam. Haec volumus, statuimus, concedimus, atque mandamus, decernentes praesentes litteras primas, validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, dictisque in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, sique in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, et Delegatos , ac Apostolicae Sedis Nuntios , vel de latere Legatos etiam caussarum Apostolici Palatii auditores , ac S. R. E. Cardinales sublata eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate iudicari, ac definiri debere , irritumque, et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstante Nostra, et Cancelleriae Apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo*, ac. fel. rec. Benedicti XIV. Praedecessoris Nostri super Div. Mat. aliisque apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus , vel specialibus Constitutionibus , et sanctionibus nec non legis, fundationis earumdem Abbatiarum , etiam iuramento confirmatione apostolica , vel quavis firmitate alia roboratis statutis , et consuetudinibus, privilegiis quoque , indultis , et litteris Apostolicis in contrarium praemissarum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus, pro plene, ac sufficienter expressis , deque verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque etiam speciali, individua, et expressa mentione, ac derogatione dignis in contra-

sterio mulierum poenitentium (1); nec non Ecclesiae, monasterioque S. M. Solitariae (2), immediata Regis protectione fruentibus (3). Certum at iudicem ecclesiasticum fori ecclesiastici caussas iure ordinario cognituram, exemptis hisce presbyteris, et clericis non datum hactenus ferunt (*).

rium facientibus quibuscumque. — Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die quinta novembris 1839. Pontificatus Nostri anno nono. — Pro Domino Card. de Gregorio.—A. Picchioni substitutus.

(1) Piam hanc Hospitalis domum, et Ecclesiam aedificare praevio Leonis X, indulto in forma Brevis aggressa est anno 1521. Maria Francisca Longo Ioannis Longo Cancelleriae Regentis uxor toto aere primum suo, tum collectis populi eleemosynis, Caes. Eugenii Caraccioli *Nap. sacr. pag. 187., et seq.* Addit Regens de Ponte in *ms. alleg. 13. de exempt. hospital. num. 26., et 27.*, Leonem X. anno 1519. bulla, qua speciatim indulsit populo Neapolitano erectionem Hospitalis Incurabilium *instar Archihospitalis S. Iacobi de Augusta cum omnibus, et singulis privilegiis, gratiis, et exemptionibus*, privilegium simul indulsisse omnimodae exemptionis a loci Ordinario, etiam ut Sedis Apostolicae delegato.

(2) Ecclesiam hanc, et claustrum pro puellis Hispanis collectitio aere fundata anno 1589. sub laico quatuor gubernatorum regimine, immediataque Regis protectione ex indulto, et privilegio Xysti V; procurantibus Hispano Fr. Petro Trigoso Ord. Capucc., et D. Aloysio Enriquez praefecto castrorum, scribit Caesar Eug. Caraccioli *cit. lib. pag. 560.*: additque duodecim heic presbyteros cum magistro Capellano, et sacrista, et duobus clericis divinis vacare.

(3) Regens de Ponte *ms. alleg. 13. num. 21; et seq.* totus in eo est, ut ostendat Hospitale Incurabilium cum adnexis locis piis, et sacris tamdiu reapse potitum regia immediata protectione ab ipso fundationis limine, ut ipsam, quae facto, rebusque gestis iam pateat, expresso privilegio commonstrare nil oporteat.

(*) Decretum S. Congregat. Consistorialis sub die V. Iul. an. 1838. editum, cui accessit regium exequatur die XVI. eiusd. mens., et an. latum, quod praedictum Incurabilium Nosocomium respicit.

Neapolitana Iurisdictionis.

Extat iam tum ab anno 1519. in Neapolitana Urbe Nosocomium, et aedium magnitudine, et redituum copia, et administratorum frequentia illustre a S. Maria a Populo nuncupatum, cui praeest titulo Correctoris vir ecclesiasticus, ut plurimum episcopali dignitate praefulgens.

Pluribus, iisque insignibus privilegiis ex summorum Pontificum liberalitate auctum ipsum est, de quibus tamen, ac de eorum usu nonnullae identidem quaestiones irrepserunt: conquerentibus in eam rem Neapolitanae Ecclesiae Archiepiscopis. Ne vero controversiae id genus diutius in rei sacrae detrimentum invalesceret, SS. D. Nostro Gregorio XVI. Pontifici Maximo preces ab R. P. D. Ferdinando Corbi Episcopo Ionopolitano in partibus infidelium Nosocomii Correctore allatae sunt, ut Apostolica auctoritate de iisdem pro sua sapientia decerneret.

Universa itaque re ad S. Congregationem negotiis Consistorialibus praepositam remissa, in Comitiis habitis die 23. Aprilis huius anni bina dubia proposita fuere, nempe I. An, quomodo, super quibus locis, et de qua iurisdictione, illiusque usu constet vigore Constitutionum Apostolicarum, non obstante Conventione inita inter Apostolicam Sedem, et utriusque Siciliae Regem die 16. Feb. 1818. et Const. Apostolica de *Utiliori* diei 26. Iunii eiusdem anni in casu etc. Et quatenus affirmative. II. An sit locus earumdem Constitutionum Apostolicarum confirmationi in casu etc.

Ea porro Emi. Patres, opportunis per illos, quorum intererat, editis monu-

XVIII. Accessit nuperrime regium Monasterium cum Ecclesia virginum monialium sub titulo SS. Ioannis a Cruce, et Theresiae a Iesu Ordinis Carmelitarum excalceatorum in suburbio plagae, Benedicto XIV. annuente, propriis, privatisque sumptibus religiosissimi dudum nostri, posthac Hispaniae Regis Caroli, Reginaeque incomparabilis Mariae Amaliae Walburgae fundatum *hac lege*, *ut patronatus perpetuo iure* ad summos ipsos fundatores, eorumque *heredes*, *et successores utriusque sexus* de ipsorum regio sanguine, familiaque Borbono-Saxona descendentes seorsim a supremo regni dominio, regiaque Corona pertineat: *cum omnibus suis iuribus*, *praerogativis*, *praeeminentiis*, *potestatibus*, *facultatibus*, *honoribus*, *dignitatibus*, *iurisdictionibus*, *privilegiis*, *auctoritatibus*, *exemptionibus*, *immunitatibus*, *et superioritatibus. Utque tam moniales, quam religiosi viri, necnon ecclesiastici saeculares, vel aliae quaevis ecclesiasticae personae a nobis*, Rex ait (1), *et nostris in posterum in patronatu praedicto successo-*

mentis, iisque diligentissime perpensis in huuc modum definienda censuerunt, nimirum. Ad I. affirmative quoad passivam tantum exemptionem Hospitalis a iurisdictione Archiepiscopi; in reliquis negative in omnibus, nec proinde Correctori competere titulum Ordinarii, neque thronum Episcopalem, neque ius concedendi facultates ad excipiendas Confessiones Presbyteris non adprobatis ad Confessiones ab Ordinario Neapolitano, vel reservandi casus, vel impartiendi licentiam pro matrimoniis ineundis. Ad II. Non expedire, ac provisum in primo, et amplius ad utrumque, atque ad mentem. Mens est, supplicandum Ssmo. pro sanatione actuum absque necessaria iurisdictione gestorum.

Hac vero die, facta pro me infrascriptum eiusdem S. Congregationis Secretarium accurata omnium rerum eidem Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua sententiam Eminentiss. Patrum adprobavit, et confirmavit: peculiaribus tamen ex caussis animum suum benigne moventibus, specialique ex gratia indulsit, ut memoratus R. P. D. Ferdinandus Corbi, eiusque in Officio Correctoris successores pro tempore existentes, dummodo Episcopali dignitate sint praediti, in Ecclesia Hospitalis S. M. a Populo solemni dumtaxat die, quo Beatissimae Mariae Virginis uti Titularis festum peragitur, erigere valeat thronum episcopalem, adiecta lege, ut postero die omnino amoveatur. Praeterea eadem Sanctitas Sua, speciali favore memoratum R. P. D. Ferdinandum Corbi prosequi volens, eidem concessit, ut donec in munere Correctoris perstiterit, privilegio exemptionis mere passivae, legibus vero, et exceptionibus pro Hospitali praefinitis, praeesse Monasterio, seu Conservatorio S. Mariae a Consolatione rite possit, et valeat: quod tamen singulare privilegium praefato R. P. D. Ferdinando collatum ad eius successores nequaquam extendendum esse idem Ssmus. Dominus speciatim declaratum edixit: contrariis quibuscumque non obstantibus.

Hoc denique mandavit edi decretum, et in actis eiusdem Sacrae Congregationis Consistorialis adservari. Datum Romae hac die quinta Iulii anno Domini 1838.— Silvester Bellius S. C. Concistorialis a secretis.

(1) Regium diploma super fundatione huiusce Monasterii, et Ecclesiae datum die 12. Iulii 1756. ita exorditur. *Quum viris religiosis ven. Ord. Carmelitarum excalc. primitivae observ. cordi fuerit praeteritis annis in suburbio plagae huius nostrae civ. Neap., nostra accedenti regali auctoritate Monasterium construere virginum monialium sub tit. SS. Io. a Cruce, et Theresiae a Iesu Ord. praedicti B. M. de Monte Carmelo excalceatorum iuxta SS. P. N. Benedicti PP. XIV. bullam sub annulo Piscatoris die 3. mensis Martii 1747. editam: nobis, et serenissimae Reginae Mariae Amaliae Walburgae nostrae coniugi dilectissimae ex eo temporis non modo placuit erectionem, et constru-*

ribus, vel ab iis, quibus nostras mandaverimus vices, destinandae, et deputandae pro servitio praefatae nostrae Ecclesiae per vices, et loco, atque ordine quisque suo iuxta formam, et consuetudinem proprii instituti ministeria divini cultus in Ecclesia obire, atque persolvere queant. Nullum tametsi Praelatum ordinarium, nullumque iudicem ecclesiasticum sortiti huc usque sunt isti etiam ecclesiastici viri quum religiosi, tum saeculares, quos ipso iure videtur immediata regia protectio ab suis Ordinariis exemisse : vices tamen suas hac in Ecclesia, hospitio, monasterioque obeundas Rex idem augustior hinc ad Hispaniarum solium proficiscens mandavit spectabili Regiae Camerae Summariae Praesidenti optime merito, eiusdem Ecclesiae Praefecto Castri Abbatis Marchioni, D. Angelo Granito (1) speciatim curaturo, ut regia patronatus iura omnia serventur illaesa, cum arbitrio amovendi, et substituendi famulantes quum Ecclesiae, tum hospitio viros qua religiosos, qua saeculares ecclesiasticos, ipsique Regi patrono cuncta, quae inciderint, renuntiandi.

XIX. Alibi extra urbem hanc personae subiectae inferioribus aliquot sine territorio Praelatis non obscuram exercentibus iurisdictionem ecclesiasticam in primo gradu, iudicem in secundo gradu Metropolitam habent ex immemorabili consuetudine, aut privilegio regiam Curiam Capellani Maioris (2). In primis Canonici, presbyteri, clericique omnes Basilicae S. Nicolai Bariensis, quam in ipso fundationis limine exemptam sub immediato Sedes Apostolica patrocinio suo suscepit postulante

clionem praefati Monasterii nostra sub regia protectione amplecti, et tueri, ac propriis privatisque oblationibus fovere ; sed etiam Ecclesiam cum hypogaeo, et hospitio iuxta idem Monasterium nostro, et sereniss. Reginae c. n. proprio, privatoque aere fundare, aedificare, et dotare decrevimus hac lege, et consilio, ut patronatus eiusdem Ecclesiae cum hypogaeo, et hospitio perpetuo iure ad nos, nostrosque haeredes, et successores utriusque sexus de nostro regali sanguine, et familia Borbono Saxona descendendes, sexus, et aetatis praerogativa servata, vel ad quemcumque successorem instituendum, et nominandum a postremo de regali familia nostra descendente spectet, atque pertineat independenter, absolute, et seorsim ab omni supremi regnorum nostrorum dominii, diadematis, et coronae iure. Carissimo propterea viro A., et Ph. D. D. Emmanueli Martinez la Raga nobili Hispano, intimo Consiliario nostro, et fideli dilectissimo iussimus, ut pro nobis, nostrasque vices exequens soli emptionem, et Ecclesiae aedificationem cum hypogaeo, et hospitio procuret. Quod quidem idem clariss. vir summa fide, studio, ac diligentia praestitit, beneque conceptum opus propriis, privatisq. nostris, *et ser. Reginae coniugis nostrae sumptibus perfecit... in praefatum nostrum hospitium religiosos viros eiusd. Ord. ad habitandum induxit, certis definitis, et statutis legibus. . . . adsensum praestiti, ita tamen ut nullum praeiudicium, detrimentum vel iactura iuri patronatus nostro praedictae Ecclesiae, hypogaei, et hospitii afferatur. . . . cum omnibus suis iuribus etc. . . . . quibus Ecclesia praedicta cum hypogaeo, et hospitio ad non pertinet . . . eamque nos habemus, possidemusque, vel habere, tenere, ac possidere meliori, liberiori, pleniorique iure possumus, etiamsi praeminentiae, iuraque supradicta talia sint, ut expressa ipsorum mentio hic fieri deberet. . .*

(1) Regio rescripto ad eum ipsum dato die 26. Septembris 1759.

(2) Id quod innui *lib. 1. tit. XXIII. de Capell. Maior. num. XII.*

Boemundo Rogerii Ducis germano, Bari Domino (1), eiusque Abbati, seu Priori iurisdictionem in clericos mandavit. Nam mirificum S. Nicolai corpus, quod nautae Barienses Myrensibus ablatum e Lycia transvexere anno 1086., ut primum ad litora Barii appulit (2), pars, quae praevaluit, Bariensium civium non sine caede, ac sanguine partibus Ursi Archiepiscopi maximopere illud in Cathedrali Ecclesia recondere contendentibus restitit, eo sane consilio, ut peculiarem ei Ecclesiam extrueret *in curte Catapani* (3), publico olim praetorio, sub speciali Sedis Apostolicae protectione futuram ab archiepiscopali ditione liberam, eodemque studio custodiendum interea tradidit Eliae tunc Abbati Benedictino coenobii Bariensis iam exempto, pias fidelium oblationes recepturo ad propriam S. Nicolao construendam basilicam, qui primus Ecclesiae S. Nicolai Abbas exin dictus est. Hic Urso defuncto creatus Archiepiscopus regimen Basilicae non dimisit: sed immo aedificio ipsius absoluto *cellas etiam multas pulchras, et ornatas* perfecisse *monachis, et palatia sibi, et clericis* traditur (4). Alter ab eo Rector S. Nicolai successit Eustachius Abbas monasterii omnium Sanctorum eiusdem Ordinis S. Benedicti, dein Melus huius quoque monasterii Prior. Eo ab-

(1) Liquet ex bulla Paschalis II. an. 1106., apud Ughellium *to. 7. Ital. sacr. col. 616. Paschalis Episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo filio Eustachio Abbati Ecclesiae S. Nicolai sal., et ap. ben. Praedecessoris nostri sa. me. Victoris III.* (qui sedit electus an. 1086. menses vix decem) *temporibus B. Nicolai corpus ex Graecorum partibus transmarinis in Barisanam urbem advectum totus pene orbis agnoscit: quod videlicet corpus praedecessor noster Urbanus II.* (hic anno 1097. Concilium cum 185. Episcopis latinis, graecisque in ista S. Nicolai Bariensis basilica, ut fert Ignoti Bariensis chronicon, habuit) *loco, quo nunc reverentia digna servatur, in crypta inferiori summa cum veneratione recondidit, et altare desuper in honorem Domini consecravit. Petitumque est, et concessum, ut B. Nicolai basilica in eodem loco aedificanda specialiter sub tutela mox Sedis Apostolicae servaretur. Quia igitur largiente Domino Basilica eadem congrua iam aedificatione perfecta est in loco videlicet iuris publici per Ducis Rogerii chyrographum dato, nos eamdem domum, auctore Deo mox futuram Ecclesiam, postulante filio nostro eiusdem Ducis germano Boemundo Barensis nunc civitatis Domino, sub tutela Apostolicae Sedis accipimus. Tibi itaque, tuisque successoribus facultatem concedimus clericorum culpas absque Episcopi contradictione, debita charitate, ac severitate corrigere. Si qua vero in vos gravior querela emerserit, nostrae, seu successorum nostrorum audientiae, reservetur. Nulli autem vel Archiepiscopo, vel Episcopo licere volumus, ut Ecclesiam ipsam, vel ipsius Abbatem sine Romani Pontificis conscientia, vel excommunicatione, vel interdicto cohibeat etc.*

(2) Leo Ostiens. *lib. 3. Chron. Casinens. cap. 66.* refert eodem die, quo Victor III. consecratus Pontifex fuit, corpus S. Nicolai Barium appulisse.

(3) Contestantur id scriptores coaevi Ioannes Archidiaconus Bariens. in *hist. transl. S. Nic. cap. 14.*, Nicephorus a Falconio laudatus in *S. Nicolai vita*, ipsiusque Abbatis Eliae litterae an. 1089. apud Bariens. Canonicum Nicolaum Putignano *diatriba 2. in S. Nic. acta antiquae vindiciae num. 39., et specimen de orig. Eccl. S. Nic. num. 14.*

(4) Ex membraneo codice Archiepisc. Eccl. Bariensis *de Elia Archiep* apud eumdem Can. Putignanum. *cit. specim num. 6.*

hinc tempore titulus *Prioris* adhuc vigens adhaesit plerumque huius Basilicae Praelatis saecularibus ex eo fortasse, quod ii Clero tantum saeculari, canonicam tunc in communi vitam agenti, monachis procul habitis, praecessent (1): quamvis monachi simul antea, et clerici sub Abbatibus Elia, et Eustachio communem Basilicae famulatum impendisse probabilius videantur (2) (*).

XX. Hoc procul dubio liquet, nativam huius Basilicae libertatem, ac Prioris iurisdictionem ordinariam ab Urbano II., et Paschale II., in primis potius invito, quam consentiente Archiepiscopo, indultam pluribus Pontificum successorum bullis, nostrorumque Regum diplomatibus firmatam non modo, sed et auctam fuisse patronatu regio cum iure liberae collationis Prioratus. Quandoquidem Rex Guilielmus I. in sua *protectione specialiter* S. Nicolai Ecclesiam, et hospitale permanere adfirmavit (3). Fridericus II. anno 1205: suo rescribens diplomate, *ne contra constitutiones, et privilegia Ecclesiae S. Nicolai indulta, clerici extranei Collegio ipsius aggregentur*, inter alia inquit: *quae nostra specialis est Capella . . . recipientes ipsam . . . sub nostra speciali protectione pariter, et tutela* (4). *Capellam velut nostram, et regiam* non semel dixerunt Carolus I., et II. Andegavenses (5).

(1) Muratorius in *annal. ad an. 816., et antiqu. Italic diss. 72.* hanc differentiae notam inter Praelatos Canonicorum, clericorumque saecularium, et monachorum observat usu olim venisse, quod praefectus monachorum *Abbas*, clericorum claustro *Prior* nuncuparentur. Id sane comprobant plures bullae a Clemente IV., et Bonifacio VIII speciatim inscriptae *dilectis filiis Priori, et Capitulo saecularis Ecclesiae B. Nicolai Barensis sal.*, *et apost. ben.*, quae servantur in ipsius Ecclesiae tabulario, typisque vulgatae feruntur in Summario defensionis *della Regal Chiesa e Santuario di S. Nicc. e de' Regj supr. diritti contra le censure null. eman. dalla Cur. Arciv. num. 14.* Alia insuper bulla Gregorii IX. data 15. kal. Iulii Pont. an. 12., Æ. V. 1239, indulgens Archiepiscopo Bariensi, ut personatus, et beneficia ad Sedis Apostolicae donationem devoluta personis idoneis conferret, *excepto Prioratu Ecclesiae S. Nicolai*, ex eodem Summario *num. 17. pag. 223.*

(2) Io. Mabillonius in *annal. Ord. S. Bened. ad an. 1087. num. 39.* adstruit monasterium eiusdem Ordinis primitus Ecclesiam S. Nicolai extitisse usque ad Melum Priorem, istoque defuncto, in Collegiatam desivisse. Praelaudatus contra Canonicus Putignanus in *cit. specim.* tanti viri sententia posthabita primigeniam saecularis Basilicae originem studet curatius evincere, at expendens coaeva monimenta haud aegre concedit, et clericos, et monachos, et olim fuisse addictos, suamque ad incudem revocat dissonas de Prioratus Bariensi, Basilicaeque ortu opiniones Beatilli *lib. 11. hist. Bariens. in vit. S. Nic. cap. 11.*, Franc. Capecelatro *hist. della Città, e regno di Cicilia*, Petri Giannoni *lib. 20. cap. ult. §. 1.*, Franc. M. Pratilli *della via Appia lib. 4. cap 15.*

(*) Videsis nostras animadversiones ad num. XV. huiusce Tit. pag. 269.

(3) Auctographum hoc Regis Guilielmi diploma, 13. Mart. 1164., se inspexisse fert Canonicus Putignanus in *cit. specim. num. 22. pag. 363.*

(4) Istud quoque Fridericianum diploma Can. Putignanus promit *ibidem pag. 361.*

(5) In membranis, quas memorat idem Can. Putignan. *loc. cit. num. 23. pag. 363., et seq.*

Clemens IV. Albanensis Episcopo Legato suo an. 1262. restitutionem Ecclesiae B. Nicolai Bariensis mandans, eam asseruit ad Romanam Ecclesiam *nullo medio* pertinere (1): uno post anno *omnes libertates, et immunitates a praedecessoribus Romanis Pontificibus Ecclesiae* eidem *concessas* pariter firmavit (2). Bonifacius VIII. anno 1295. Cardinale Guilielmo tunc Priore postulante Ecclesiam omnium Sanctorum, *nullo* quoque *medio* Romanae Sedi subiectam, Basilicae S. Nicolai univit, ea lege, *ut unus tantum Rector in Basilica, et Ecclesia supradictis existat, qui in utriusque spiritualiter, et temporaliter curam, iurisdictionem, et administrationem retineat, et sub nomine Rectoris S. Nicolai eas perpetuo gubernet* (3) Mox anno sequenti hic etiam Pontifex Carolo II. Andegavensi cultum divinum in eo Sanctuario augere cupienti indulsit, ut Ecclesias, seu Capellas ad regiam *collationem* spectantes Rex ipse suo pro libito uniret Ecclesiae S. Nicolai (4). Rex autem ipse duas primum Ecclesias regiae collationis Altimuranam, et SS. Trinitatis de Lycio, eam Thesaurariae, hanc Cantoriae S. Nicolai anno 1301. uniit (5): postmodum an. 1304 suo asseverans diplomate basilicam istam ad sese *pleno iure* pertinere statuit, ut in ea inservirent *centum clerici non computato Priore, cuius quidem institutio ad nos*, inquit, *spectat: de quibus sunt XLII. Canonici* ex his, *unus Thesaurarius, alius Cantor, et alius subcantor, XXVIII. clerici mediocres, et alii XXX. clerici infimi:* tum sibi, et successoribus reservata Prioris, trium Dignitatum, et medietatis Canonicorum institutione, et collatione, medietatem alteram Canonicorum, et praebendarum, aliorumque beneficiorum omnium Prioris collationi liberae dimisit (6). Isthaec duo speciatim privilegia confirmavit Rex Ferdinandus I., an. 1467. (7). Contentionibus tandem inter Priorem, Capitulumque regium, et Archiepiscopum Barieusem factum est, ut regio rescripto

(1) Ex Bulla Clem. IV., 5. Idus Febr. 1262., typis vulgata an. 1751. in Summario defensionis *della Regal Chiesa .... contra le censure nullam. eman. dalla Curia Arc. num. 14. pag 233. Circa restitutionem*, Exordiens inquit Pontifex, *Ecclesiarum regni Siciliae iuxta conventiones inter Romanam Ecclesiam, et caris. in Chr. fil. n. Carolum Sic. Reg. ill. in concessione regni eiusdem sibi facta habitas faciendam, certa tunc facta a Sede Apostolica forma concessa. Quocirca frat. tuae per ap. scr. m. quatenus ad restitutionem Ecclesiae B. Nicolai Baren. ad Rom. Ecclesiam* nullo medio *pertinentis, quae variis bonis tam mobilibus, quam immobilibus dicitur destituta . . . . procedas.*

(2) Alia eiusdem bulla 7. kal. Martii Pont. an. 4. Æ. V. 1263., in *cit.* Summario *pag. 202.*

(3) Bonif. VIII. in bulla 5. idus Iul. Pont. an. 1. Æ. V. 1295. in eodem Summ. *pag. 206.*

(4) Idem in bulla 10. kal. Aug. Pontif. an. 2. Æ. V. an. 1296., in eodem Summ. *num. 10. pag. 193.*, et apud B. Chioccarell. *to. 7. archiv. tit. 1.*

(5) Ex diplomate Caroli II., dato die 2. Dec. 1301., in eodem Summ. num. 18. pag. 233.

(6) Caroli II. diploma 20. Iulii 1304., videsis in saepedicto Summario *num. 18. pag. 124., et seq.*, et penes Chioccarell. *loc. cit.* Ubi plura, et alia monumenta hac de re prostant. (7) B. Chioccarell. *loc. cit.*

ad Proregem Beneventi Comitem dato die 2. Aprilis 1604. imperatum sit Capitulo, subditisque Regalis Ecclesiae S. Nicolai, nonnisi, ad Regiam Curiam Capellani Maioris a iudicio Curiae Prioralis appellare (1).

XXI. Parem potitur exemptionem ab Archiepiscopo Rhegiensi Clerus, S. Mariae Catholicae cum antiquis eiusdem parochianis quod ad curam animarum, suo subiectus Ordinario Protopapae ipsius Regiae Ecclesiae cum iure appellationis ad Curiam Capellani Maioris. Nam Rogerius Comes Calabriae, et Siciliae vindicatis Romano throno Ecclesiis, quas in utriusque Siciliae regnis usurparat schismaticus Patriarcha Constantinopolitanus Catholicam Ecclesiam in Rhegina urbe fundavit ea lege, *ut nullus*, ait, *Archiepiscopus, sive Episcopus, sive aliquis cuiuscumque gradus ecclesiastici sit, habeat potestatem, et dominium in praedicta Ecclesia sanctae Virginis Dei Genitricis Graecorum: sed totaliter volumus hanc esse liberam, et exemptam, et Capellani Maiestatis nostrae. . . Praeterea praecipimus, ut praedictus Protopapa, et sui clerici, et totus Clerus Rheginus subditus sibi canant unoquoque die Veneris in ipsa Catholica Ecclesia continue praestiam, idest supplicationem. . . . Promotionem vero praedicti Protopapae, ut diximus ordinavimus fieri a Maiestate nostra, et ipsum eligi a communi populo civitatis, virum venerabilem, prudentem, et timentem Deum, et dignum tali ministerio, deinde ipsum Protopapam confirmari a nostra Maiestate* (2). Hoc utentes privilegio consueverunt civitatis Rhegiensis triginta sex decuriones, qui populo partes agunt, cum interventu regii Gubernatoris una congregati, tribus proponentibus Syndicis, deligere, aut unanimi consensione, aut maiori votorum numero idoneam personam, eamque Regi instituendam renunciare (3).

(1) Idem Chioccarell. *ibidem, et to. 2. del Capp. Mag.*

(2) Hoc membraneum Rogerii diploma graece auctographum Petro Protopapae inscriptum, datumque mense Iulio indict. V., anno ab Orbe condito 6620., secundum calculum LXX. Interpr. qui respondet AErae Christianae anno 1111., in latinum vertit sermonem Constantinus Lascari graecus, precibus Protopapae Nicolai Spanò indulgens, coram Regio Iudice, ac Notario Andreae de Azzarello Messanensi, pluribusque testibus die 10. Febr. 1498., ut patet ex publico eiusdem Notarii instrumento, eiusque sumpto in antiquis Curiae Capellani Maioris actis, seu *proc.* 1. pro Regia Ecclesia de Catholica *fol. 5.* Quod privilegium a Regibus Ferdinando Aragonio, et Carolo V. Imp. confirmatum commonstrant duo istorum diplomata *fol. 8.. et seq. dicti proc.*

(3) Huiusmodi nominationes in publico Decurionum consilio inter ceteras factae an. 1596., et 1675., regiaeque inde institutiones nominatorum ad Protopapae dignitatem, patent ex publicis tabulis eiusdem civitatis. Quum vero Protopapa Iosephus Logoteta mense Decembri 1743. tempore pestis mortem oppetiisset: Rex Carolus die 4. Iunii 1746. iussit, ut Syndici personam idoneam nominarent, tribus reiectis antea nominatis gradatim. Iique hinc sine Decurionum consilio nominarunt, D. Antonium Basile die 25. eiusdem mensis, qui regiam promeruit institutionem: tametsi internum in ea civitate commercium iam fuerat die 1. Octobris 1745. apertum, eodemque mense Decuriones bis in consilio coiverant, externum porro commercium inibi non ante diem 30. Iunii 1746. permissum edicto regio typis edito fuit. Verum defuncto post Basile die 14. Iunii 1754; regio rescripto declaratum est ius nominandi spectare ad publicum

Tum exorta inter Protopapam Iosephum Logotetam, et Archiepiscopum Rhegiensem lite super iurisdictione ordinaria eiusdem Ecclesiae anno 1713., eaque diu suspensa, mox a Syndicis nomine civitatis instaurata anno 1725., quorum libello inhaesit fiscalis postulatio Patroni regalis patrimonii: ex delegatione Collateralis Consilii, Regia Curia Capellani Maioris, D. Didacus Vincentius Avidania Capellanus Maior cum voto Marchionis D. Bartholomaei Positani Regii Consiliarii, definivit die 22. Maii 1726., *constare Ecclesiam S. M. de Catholica civitatis Rhegii fuisse, et esse de iure patronatus regio, et ad regiam collationem cum iure praesentandi, seu nominandi Rectorem, seu Protopapam ad beneficium eiusdem civitatis cum omnimoda* exemptione *ab Archiepiscopo . . .* ac *hodiernum Protopapam, eiusque successores, et presbyteros, sive Capellanos, et clericos eiusdem Ecclesiae inservientes esse exemptos a iurisdictione Archiepiscopi dictae civitatis: nec non manutenendum esse, et quatenus opus reintegrandum dictum adm. R. Protopapam, eiusque successores in possessione, seu quasi eligendi dictos presbyteros, seu Capellanos, et clericos, qui inservire debent in Ecclesia praedicta, cum omnimoda* iurisdictione *in illos, et facultate administrandi bona, et redditus praedictae Ecclesiae, illa locandi, et quaelibet alia acta faciendi, quae concernunt rectam administrationem reddituum, et bonorum Ecclesiae praedictae:* salva *provisione facienda super renunciatione curae animarum, vel exemptione a iurisdictione dicti Archiepiscopi respectu curae praedictae* (1).

XXII. Huiusmodi privilegio gaudet Abbatialis etiam Ecclesia S. Petri ad Curtim in urbe Salerni, quae quum palatina Langobardorum Salerni Principum Capella fuisset, mox Normannorum, Svevorum, Andegavensium, Aragoniorum, Austriacorum (2): iamdiu ex donatione Regum Ferdinandi Catholici, et Caroli V. Imperatoris cum apostolico Papae Clementis VII. adsensu ad Troianum Mormilem, eiusque hae-

ut antea decurionum consilium: quamvis Regi placuisset Protopapam tunc instituere Canonicum D. Balthassarem Baronem, a Syndicis sine consilio publico nominatum, consentientibus privatim viginti quatuor Decurionibus.

(1) Ex eodem *proc. 1. Cur. Cap. Mai. fol. 67.* Hanc sententiam scite hinc propugnavit in Collaterali Consilio Octavius Ign. Vitagliano in *difesa della Regal. Giurisd. sulla Chiesa Colleg. di S. M. della Cattolica* typis data anno 1725., hinc enervare irrito quamvis honesto conatu studuit auctor apologiae *a favor della giurisd. ordinaria dell' Archiv. di Reggio sopra la Chiesa di S. M. de' Greci, detta volgarmente la Cattolica*, Romae in typographia Komarek impressa an. 1735. Ughellius *to. 6. Ital. sacr. in Neap. Archiep. pag. 111. edit. Rom. Viget hodie* (scribit) *in Archiepiscopatu Messanensi dignitas Protopapae, qui veluti Archiepiscopi substitutus Graecis praeest.*

(2) Ex vetustis actorum commentariis in archivio Regiae Camerae Summariae servatis exemplisque inde sumptis in processu Curiae Capeil. Maior. pro Balneoli Duce. D. Nazario, et D. Nicolao Sanfelice obstantibus, ne regium placitum daretur Pontificiis Bullis D. Iosephi Pignatelli iam tunc Abbatis S. Petri ad Curtim *fol. 11. ad 20.*, tum *fol. 43.*, liquent huius Abbatiae collectiones regiae. Scilicet Fridericus II. Imp. eam Thomae de Vinea contulit an. 1239., tum Cardinalis Laudulphus a Curia Regis acceptam possedit regnante Carolo II.

redes, et successores ex corpore (1), nunc Montiscalvi Duces, praeclaram nobilium Pignatelliorum sobolem (2), pertransiit iure pleno patronatus regius (3) eiusdem Abbatiae, cum libera beneficiorum eius collatione, ac priscis exemptionibus, libertatibus, et iurisdictione Abbatis ordinaria nedum in Ecclesiam ipsam, Capellasque ad eam pertinentes, verum etjam in cunctos Capellanos, et beneficiarios in dioecesibus Salerni, Caveae, Nuceriae, alibique degentes (4). Hi enim ab ordinario Abbatialis Curiae iudicio ad Regiam Capellani Maioris Curiam appellant. Cumque plures inter Archiepiscopum Salernitanum, et Abbatem S. Petri olim quaestiones emergerent in diem super utriusque iurisdictione: eas in articulos quindecim expositas composuerunt privatim sine ullo supremarum Potestatum adsensu Archiepiscopus Salernitanus D. Casimi-

Andegavensi, Rex Robertus Francisco Caracciolo contulit an. 1314., dein Nicolao de Castrovi ad *beneplacitum* an. 1335., Regina Ioanna II. Petro de Morreriis an. 1343., Alphonsus I. P. M. Bernardo Michaeli Ord. Praedic. an. 1443, Alphonsus II. Cardinali de Aragona filio suo an. 1495.

(1) Donationis huiusmodi privilegia, primum a Rege Ferdinando I. Aragonensi datum Segoviae die 2. Octobris 1505., alterum a Carolo V. die 1. Martii 1529., habet *processus actorum Universitatis, et hominum Casalis Torditorum lit. O, fol. 108, et seqq.* simul, et Pontificium Clementis VII. adsensum Troiano Mormili concessum die 8. Novembris 1525. *fol. 112. eiusdem proc.*

(2) Ex publicis actis porro constat Troiano Mormili filium eius Carolum successisse, qui duobus sibi natis praedefunctis Fabritio, et Hercule, duas tantum superstites reliquit filias, Lauram primogenitam haeredemque universalem, et Lucretiam. Laura Mormilis ducta in coniugium a Friderico Pignatello Carpineti Barone Carolum progenuit, hic Pompeium Palietae Marchionem, hic Ioannem Baptistam, cui successit filius suus Pompeius Dux Montiscalvi, et gradatim alii suo de sanguine orti. Lucretiae Mormilis progenies perdurat in familia item praeclara Sanfelicium, et speciatim in Ducibus Balneoli, qui ad patronatum S. Petri ad Curtim ius habere quum diu, et saepe contendissent ab anno 1657. in Curia Capellani Maioris, et Regio Collaterali Consilio, succubuere potioribus primogenitae praerogativis ad Montiscalvi Duces defluxis.

(3) Quum Abbatem Decium Caracciolo Regium Collaterale Consilium anno 1575., in contradictorio iudicio cum Archiepisc. Salernitano decrevisset conservandum, manuque tenendum fore in possessione tam libertatis, et exemptionis Ecclesiae S. Petri ad Curtim, et collationis beneficiorum ab ea pendentium, quam iurisdictionis ordinariae; instauratis inter eosdem iurgiis anno 1595., rebusque mature discussis litteras dedit regias, Archiepiscopum hortantes, ut ne turbaret ullatenus vetusta illius Ecclesiae iura, et Abbatis iurisdictionem, haec inter alia inquiens: *Come si è visto, e vede per scritture, privilegi, e registri antichi delli retropassati serenissimi Re di questo regno, i quali come loro iuspadronato, e Cappella Regia per tale l'hanno sempre conferito, concesso e tenuto, con le grangie, e benefici annessi, e così al presente lo tiene e possiede detto Decio per concessione del magn. Fabrizio Mormile, il quale in essa per privilegii, che tiene confirmati anche dalla b. me. di Papa Clemente VII. subentra in luogo della Maestà sua, rappresentando in questo atto la sua persona: nè per la donazione fatta del ius conferendi, detti serenissimi Re s'hanno abdicata la potestà di proteggerla sempre, come Cappella regia*, apud B. Chioccarell. *to. 6. arch.*

(4) Videsis ad hanc regiam Ecclesiam dicta superius *lib. 1. tit. XXIII. num. X., et XXII.*

rus Rossi, et D. Ioseph Abbas Pignatellius die 20. Decembris 1741. (1). De Cavensi Curia episcopali nuper conquestis apud Regalis iurisdictionis tribunal beneficiariis huiusce Abbatiae : communi partium consensione deliberatum, decretumque, ut beneficiarii Missam in Ecclesiis Episcopo Caveae subiectis celebraturi licentiam celebrandi semel debeant ab Episcopo postulare, nullatenus postea suspendendam, nec revocandam; qui vero circa eiusmodi celebrationem deliquerint, eos Abbati Ordinario suo puniendos Curia episcopalis renunciet, ipsoque negligente ad idemmet regium Iurisdictionis tribunal (2).

(1) Concordiae articuli sunt huiusmodi. I., Caussae matrimoniorum cum incidentibus, emergentibus, et connexis Curiae Archiepiscopali reservantur, simul, et dispensationes publicationum etc. II., Caussae criminales maiores, curamque animarum tangentes ad Curiam Archiepiscopalem, aliae ad Abbatialem remittuntur hoc pacto, ut Curia Archiepiscopi non exprimat quanam auctoritate eas ipsa cognoscat, ordinaria ne, an delegata: ministri Abbatis vero possint in singulis casibus protestari archiepiscopale iudicium delegata, non ordinaria exercendum auctoritate. III., Confessariorum, Concionatorumque adprobationes Archiepiscopo reservantur. IV., Monitoria excommunicationis pro rebus deperditis, et licentias perquirendi in domibus ecclesiasticorum Abbati subditorum ut Archiepiscopus indulgeat: assensus autem super alienationibus vigore *can. terrulas* det Abbatialis Curia, praevio Archiepiscopi, vel eius Vicarii consilio oretenus. V., Indulgentiarum edicta, et publicationes Archiepiscopus emittat, ostendenda tantum Abbati, priusquam ad valvas Ecclesiarum ipsius affigantur. VI, Dioecesinae Synodo Archiepiscopali adsint Parochi granciarum Abbatis, praevia protestatione, ut nullum exinde suis exemptionibus inferatur detrimentum, quam Archiepiscopalis Curia *fore admittendam, quatenus de iure* respondebit : nullum aut cathedraticum, aut synodaticum exsolvant. VII., Visitationem Parochiarum localem, Parochorumque Abbatialium personalem faciat Archiepiscopus sine ulla procuratione, reticiturus qualem auctoritatem tunc adadhibeat: Abbas vero nil impediatur suas visitare Ecclesias, et subditos, Notarium publicum, qui semel Archiepiscopo suum ostenderit privilegium, adsciturus in Cancellarium. VIII., Praeter edicta generatim ab Archiepiscopo edenda de clericorum vita, et honestate, communque tum Cleri, tum populi disciplina ecclesiastica; specialia insuper Abbas promulget pro suis subditis. IX., Concursus ad Parochias Abbatiae, et concurrentium adprobatio coram Archiepiscopo, eiusque Synodalibus examinatoribus fiat cetera, praesertim praeelectio dignioris Bullarum expeditio, atque immissio praelecti in possessionem auctoritate solius Abbatis expleantur. X., Ultimus status quod ad numerum Ecclesiarum, granciarum, capellaniarum, beneficiorumque attendendus: futurae autem controversiae dirimendae duorum arbitrorum iudicio. XI., Licentiae clericalem deferendi vestem, clericos ordinandi, novas erigendi Ecclesias Archiepiscopo tributae; collatio autem, et institutio Abbati, qui suis famulaturos Ecclesiis presbyteros, et clericos adscribat, binos in Abbatiali Curia, singulos in ceteris, praevia fide ipsos non esse in Archiepiscopali Curia inquisitos. XII., In personas Parochorum, beneficiariorum, patentatorum, adscriptitiorum iurisdictionem Abbas exerceat (non in populum) ratione loci intra dioecesim Archiepiscopi nullatenus impediendam. XIII., Duodecim tantum Beneficiarii Abbatiae gaudeant exemptione. XIV., Ex Canonicis, Mansionariis, Parochis, Capellanis cum animarum cura Archiepiscopo subiectis neminem Abbas ad Vicarii sui munus aliudue Officium in Abbatiali curia obeundum adsciscat. XV. Tandem quaelibet super hisce articulis exequendis, vel interpretandis controversia arbitrio duorum, ex his unum Archiepiscopus, alterum Abbas eliget, definienda remittatur.

(2) Liquet ex actis recursus in archivio Regalis Iurisdictionis.

XXIII. Extant praeterea hoc in regno, qui ecclesiasticam medii aevi disciplinam adhuc retinent, inferiores Praelati non exempti, ordinariam in primo gradu iurisdictionem in caussis fori ecclesiastici in Clerum, et populum exercentes, dioecesano Episcopo subiectam in secundo gradu. Cuiusmodi est Abbas Ecclesiae, Collegiique S. Bartholomaei Terrae Paduli Beneventanae dioecesis, curam habens animarum, mitra pontificalibusque ornamentis decoratus; iudex ordinarius in caussis civilibus, et mixtis, quas rite cognoscendas mandare Vicario idoneo consuevit ius cuique suum ibidem reddenti; et collator aliquot illius Ecclesiae portionum (1).

XXIV. Graecos Antistites Italo-graecis ritu suo sacra ministrantes in regionibus praecipue nostris commemorare abs re non erit. Ubi duo essent Episcopi *eiusdem loci*, ait Benedictus XIV., *a Sede Apostolica deputati*, *unus latinus*, *alter graecus* (*quemadmodum in Calabriae partibus*, *et in Sicilia olim fuisse perhibetur*, *et nunc in quibusdam Graeciae insulis existunt*): alter alterius iura ne invadat, *sed Episcopus latinus latinorum*, *Episcopus vero graecus graecorum dumtaxat curam*, *regimen*, *et iurisdictionem respective habeant*, *et exerceant*. Id autem declarat non congruere duobus Episcopis, Romae uni, alteri in Calabriae Seminario Corsino institutis, *quum ii facultatibus Ordinariorum careant* (2). Ita enim Italo-graecos, praesertim Albanenses, et Epirotas in suo ritu permanere concessit, *ut latinorum Episcoporum*, *in quorum dioecesi degunt*, *iurisdictioni subiecti censeantur*: *non obstantibus quibuscumque exemptionibus*, *aliisque privilegiis*, quae sint iam dictis *Graecis*, *eorumque Praelatis*, *Rectoribus*, *Abbatibus*, *et aliis tam S. Basilii*, *et alterius Ordinis regularibus*, *qui privatam vitam ducunt*, *nec in Congregationem sunt redacti*, *quam saecularibus*, *ac etiam laicis personis* concessa. Ipsi propterea

(1) Capitularia statuta Collegiatae Eccl. Abbatialis S. Barth. Terrae Paduli ex antiquis moribus in codicem redacta anno 1703., quae suo adsensu roboravit, et adamussim servanda iussit die 23. Aug. eiusdem anni fa. me. Card. Vincentius Maria Ursinus tunc Archiepiscopus, idemque dein summus Pontifex Benedictus XIII, haec habent in *cap. 4. de officio Abbatis*, *art. 2. l' elezione dell' Abbate si fa dal Collegio*, *come per breve di Papa Paolo IV. sotto li 25. Maggio 1558.*, *e si conferma dall' Arcivescovo. 3. Gode l' Abbate l' uso della mitra. 4. Gode parimente il dritto delle* cause civili, e miste *a tenore della transazione stipolata nell' anno 1536. a 12. Agosto dalla ch. me di Francesco della Rovere Arcivescovo nostro predecessore con Steffano Maccino Abbate di questa Chiesa. Pertanto l' Abbate eligge un Vicario idoneo ad amministrar la giustizia*, *ed ha il suo Cancelliere*, *e 'l cursore*, *le sportule si esigono a tenor della nostra tassa Arcivescovile. 5. Conferisce*, *o piuttosto distribuisce l' Abbate alcune porzioni beneficiali*, *delle volgarmente* tozzi, *e sono nel ristretto*, *e pertinenze della Terra di Paduli*, *si distribuiscono però alli cittadini abitanti in detta Terra . . . . e si godono durante il servigio alla Chiesa*, *onde vacano* ipso iure *lasciandosi il servigio senza legittima causa.*

(2) Benedict. XIV. in *const. etsi pastoralis* 57. *de dogmatibus*, *et ritibus Italo-graecorum* §. *g. num. 20. to. 1.* Bull. Huiusce Bullae summa capita recensui *lib. 2. tit. 3. de ritib. sacr. num. 27.*

locorum Ordinarii quascumque eorumdem Graecorum, et Albanensium Ecclesias, Monasteria, Prioratus, et alia pia loca tam saecularia, quam cuiusvis Ordinis regularia, eorumque Praelatos, etiamsi episcopali, archiepiscopali, ac maiori dignitate praefulgeant, necnon Abbates, Rectores, Ministros, et quasvis alias eius notionis personas in suis civitatibus, et dioecesibus consistentia, quoties opus fuerit, visitare, ac in illis suam ordinariam iurisdictionem, plenamque, et omnimodam auctoritatem in iis, quae Dei cultum, Sacramentorum administrationem, ac animarum salutem, haeresumque extirpationem concernunt, exercere valeant (1). In Dioecesi, ubi Latini, et graeci inhabitant, et solum Archiepiscopum, sive Episcopum latinum *Ordinarium habent,* iste *circa negotia, et caussas graecorum, Vicarium graecum ipsis graecis gratum, vel per ipsos graecos eligendum* (*ex quo graecus vir melius graecos mores novit, quam latinus*) *ipsorum stipendio, et salario retinendum deputet, et in caussis appellationis Metropolitanus, qui graecus non esset, similiter iudicem graecum deputare teneatur* (2). Ceterum in Italia Graecis Praelatis numquam esse in populum latini ritus iurisdictionem adtributam, docet Benedictus XIV. (3).

XXV. In Ægyptios vero, aliosque ritus Cophtici ad catholicam Ecclesiam conversos, cuiuscumque ii sint dioecesis, pastoralem curam, et iurisdictionem ecclesiasticam tribuit speciatim Athanasio Episcopo Hierosolymitano ritus Cophtorum idemmet Papa providentissimus die 4. Augusti 1741. (4).

XXVI. Dicendum superest, nunc de Praelatis vere nullius dioecesis cum territorio separato iurisdictionem quasi episcopalem, et ordinariam ab Apostolica Sede mandatam in Clerum, et populum adeptis, quos non paucos in hoc regno exstare iam superius commonui (5). Ex istis plerique sunt Regulares, nonnulli monasteriorum Commendatarii, ceteri Ecclesiarum a fundationis limine saecularium Rectores: horumque aliquot regiae collationis prima iudicia deferuntur ad Curiam Capellani Maioris in gradu appellationis, aliorum ad Romanam immediate.

XXVII. Monachis tardius, quam passiva exemptio accessit activa isthaec in Clerum saecularem, ac populum iurisdictio, quippe cuius nulla aevo Alexandri III. exempla suppetere, eoque minus antiquiora, tradit Benedictus XIV. (6). Monasterio S. Stephani Ordinis S. Benedicti urbi Menopolitanae finitimo donationes ab Episcopis Conversani factas quum confirmassent Paschalis II. saeculo XI., tum Calixtus II., et Alexander III. saeculo XII., sub immediata Sedis Apostolicae protectione illud recipientes, eiusque bona omnia, in his oppidum Putiniani una cur

(1) Idem Pontifex *loc. cit. num. 19.*
(2) Ibidem *num. 21.* Consonat Innoc. III. in *cap. quoniam 14. de offic. iud. ordin.*
(3) Idem in *const. inter multa 33. to. 2.* Bull. *pag. 278.*
(4) Idem in *const. quemadmodum 25. to. 1.* Bull.
(5) *Lib. 1. tit. XXIV. de Prael. infer. num. 11.*
(6) Bened. XIV. in *const. apostolicae servitutis 76* §. *11. to. 1.* Bullar.

suis membris *solutum ab omni iugo, et exactione tam Episcoporum, quam saecularium:* praeterea usum mithrae, annulique Abbati Alexander indulsisset, prohibens Episcopo, ne interdicto ecclesiastico tangeret *Ecclesiam, aut monasterium, monachos, clericos, seu etiam laicos utroque iure ipsis subiectos*, unius unciae auri censu imposito quotannis ad Romanae Sedis reverentiam, et homaginm persolvendo: tum Ioannes XXII. anno 1717. idemmet monasterium Religioni Hierosolymitanae perpetuo univisset *cum Ecclesiis, Capellis, membris, castris, casalibus, granciis, territoriis, olivetis, possessionibus, iuribus, iurisdictionibus, libertatibus, privilegiis, et exemptionibus, ac omnibus bonis, iuribus, et pertinentiis suis:* re cognita, et partibus plene auditis censuit iureconsultissimus Benedictus XIV. non aliud ea indulta Pontificia praeseferre, nisi nudam ac simplicem exemptionem passivam monasterii, et monachorum una cum clericis, et laicis eorum obsequio mancipatis, et servitio addictis a iurisdictione Ordinarii, non translationem in Abbatem iurisdictionis ordinariae, et ecclesiasticae in Clerum, et populum Putiniani, praevia separatione eiusdem oppidi a reliqua dioecesi Conversana (1). Addit cessione, ac donatione iuris episcopalis iam dicta nihil aliud transfusum in Abbatem fuisse, *praeterquam aliquam iuris episcopalis partem, cohaerentem, et consentaneam soli exemptioni passivae* (2).

XXVIII. Eodem, fato ac iure in ordinariam Episcopi Miletensis potestatem spiritualem iam cesserunt duo Melicucca, et Drusium oppida, in temporalibus ad Ordinem Hierosolymitanum, eiusque Commendatarios equites pertinentiam. Nam plura expertus impedimenta Episcopus Miletensis, quominus ordinariam in Clerum, et populum, delegatamque in personas, et Ecclesias inibi exemptas exerceret, supplex adiit S. Congregationem Concilii anno 1742., manutentionem postulans. Contendentibus autem Commendatariis, ipsorumque Religione huius caussae notionem fore ad tribunal A. C. aut Rotae auditorium remittendam, Benedictus Papa XIV. die 29. Ianuarii 1743. in Signatura Gratiae rescripsit: *quoad territorium separatum ad Congregationem Concilii, quae procedat cum voto Rotae praeviis duabus decisionibus, et videntibus omnibus, in reliquis ad eamdem Congregationem etiam ad effectum manutentionis.* Hinc super dubiis septemdecim consensu partium propositis, quae manutentionem solummodo spectant, S. Congregatio in omnibus manutenendum Episcopum decrevit die 3. Augusti 1743., mox die 23. Novembris eiusdem anni standum in decisis, et amplius non proponenda (3). Cumque impedimentum regio placito obiecissent duo

(1) Idem Papa in *cit. const. 76.*, seu epistola decretali pro Episcopo Conversani contra Baiulivum S. Stephani, et Magnum Magistrum, ac Fratres militaris ordinis S. Io. Hierosol. a §. *5. ad 10.*

(2) Ibidem §. 12.

(3) Relatio Curiae Capellani Maioris 1. Martii 1746. pro regio placito per Promotorem fiscalem Episcopi Miletensis petito integrum fert decretum S. Congr. et XV. dubia his verbis concepta. 1, an in omnibus, et singulis actibus iurisdictionalibus sit concedenda manutentio Episcopo Melitensi in locis Drusii,

earumdem Commendarum aerarii, et utriusque Universitatis procurator, contendentes decretum eiusmodi adversari nedum generalibus privilegiis quum pontificiis, tum regiis eiusdem Religionis, sed specialibus etiam iuribus ipsarum Commendarum inveterata, et immemorabili possessione suffultis, istamque plurimis, quae magnum in ea ipsa Curia volumen constant, documentis comprobari, Baiulivus autem Marullus, cuius partes Religionis, Commendarumque tueri proprium erat, quamvis requisitus non adhaerere huiusmodi impedimentis putasset: ipsamet Curia partibus auditis censuit die 1. Martii 1746. posse placitum regium impertiri hac lege, ut nullum privilegiis, iuribusque Religionis detrimentum, quotiescumque pro iis observandis legitimum habebunt recursum, inferatur, nec regni legibus quod ad ordinandorum requisita, praedicatorum electiones, pro Seminariis taxam, locorumque piorum administrationem. Exin Regalis Camera S. Clarae die 30. Iulii eiusdem anni decrevit, quod *exequatur servata forma* istius *relationis* (1).

XXIX. Res ita gestae patefaciunt eam iuris ecclesiastici regulam hoc in regno vigere, quae ordinariam Episcopis dioecesanis iurisdictionem

et Melicuccae, seu potius commendatariis: et quatenus negative quoad omnes, an saltem in sequentibus? 2, an in collatione Ordinum, et concessione litterarum dimissorialium, nec non in iure recipiendi probationes super omnibus requisitis ordinandorum? 3, an in iure adprobandi, et concedendi licentiam audiendi Confessiones, nec non reservandi quosdam casus? 4, an in iure approbandi praedicatores in dictis Commendis, expediendi litteras patentales, et concedendi licentias, et respective impertiendi eisdem benedictionem? 5, an in iure absolvendi a iuramentis tam cives, et incolas eorumdem locorum, quam alios dioecesis Militensis ad effectum agendi, et excipiendi in iudiciis? 6, an in iure concedendi licentiam pro expositione SS. Sacramenti tam in Ecclesiis parochialibus, quam in aliis? 7, an in iure visitandi Ecclesias parochiales, aliasque omnes dictarum Commendarum? 8, an in iure visitandi Clerum earumdem Commendarum quoad scientiam, mores, et vestes sacras, et profanas, ac desuper edendi decreta pro honestate vitae clericorum, eorumque institutione? 9, an in exercitio omnimodae suae iurisdictionis tam in visitatione, quam extra nedum contra omnes, et singulos de clero non habentes tria requisita Concilii, sed etiam contra Capellanos curatos destitutos eisdem tribus requisitis tam in concernentibus curam animarum, et administrationem Sacramentorum, quam in omnibus aliis? 10, an in exercitio eiusdem iurisdictionis quoad populum, et laicos non habentes tria requisita in his, quae pertinent ad forum ecclesiasticum, et episcopalem? 11, an similiter in exercitio illius iurisdictionis, quae de iure, et ex Concilio competit Episcopis super regulare, eorumque Ecclesias existentes in dictis Commendis? 12, an in iure cogendi Capellanos curatos dictarum Commendarum ad interveniendum dioecesanae Synodo, eiusque constitutiones observandas? 13, an in iure exigendi taxam Seminari, et beneficiis erectis in dictis Commendis? 14, an in iure cognoscendi caussas civiles, criminales, mixtas, beneficiales, et matrimoniales? 15, an in iure exigendi rationes administrationis singulis annis a procuratoribus Ecclesiarum, et Capellarum, aliisque administratoribus locorum piorum? 16, an in iure convocandi concursum occasione providendi Ecclesias parochiales? 17, an saltem in iure examinandi, et adprobandi Vicarios curatos, qui deputantur a Commendatariis? die 3. Aug. S. Congr. censuit in omnibus esse manutenendum Episcopum.

(1) Liquet ex actis originalibus, et Codice relationum Curiae Capell. Maior.

in iure communi fundatam in dubio tuetur, quoadusque inferior Praelatus rite non estenderit eam sibi concessam expresso privilegio, aut praescriptione immemorabili, et pacifica, quae privilegio conjecturali aequipolleat, quaesitam. Episcopi sane quum nativi, et ingeniti ab ipsa christiani nominis origine sint gentium, locorumque omnium singulatim Praesules, iudicesque in Ecclesia ordinarii: consequitur quoslibet alios Episcopo inferiores certis personis, aut locis Praepositos extra primigenium ordinem fuisse humano iure privato, et speciali, quod a Iureconsultis *privilegium* appellatur, superinductos, et additos per accidens, nullamque idcirco *nativam* concipi exemptionem posse, quae nonnisi *accessoria* est, praeviam subiectionem indicans (1). Iurisdictio autem activa in Clerum, et populum nil commune habet cum simplici exemptione passiva, eamque haec non parit per sese (2), nec territorii separationem (3). Quoniam quilibet Praelatus inferior in territorio separato perinde Ordinarius est, ac erat ante separationem Episcopus (4), novaeque disciplinae canonibus, *Ordinarius loci* propterea nuncupatur (5): iure merito istud *nullius dioecesis* appellant, quum neque *in* dioecesi, nec *de* dioecesi ea, cui ademptum sit, exstet amplius (6). At exemptus absque separatione locus *in* dioecesi reapse permanet, quamvis *de* dioecesi non sit (7).

XXX. Inter Praelatos autem Regulares iurisdictionem quasi episcopalem cum separato territorio in Clerum, et populum exercentes in regionibus nostris, praecellit Abbas Casinensis, ordinarius locorum viginti octo (8), ex quibus nativa eius, et propria dioecesis, olim episcopalis

(1) Id quod scite, ac lucidius edisserit D. Clemente de Arostegui *par. 1. de concord. pastor. cap. 4. num. 69. ad 72.*

(2) Ex traditis a Bened. XIV. in *cit. decretali* pro Episcopo Conversani, et *const. inter multa 33. to. 2.* Bullarii.

(3) Rota *dec. 334. num. 20. par. 13. rec.* alibique.

(4) Rota *dec. 99. num. 4. par. 14. rec.* Hinc Abbates in Ecclesiis, locisque separatis pleno sibi iure subiectis ordinariam, et *quasi episcopalem* iurisdictionem habere dicuntur, quia Episcopis eos acquiparant Barbosa *lib. 1. de iur. Eccl. tit. de Abbatibas cap. 17. num. 4.*, Erasmus Chokier *de iurisd. ordin. in addit.* Rota *dec 220. num. 20. par. 17. rec.* ceteri.

(5) In rubrica Decretalium *de officio, et potestate iudicis Ordinarii*, in *cap. Ordinarii locorum eod. tit. in VI.* Trid. in *cap. caussae omnes 29. sess. 24. de ref.* Unde fit, ut quae Ordinariis locorum Synodus Tridentina, et Apostolicae Sedis constitutiones, iure etiam delegato gerenda mandaverint, ea possint istiusmodi Praelati explere, secus alia solis *Episcopis* mandata speciatim, Bened. XIV. *lib. 2. de Synod. dioeces. cap. 10. num. 2., et seq.*

(6) Rota *dec. 324. num. 1. par. 1. rec.*

(7) Bonifac. VIII. in *cap. cum Episcopus 7. de offic. ordin. in VI.* gloffa in Clement. *frequens . . . .* verbo *primi anni de excess. Praelator.* Fagnan. in *cap. cum contingant num. 32. de for. compet.* D. Clemente de Arostegui *par. 1. de concord. pastor. cap. 4. num. 79., et seq.*

(8) Haec loca enumerantur in Urbani VIII. litteris datis die 30. Maii 1639, sub annulo Piscatoris, quas confirmavit Benedictus XIII. in *const. quod inscrutabilis* pridie nonas Aug. 1725., impressa in *append. Synodi Romanae, art. 8.* Videlicet civitatis *S. Germani, et Casalis S. Basilii de Chaira, nec non S. Eliae, S. Victoris, S. Petri in fine, S. Apollinaris, S. Andreae, S.*

constatur (1), ecclesiastica fori externi iudicia per Vicarium Regularem cum voto Consultoris administrans. Quonam tempore, quove Pontificum auctore primum episcopalis iurisdictio in quasi episcopalem Abbatis desciverit, etsi non liqueat (2): ex rebus tamen saepe iudicatis in Curia Romana (3), pluribusque summorum Pontificum litteris videntur Episcopi Casinates eo ex tempore desivisse, quo B. Benedictus inibi officia Episcopi satius, quam Episcopus explevit (4). Namque is *veterem dioecesim*, ait Rota Romana an. 1677. (5) *excolendam suscepit, Gothorum idololatriam extirpavit, et in cacumine montis. . . tamquam in proprio domicilio Cathedram sibi fixit abbatialem, cuius ordinaria iura titulo divinae missionis circumiacentis populi adquisiverat: post cuius gloriosam obdormitionem Abbates Casinenses, licet non essent Episcopi, iura tamen episcopalia, et omnimodam iurisdictionem per octigentos fere annos sedulo exercuerunt, donec anno 1322. Ioannes Papa XXII.* (6) *eamdem Ecclesiam in Regularum Cathedra-*

Ambrosii, S. Georgii, S. Petri in Curulis, S. Angeli in Theodice, S. Salvatoris de Cucurutio, S. Petri de Avellana; ac Vallisrotundae, Bellimontis, Cerbarii, Teroculi, Rocchae, Evandri, Pignatarii, Vallisfrigidae, Castrinovi, Pescularum prope Iserniam, Vallifregiae, Civitellae, Villettae, Pesculi constantii, Serraemonaceschae, Faraefiliorum Petri, et Citrarii.

(1) Quinto saeculo Episcopum Casinensem S. Severum adfuisse Romanae Synodo, quam de lapsis Ecclesiae Africanae recipiendis Felix III. habuit in Basilica Constantiniana anno AE. V. 487., ostendunt eiusdem Synodi acta a Severo Casinate cum aliis Episcopis subscripta, *to. 2. collect. Concil.* Cuius in Episcopatu successorem Fortunatum commemorat P. Thomas Bozius *de notis verae Eccl. signo 12.* tum P. Matthaeus Lauretus in *adnot. ad vitam S. Benedicti cap. 8.*, ceteri.

(2) *Postquam S. Benedictus ad Casini montem venit, ibique sedem fixit, non amplius leginus Episcopos Casinenses, ut vel hinc appareat ex illo tempore Episcopatum Casinensem in Abbatiam S. Benedicti transmigrasse*, scribit idem Lauretus *loc. cit.* Sed nullum hactenus vidi monumentum, unde patefiat suppressio Episcopatus, initiumque iurisdictionis spiritualis amplissimae ad Abbates Casinenses delatae.

(3) Rota Romana coram Merlino in Sorana beneficii 8. Martii 1627., coram Albergato in Montis Casin. praeeminentiarum 30. Aprilis 1677., 14. Apr. 1679., 27. Ian. 1681., in Capuana, seu Mont. Casin. parochialium coram Bourleemon 10. Martii 1679., coram Matthaeo 17. Iunii 1686., et coram Ursino 6. Aprilis 1693.

(4) S. Gregorius M. *lib. 2. dialogorum* in vita S. Bened. *cap. 8.* sanum in monte Casino vetustissimum fuisse narrat, *in quo ex antiquorum more gentilium a stulto rusticorum populo Apollo colebatur. Circumquaque etiam in cultu doemonum luci succreverant, in quibus adhuc eodem tempore infidelium insana multitudo sacrificiis sacrilegis insudabat. Illuc itaque vir Dei perveniens contrivit idolum, subvertit aram, succendit lucos . . . et commorantem circumquaque multitudinem praedicatione continua ad fidem vocabat.*

(5) Rota coram Albergato in Montis Casin. praeeminentiarum 30. April. 1677. §. quod etiam, apud P. D. Erasmum Gattula *to. 2. histor. Abbatiae Casinens. saec. IX. §. 5. pag. 518.* edit Coleti Venetiis, et P. Ang. de Nuce, ex Abbate Casinensi Archiep. Rossanensis in *notis ad cap. 4. lib. 1. Chron. Casin. num. 506.*, ubi *spiritualis iurisdictionis Casinensis qualitas, et origo edisseritur.*

(6) Ioannes XXII. in bulla *supernus opifex*, quam Avenioni dedit 6. nonas

lem erexit, ordinem episcopalem dumtaxat addendo Abbatibus in posterum canonice eligendis, quod servatum extitit usque ad annum 1367, sub Urbano V., qui reservata Abbatibus iurisdictione episcopalem ordinem duntaxat ademit (1). Suam ita possessionem dioecesis cum omnimoda iurisdictione interea numquam intermisit Casinense Monasterium, sed posteriores etiam Pontifices novis bullis, ac sententiis cognita re, auditisque contradictoribus eam confirmarunt, manuque Apostolica tuendam censuerunt, praesertim Xystus V., an. 1589. (2), Urbanus VIII. an. 1687. (3), Innocentius XI. (4), et Benedictus XIII. (5) (*).

XXXI. Non absimilis est Cavensis Abbatis iurisdictio, et quasi episcopalis dioecesis, cuius originem ex coenobio Salernitano S. Benedicti, et vetusta in castro Metelliano cella eiusdem coenobii repetendam puto. Coenobium istud octavo saeculo Guibaldus Beneventi monachus, et nobilibus Langobardis Salerni ortus fundavit annuente Grimoaldo Salerni Principe, a quo multa dona, et praedia in castro Metelliano, alibique

Maii, Pontificatus an. 6, ex Vaticano Codice transumpta, et servata in Archivo Casinensi, unde eam exscripsit idem Gattula *loc. cit.*

(1) Urbanus V. in bulla *Romanus Pontifex* data 2. Kal. Apr. Pontif. an. 5, AE. V. 1366; in eodem *to. 2. hist. Casinens. pag. 517., et seq.*

(2) Xystus V. in const. *benignitas Apostolicae Sedis*, 10. kal. Mart. 1589, (quam videsis insertam in Benedicti XIII. *const. quod inscrutabilis* in append. Conc. Rom. §. 8) omnia, et *singula privilegia*, ait, *immunitates*, *gratias*, *facultates et indulta*, *praesertim conferendi Sacr. Chrismatis . . . concursum pro conferendis beneficiis ecclesiasticis. Curatis in mensibus apostolicis faciendis, ac commissiones gratiarum... etiam quoad dispensationes matrimoniales. . . confirmamus . . . nec non pro potiori cautela Abbati dicti Monasterii, vel suo generali Vicario . . . concedimus.*

(3) Urb. VIII. suis litteris sub annulo Piscatoris die 30. Maii 1639. iussit, ut quascumque litteras Apostolicas gratiam, vel iustitiam spectantes pro Dioecesis Casinensis personis, et locis XXVIII. specialim inibi descriptis Officiales, ministrique pontificii semper Abbati Casinensi, aut eius Vicario in spiritualibus generali, et non aliis dirigerent.

(4) Innoc. XI. suis etiam litteris in forma Brevis die 22. Martii 1687, confirmavit decretum S. Cong. Episc., et Regul. cum voto Rotae promulgatum pro Abbate, ac Monasterio Casinensi contra Capitulum, et Canonicos Collegiatae Ecclesiae civitatis S. Germani super controversa horum subiectione, aliisque dubiis per eosdem propositis, perpetuum silentium eis indicens.

(5) In romana Benedicti XIII. Synodo die 18. Martii. 1725. quum Clerus et populus S. Germani iteratis libellis. postulassent, ut supprimerentur iura quasi episcopalia Abbatis in dioecesi Casinensi, et Sedis episcopalis vel institutio, vel restitutio fieret, ac proprius Episcopus in civitate, et Ecclesia S. Germani crearetur: Benedictus XIII. re cognita iam dictas primum litteras apostolicas Xysti V., Urb. VIII., et Innoc. XI. firmavit, dioecesim Casinensem totam Abbati cum omnimoda quasi episcopali iurisdictione iterum adiudicans, perpetuum Capitulo, Clero, populoque S. Germani silentium indixit sua const. *quod inscrutabilis*, quae prostat in *append.* eiusdem Conc. Rom. *loc. cit.* et apud cit. P. Gattula *to. 2. hist. Casin. pag. 834.*

(*) Videsis allata superius in animadversionibus ad num XV. huiusce tit.

sita obtinuit (1). Praepositos in eo creare Abbas Casinensis consuevit (2) quoadusque Alfanus I., Abbas coenobii salernitani ab Ioanne Casinensi Abbate institutus est anno 931. (3), summque inde monasterium postulante Guaimario Principe, omnium coenobiorum, et cellarum, quae ad illud in toto principatu salernitano, et Calabria pertinebant, caput est constitutum, firmatumque privilegiis Leonis Papae VII., et Imperatorem Constantini, et Romani Lecapeni, tum Othonis iunioris (4). Alfano successit Gregorius anno 949, tum Faustinus, et Faustino Angelarius anno 985., tum Conradus de Teuthonia an. 995., Theobaldus

(1) Chronicon Cavense a Petro de Salerno Cancellario, et Girberto Archivario collectum (quod ex Fabio Vecchione Camilli Peregrini comite amanuensi, et ms. codice archivi SS. Trin, Cavens. nuper vulgavit vir cl. Franc. M. Pratillus *to. 4. hist. Langobard. Peregrini a pag. 386. ad 451.* edit. Neap. an. 1753.) haec in primis habet. *A. D. 794 ... temporibus Constantini Aug., et Hadriani Papae Guibaldus monachus Beneventi, qui in civitate Salerni de nobilibus Langobardorum ortus erat, Grimuald Principem exoravit, quatenus Cenovium monachorum in Salerno instrui faceret sub invocatione S. P. Benedicti. Quod et post aliquot menses factum est, et Guibaldus ipse Praepositus eiusdem Cenovii ordinatur, per quem a Principe ipso multa dona, et praedia obtenta sunt, in* castro *nempe* Metuliano, *in partibus Ebulo, in Tiscianu, in Rota, et Capaque. An. 795. Ecclesia, et Cenovium coepit havitari a Guibaldo Praeposito cum duo monachis, et aliis servientibus in solemnitate S. Andreae.*

(2) Idemmet chronicon Cavense Guibaldi successores Praepositos commemorat Aidulfum an. 805., Aleprand an. 825., Severinum an. 844., Hilarium an. 852., Teobaldum an. 853., Radenolfum, dein Andream de Aquino an. 873., silentio praeteritis horum omnium electoribus. Mox ad an. 886. ita subdit: *Angelarius ven. Abbas Casini Salernum venit, et Praepositum nostrum fecit Ludgerum de Putentia suum Cancellarium. An. 900. Ioannicius de Nuceria missus est nostro Monasterio Praepositus ab Abbate Ragibrando. An. 916. Ob mortem Iounnicii substitutus est in nostro Cenovio Tibaldus de Salerno, qui erat de adfinibus Guaimarii Principis.*

(3) *An. 931. Alfanus Abbas Monasterii nostri* (aiunt ipsius chronici auctores) *in Casinum profectus est, ut multa ibi cum Abbate perficeret pro nostro Monasterio, et cellis in Principatu. An. 933. Alfanus Abbas de Casino revertitur pro solemnitate S. Benedicti, et multa dona obtinuit a Ioanne Abbate Mon. Casin. simul cum charta confirmationis, per Ind. VI.*

(4) *An. 937. Leo Papa* (VII.) *electus est post Ioannem, qui confirmavit omnia bona, et Ecclesias nostro Monasterio per manus Petri Subd. an. 938. Constantinus, et Romanus Augusti multa privilegia, et eximitiones concèsserunt huic Monasterio aurea bulla signata per manus Zenonis Strategi nobis tradita, et sub sua protectione recepit omnes cellas, Ecclesias, et monasteria nobis subiecta ..... Abbas Casinensis Adelpertus ad rogatum, et preces olim factas a Guaimario Principe, et eius coniuge, et filiis huic nostro Monasterio Salernitano concessit omnia alia Cenovia, quae ad illud pertinebant in toto Principatu, et in Calabria .... et ipsi univit, et adsignavit, faciens monasterium S. Benedicti de Salerno omnium aliorum caput. Et in quo Dominus residebat abbas Alfanus: qui praestare debebat in singulis annis Abbati S. Benedicti de Casinensi cenobio sol auri LX. in festivitate S. Benedicti. An. 976. Otto iunior ad preces Pandulfi Salernitani Principis confirmavit monasterio nostro omnia alia, quae erant in toto Principatu, et Calabria cum cellis, et sua mobilia, stabilia, animalia, servos, piscaria, silvas, aliaque bona.*

*

I., Aripertus an. 1007., Theobaldus II., tandem B. Alferius Pappacarbona an. 1011., eximio Langobardorum sanguine ortus, Salernitani Principis Guaimarii III. ad Othonem Imperatorem legatus (1). Iam anno 966. ad latus Fenestellae montis in Metelliano extructa Cella fuerat ab Ermerico Praeposito Cellae S. Mauri in Centulis cum Gisulphi Principis, et Abbatis monasterii Salernitani consensu (2). Leutius monachus Casinensis hanc Metellianam Cellam incoluit cum aliis fratribus anno 987. (3): mox Dauferius e Beneventanis Principibus oriundus (4).

(1) Ex eodem Chron. ad *an. 995 Angelarius, qui post biennium Romae morabatur, Abbatem nobis misit Conradum de Teuthonia Ottonis Aug. familiarem, qui cum ipso Romam advenerat mense Madio, et paulo post rediit. An. 1011. Mortuus est in Mon. S. Benedicti Theobaldus Abbas II. die post Pentecostes prima noctis vigilia, et post tres dies electus est in Abbatem.* Alferius, *qui erat* Praepositus *Cellae in* Matelliano, *et ibi residere voluit; et in Mon. Salerni misit Aripertum affinem suum Praepositum, et Petrum germanum Comitis Malliani pro suo Cancellario. An. 1012. Alferius Abbas* Ecclesiam SS. Trinitatis *aedificare coepit cum hospitio peregrinorum. Dauferius Benev. oblatus est in hoc Monasterio.*

(2) Ex eodem Chron. *ad ann. 669. Ermericus Praep. Cellae S. Mauri in centulis a Saracenis destructae Cellam prope Salernum ad latus Fenestellae montis fecit cum Gisulphi, et Abbatis nostri consensu. An. 1007., Teobaldus in Tusciano necatus occubuit in vig. Epiphaniae, et Aripertus eius Cancellarius Abbas factus est idib. Ian., qui in* Metelliano *nova aedificia fecit, et cum primis ibidem incolentibus tres alios monachos distribuit.* Oppido Metelliano dedit nomen Q. Caecilius Metellus Consul Romanus illic dudum moratus, ut Brutios, et Lucanos a Romanis ad Annibalem defectos compesceret anno ante Ae. V. 240., ex traditis a Cluverio *lib. 4. Italiae antiquae cap. 6. tom. 2.*, Pavinio *de republ. Rom. tit. de coloniis*, et Octavio Beltrano in *descript. Regni Neap.*, *qui* Caveae Urbem ex quatuor antiquis Oppidis, *Metelliano, Passano, S. Adiutore, et Corpore Cavensi* erectam emersisse tradit. De ea simul scribens Marinus Freccia *in tract. de subfeudis* ait: *vetustatem magnam exhibet in eo loco, qui* Mitilianus *dicitur, et S. Caesarius, sedes ibi Normannorum Ducum, fulget militibus utriusque disciplinae.*

(3) Ex eodem Chron. ad *an. 987. Leutius Monachus de Casino propter mala, quae erant in dicto Monasterio ex Abbatis* (Mansonis) *ferocia cum aliis fratribus venerunt Salernum, et post dies aliquos habitare coeperunt Cellam nostram in Matelliano, sed volentes pergere Hierosolymam, ingressi sunt in navem Veneticorum.* Leo Ostiens. *lib. 2. cap. 30.* addit Leutium Hierosolymis *regressum, qui primo quidem apud Salernum in quadam eremo, ubi nunc Monasterium SS. Trinitatis ad Cavam cognomento constructum esse dignoscitur, aliquandiu remoratus est.* Ubi a Guimerio Principe agnatus, atque in maxima est *reverentia habitus.* Adnotat ibidem Abbas de Nuce: *Ante sanctum Cavensis Monasterii Abbatem Alferium, vel forte cum eodem tunc eremicola cryptae illius habitator extitit Liutius. Crevit postea in amplissimam dignitatem Cavense Monasterium.*

(4) Dauferius postea vestem indutus religiosam in Beneventano Monasterio S. Sophiae Desiderius dictus est, mox Abbas Casinensis, in solio tandem pontificio Victoris III. nomen assumpsit. Desiderius ipse *lib. 3. dialog.* haec de se narrat: *Alferius Abbas monasterii SS. Trinitatis, ab ipso in latere montis aedificati, quod inter Salernitanam, Amalphitanamque Civitatem praeeminet mari, extitit: cuius religiosam, et Deo amabilem vitam, et ipse ex parte vidi, qui apud eum aliquantulum familiariter mansi, et aliis referentibus a-*

Itaque B Alferius monasterii Salernitani Abbas residere quum maluisset in cella Metelliana in montis cavo substructa, inibi Ecclesiam, et coenobium peramplum aedificavit SS. Trinitati dicatum. Exinde Cavensis Abbas nuncupatus ad suos successores dignitatem, titulumque Abbatis SS. Trinitatis ad Cavam transmisit, monasterii Salernitani cura Praepositis demandata (1), quod Abbatiali residentia, ac dignitate nudatum, neglectumque processu temporis pessum ivit (2), istudque nunc Olivetani Patres possident (3). A S. Gregorio VII., et Urbano II. Monaste-

gnovi Leo Ostiensis *lib. 3. Chron. Casin. cap. 4.* fugam Desiderii e materna domo Beneventana ad Guaimarium Salerni Principem consanguineum suum describens, ait: *huius igitur adventu nimis exhilaratus Guaimarius, et vehementer admiratus tantum in tanto adolescente fervorem, annuit postulatis: eumque secum per dies aliquot retinens . . . . demum ad monasterium SS. Trinitatis, quod ad Cavam nuncupatur, non longe a Salerno situm, eodem petente, transmisit.*

(1) Mabillon *annal. Benedict. to. 4. lib. 55. num. 81. et seq.* cum Ughellio primordia Cavensis Monasterii non ante initium saeculi undecimi statuenda putat, *quod pace awantissimorum Patrum Cavensium* dicere se profitetur, posthabita eorum traditione de antiquiori origine, scribens: *Transmissa est ad me per D. Erasmum a Caieta Priorem, et Archivistam sacri Monasterii cum notis historicis, et chronologicis D. Philippi de Pace monachi Cavensis, in quibus Cavenses nostri asserere pergunt, Monasterii sui originem ad an. 980. esse referendam.* At saepedictum Cavense Chronicon Mabillonius non vidit, unde patefit abbatialem monasterii Cavensis dignitatem iandiu ante, quam istud aedificaretur, viguisse in Abbatibus coenobii Salernitani, quorum primus fuit Alfanus an. 931., et postremus B. Alferius cn. 1011. Vitam B. Alferii descripsit anonymus coenobii Venusini monachus, quam inseruit P. D. Lucas de Achery Congr. S. Mauri *par. 1. actor. S. Benedicti saec. VI.*, et Muratorius *to. 6. coll. Ital.*

(2) Anonymus auctor *vitae B. Alferii* fert Alferium, seu Adelferium Cluniacensem habitum in Monasterio S. Michaelis de Clausa ad Cottias alpes a S. Odilone Abbate suscepisse, inde Cluniaco revocatum in patriam a Guaimario III. Salerni Principe, *eique eiusdem civitatis Monasteria fere omnia*, inquit, *ab eodem committuntur. Unum erat S. Benedicti titulo insigne, quod Angelarius a Saracenis vastatum sub finem saeculi decimi restruxit. At vir sanctus exteriorum negotiorum prae internae quietis, cui assuetus erat, amore, impatiens, civitate relicta, procul in excelsi montis latus cui* Fenestra *vocabulum erat, nunc* S. Aliae, *secessit. Sed cum quidquid illic in die extruebat, noctu corrueret, in adversum montem, qui angustissima valle interiecto Selano fluviolo, ab eo loco seiunctus est, se contulit, et in* Metelliani *cava se abdidit . . . . . Ex primis eius discipulis duo celebriores fuere,* scilicet *Leo Lucensis, qui post eum Cavense Monasterium rexit. Ibidem etiam aliquandiu vixit Desiderius nobilis Beneventanus factus, postea Casini Abbas, ac demum summus Pontifex, Victor III. appellatus.* Abbas Gattula *to. 1. hist. Cassinen. ad Saec. VI. pag. 219.* haec habet. *Monasterium istud* (S. Benedicti Salernitanum) *Cassinatibus confirmarunt Hugo, et Lotharius Italiae Reges an. 942., Conradus Imp. an. 1038., aliique Imp., et Romani Pontifices, quos inter Nicolaus II. an. 1059. Amissum deinde, nescio qua de caussa, coenobium istud Casinates iterum recuperarunt an. 1195. ope Henrici VI. Imp. utr. Sic. Regis.* De hoc ipso coenobio loquuntur Petrus Diaconus *lib. 3. cap. 38.*, et Petrus Damiani *lib. 6. ep. 22.*

(3) Ex relatis ab eodem Gattula *loc. cit. pag. 220.*, a Lancellotto in hist. Olivetan. *cap. 67. pag. 351.*, et P. Lubin *de Abbatis Italiae.*

rium, Ecclesiamque SS. Trinitatis sub immediata Sedis Apostolicae protectione susceptum saeculo XI. (1) effulsit ordinaria simul iurisdictione quasi episcopali in Clerum, et populum territorii Cavensis: adeo ut Bonifacius IX. cathedram episcopalem anno 1398. primum erexerit in Ecclesia, et castro S. Adiutoris populoso, ad spirituale forum et iurisdictionem ordinariam Abbatis Cavensis pertinente, ipsumque Abbatem episcopali dignitate augens, Conventum monachorum effecerit Capitulum cathedralis Ecclesiae, et Canonicos regulares eiusdem coenobii creaverit, et quibus Prior eiusdem ordinis maiorem, primamque post pontificalem, Decanus secundam Dignitatem obtinerent (2). Postea Episcopatum a Monasterio divisit Leo X., novamque in Ecclesia S. M. de Castello cathedralem Cavensem cum Capitulo Canonicorum saecularium erexit anno 1514. (3). Hinc liquet, cur Abbas Cavensis territorium suum reve-

(1) Ughellius *to. 1. Ital. sacr. de Cavens. Episc.* exscribit datam ab Urbano II. bullam an. 1092. ad Petrum coenobii Cavensis Abbatem, qui specialis protectio apostolica indulgetur. *Apostolicae ergo me praedecessoris Greg. VII. institutis tenacius adhaerentes* (ait Urbanus) *Cavense coenobium, cui summa religio viget, quod ipse singulariter dilexit, et suae institutionis privilegio communivit nos quoque huius nostri privilegii pagina communimus, et ab omni tam seculari, quam ecclesiasticae personae iugo liberum esse omnino decernimus.* Ex libro censuum Centii Camerarii, quem superius retuli *tit. XII. num. XXVI. lit. c.* liquet Cavense coenobium tres auri solidos censuales Romanae Sedi ex regesto Urbani II. pendere quotannis.

(2) Bonifacii IX. bulla apud Ughellium *loc. cit.* haec habet: *Territorium Monasterii SS. Trinitatis Cavensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis Ord. S. Bened. eiusdem dioecesis Salernitanae nuncupati, in quo castrum S. Adiutoris consistit, et personae utriusque sexus degunt in multitudine numerosa. Abbas quoque pro tempore existens, et dilecti filii Conventus dicti Monasterii in huiusmodi* terra, *ac* territorio, *et* personis *degentibus, ac* rebus *existentibus in eisdem, quantum ad spirituale* forum *pertinet*, ordinariam iurisdictionem *coniunctim, vel divisim exerceant, et ad exercitium saecularis* iurisdictionis *ad ipsum Monasterium pleno iure pertinentis deputare* officiales *idoneos . . . . sicut Abbas, et Conventus praefati, nec non personae, Monasterium, terra, et territorium huiusmodi eisdem Archiepiscopo, Capitulo, et Ecclesiae Salernitanae nec metropolitico, nec alio quovis iure subsint: sed eidem Ecclesiae Romanae immediate subiecti remaneant.* Hanc Bonifacii IX. bullam videsis in Bullar. Casinens. *to. 2. const. 388. pag. 415.*

(3) Leo X. in bulla *sincerae devotionis*, (apud Ughell. *loc. cit. num. 7.* et in Bull. Casinens. *to. 2. const. 404. pag. 439.*) ad Abb. et Conv. Monasterii SS. Trinitatis Cavensis Ord. S. Bened. Congr. Casinensis data 11. kal. April. 1513., diuturnam inter Casinensem Congregationem, et Universitatem Cavensis territorii litem, eodem die extinxisse praefatur: dum Casinensis Congregatio, et Conventus SS. Trinitatis hinc plenariam, et omnimodam iurisdictionem in territorio Oppidi Cavensis ad sese vindicarent ex eo, quod Alexander VI. Congregationi Casinensi Monasterium SS. Trinitatis univerat; hinc Universitas, et populus Cavensis erectionem cathedralis Ecclesiae in eo Monasterio, et territorio a Bonifacio IX. peractam servare in perpetuum contenderent. Leo autem X. antiqua eiusmodi erectione Monasterii, Ecclesiaeque regularis in cathedralem irritata, ex integro Cavense Oppidum in Civitatem, Ecclesiamque collegiatam S. Mariae Visitationis eiusdem Oppidi in cathedralem erexit, in qua Primicerii dignitatem a Pontificali maiorem, et Capitulum Canonicorum, et beneficiariorum instituit ab iurisdictione Abbatis omnino exemptum, cui Ecclesiae

ra separatum, ordinariamque in eo iurisdictionem quasi episcopalem habeat, pluribus Curiae Romanae sententiis comprobatam (1); et pars magna territorii olim Abbatialis inde avulsa dioecesim Episcopo haud parvam conflaverint (2) (*).

Monasterium Cavense tot reditus ex bonis addicere suis deberet, quot aequarent valorem annum ducatorum de camera mille quadrigentorum, firmavitque in ceteris Monasterio pristina iura, et pacta conventa cum Cardinali Aloysio perpetuo tunc eiusdem Ecclesiae Commendatario, *cum omnibus, et singulis*, ait, *iuribus, actionibus, bonis, privilegiis, exemptionibus, praeeminentiis, favoribus, praerogativis, concessionibus, et indulgentiis, quibus ante erectionem Civitatis, et Ecclesiae huiusmodi utebamini, fruebamini, potiebamini, et gaudebatis, dum tamen iurisdictioni, et aliis eidem Ecclesiae concessis, vel concedentis non repugnent, et in earum deminutionem, non tendant.*

(1) Rota Romana coram Falconerio die 13. Iunii 1710., contendentibus Episcopo Cavensi, ac Abbate SS. Trinitatis, rite definivit unanimi omnium sententiam, *Abbate Cavensem habere particulare territorium separatum in Monasterio Cavensi, et aliis locis reservatis in capitulis, et bulla Leonis X. Fundamentum praebuit resolutioni*, ait Rota, *ius undique clarum Abbatis, dum eius territorium separatum cum sua iurisdictione in genere omnibus evidentium probationum modis conclusum apparuit. Sub an. enim 1591. canonizatum fuit a S. Congr. Conc. cuius decretum confirmatum fuit tam a sa. m. Xysto V., quam a sa. m. Greg. XIV., uti testatur nostra S. Rota in Cavensi collat. ordin. coram Verospio, impressa apud* Tondut. *de pension. dec. 31. num. 6., in Cavensi seu Caputaqu. iurisd. impressa in recentior. par. 17. dec. 274. num. 7., in Marsicens, seu nullius iurisd. super bono iure 6. Iunii 1700. §. idque eo fortius coram Muto, in nullius, seu Cavens. iurisd. 25. Iun. 1708. §. nulla quippe coram me* (Falconerio). Ughellius *to. 7 Ital. sacr. de Caputaquens. Episc. col. 663., sunt etiam in hac dioecesi*, ait, *duodecim pagi subiecti Monasterio SS. Trinitatis Cavensis, in quibus Episcopus habet tantum ius visitandi quoad Sacramentorum administrationem.*

(*) Videsis animadversiones ad indic. num. XV. huiusce tit.

(2) Parem habet quasi episcopalem iurisdictionem in Clerum saecularem, et populum cum territorio separato Abbas S. Vincentii apud Vulturnum, Casin. etiam Congr., de quo Abbas Gattula *tom. 2. hist. Casin. pag. 862. ad 874.* Abbas Montis Virginis Ordinarius locorum Mercuriani, et Hospitaletti prope dioecesim Abellinens. feudorumque S. Martini cum adnexis vicis Benventanae dioecesi finitimis, de quo Ughellius *to. 8. Ital sacr. de Abellin. Episc. num. 4. pag. 268.*, et de Frequentinis Episc. *num 3. pag. 416.* Itidem Coelestinorum Abbas S. Spiritus Murroni, et S. Clementis ad Piscariam, de quo superiori *tit. XII. num. XX.* nonnulla iam dixi. Prior etiam Carthusianus Monasterii S. Stephani de Bosco in Calabria ulteriori, quod favente Rogerio Comite, S. Bruno aedificavit exeunte saeculo XI., privilegio exemptionis, et apostolicae protectionis ab Urbano II. communitum, consentientibus Squillacii Episcopis Theodoro, et Ioanne, quodque Ordo Carthusianus primum possedit usque ad annum 1150., quo Guillelmus Carthusianus Prior una cum sui coenobii conventu ad Ordinem Cisterciensium transiit, exin Abbates Cistercienses rexerunt usque ad Pandulphum Abbatem, et generalem Ord. Cisterc. Procuratorem in Romana Curia an. 1499.; postmodum nonnulli saeculares Commendatarii, tandem supresso inibi Ordine Cisterciensi, Leo X. priscum Certulianum Ordinem restituit in integrum, ex traditis a P. Carthusiano Franc. Puteo *in vita S. Brunonis* apud Surium *to. 2.*, a Camillo Turino in *chron. Carthusianor.* de Prioribus Carthu-

XXXII. Secus at contigit Neritonensi coenobio eiusdem Ordinis S. Benedicti, in Cathedram episcopalem, statumque facultatem penitus converso. Illud enim Urbanus II., rogante Goffrido Neriti Comite, sub speciali Sedis Apostolicae protectione suscepit, exemptumque suo privilegio declaravit. Mox Paschalis II. Abbatialem in eo tunc Prioratu dignitatem erexit anno 1110., quam Hadrianus IV. ratam habuit anno 1158. Tum Pandulphus Albanensis Episcopus, Clementis IV. legatus in regno Siciliae, et generalis visitator an. 1267., quum ex gestis rerum inquisitionibus novisset cathedralem antea Ecclesiam in eo Monasterio fuisse: statuit in ea ipsa tunc Regularium Ecclesia viginti Canonicos in choro ipsius, decem videlicet hinc monachos, et totidem hinc saeculares horas canonicas ritu benedictino persoluturos, cunctosque tum regulares, tum saeculares Canonicos Abbati fore tamquam Ordinario loci Praelato subiectos. Denique Ioannes XXII. anno 1413. abbatiali suppressa dignitate, amotisque iude Regularibus Canonicis, cathedralem ex eo monasterio Ecclesiam erexit Sedi etiam Apostolicae immediate subiectam, et Ioannem Epiphanium, qui postremus in eo Abbas fuit, ordinavit Episcopum cum Capitulo Canonicorum saecularium (1).

XXXIII. Ad saeculares autem Abbates Commendatarios multo plura demigrarunt Monasteria, et Abbatiae Regularium nullius dioecesis cum territorio itidem separato, et quasi episcopali iurisdictione ordinaria, primaevo earumdem statu regulari minime suppresso. Percelebre in primis Beneventanum S. Sophiae coenobium Ordinis S. Benedicti ab Arechi Beneventi Principe fundatum anno circiter 774., plurimisque bonis et Ecclesiis dotatum, ab episcopali dioecesanorum omnium potestate liberum, et exemptum in capite, ac membris, cellis, Ecclesiis, et villis quum sententia fundatoris, et succedentium Principum Langobardorum, tum consensione Praesulum Beneventi, aliarumque dioecesum, tum privilegiis Imperatorum Othonis, Henrici, et Conradi, nec non Rógerii Italiae Regis, summorumque Pontificum Benedicti IX., Leonis IX. S. Gregorii VII., Urbani II., Paschalis II., Gelasii II., Calixti II., et Antipapae Anacleti II. (2). Illud vero Monasterio Casinensi

sianis, et Abbatibus Cisterciensibus Mon. S. Stephani de Bosco, et Ughellio *to. 9. Ital. sacr. de Scillacens. Episc. num. 5., et 6., pag. 589., et seq.* Tum alter S. Laurentii de Padula Carthusianus Prior, idemque S. Abbas Nicolai Terrae Padulae, et S. M. de Cadossa in Principatu Salernitano. Itidem Dominicanus Prior S. Dominici Soriani in Calab. ult., et si qui sunt alii, quorum omnium fundationes privilegia, possessionem immemorabilem, res pro iis iudicatas edisserere, singulatim nec tempora largiuntur, neque huiusce rubricae institutum, exempla praecipua exemptorum nullius dioecesis, et singulas Praesulum species, non historiam ipsorum persequens.

(1) Ex Anonymo id omne profert Ughellius *to. 1. Ital. sacr. de Neritonens. Episc.*

(2) Cuncta huiusmodi diplomata videsis in vetusto chronico eiusdem Monasterii S. Sophiae, quod ex bibliotheca Vaticana primus in lucem edidit Fer. Ughellius *to. 8 Ital. sacr. a pag 562. ad 779.* Apud eumdem *to. 1. de Troianis Episc. pag. 235.* fertur Agnellus Episcopus Troianus an. 1037. liberam, exemptamque declarasse Ecclesiam S. Sophiae. Nonnulla cursim adnotantur in breviori eiusdem Mon. chronico cum notis Nicolai Aloysiae apud L. Muratorium

Arichis fundator ita subiecit, ut *nullus quispiam Episcopus, aut quilibet Sacerdos, aut iudex ibidem aliquod praesumat ordinare, nisi quem Abbas eiusdem B. Benedicti ordinaverit, aut disposuerit* (1). Quo tamen aptius posset claustrales virgines regere Praepositus, huic Ecclesiam S. Benedicti cum Xenodochio Parthenoni proximam cum omnibus ad eam pertinentibus idem Arichis attribuit (2): inde duplex evasit monachorum, et virginum asceterium. Moniales inibi putantur ad medium circiter saeculum X. permansisse, quoad Abbas Azo I. cum suis monachis institutus est (3), Calixtus III. tandem istud Monasterium Rodorico Borgiae primus quum commendasset an. 1456. (4): Abbates inde commendatarii ad haec usque tempora ab Apostolica Sede creati obtinuerunt cum prisca Regularium Abbatum iurisdictione ordinaria, et quasi episcopali in aliquot vicis, praesertim in oppido Fragneti Abbatis, a dioecesi Beneventana separato.

XXXIV. S. Angeli Fasanellae monasterium eiusdem ordinis S. Benedicti ab Episcopi Caputaquensis iurisdictione exemptum ex Apostolicae Sedis privilegio, postquam in suburbio vetusti Fasanellae oppidi a Friderico II. funditus eversi excitarunt illius incolae novam S. Angeli Fasanellam frequentibus aedificiis, priscam retinuisse propriam quasi dioecesim a Caputaquensi exemptam, et separatam fertur ab Ughellio (5): suoque illud aevo commendari consuevisse, quemadmodum in praesentia commendatum habet saecularis Abbas.

to. 1. Annal. Med. seu. pag. 254., et apud Fr. M. Pratillum in *append. to. 4. hist. Langob.* Cam. Peregrini *pag. 360., et seqq.* Arichianam fundationem templi, ac coenobii S. Sophiae simul commemorant Erchempertus in *hist. Langob.* §. *3.* apud Camillum Peregrin. *to. 1.*, et Leo Ostiensis *lib. 1. chron. Casin. cap. 6., et 9.* Hic tradit, quod Gisulpho Beneventi Principe Ecclesiae S. Sophiae aedificationem aggresso, Arichis eiusdem successor absoluerit, in eaque coenobium Sanctimonialium statuerit Casinensi Monasterio subiectum, eique suam praefecerit germanam cum Abbatissae dignitate. Tum *cap. 57.* innuens Monasterium S. Sophiae Principum violentia per annos aliquot a suo Casinensi coenobio subtractum rediisse in ditionem Baldoini Abbatis Casinensis: addit *lib. 3. cap. 42.* sese tunc Casini bibliothecarium iussu Desiderii Abbatis postulasse in Romana Synodo sub S. Gregorio VII., atque obtinuisse, ut Casinensi coenobio restitueretur Cella S. Sophiae.

(1) Ex Arichis diplomate dato sui Principatus anno 17., indict. 13., Ae. V. ann. 775., in Petri Diaconi *registro num. 175.*, apud Abb. Gattula *to. 1., hist. Casinens. saec. III. pag. 50., et 51.*

(2) Ex alio Arichis diplomate in eodem chronico S. Sophiae apud Ughell. *loc. cit. Et sicut ab antiquis rectoribus*, Princeps ait, *praedicta S. Benedicti Ecclesia possessa fuit, amodo et deinceps S. Sophiae monasterii potestati subiaceat.*

(3) Duo diplomata Pandulphi et Landulphi Beneventi Principum data anno 961. in eodem chronico *col. 439.*, *et seq.* commemorant Azonem tunc S. Sophiae Abbatem, id quod observat Abbas Gattula *cit. tom. 1. hist. Casin. pag. 51.*

(4) Abb. Gattula ibidem *pag. 58.*

(5) Ughell. *to. 7. Ital. sacr. de Caputaquens. Episc. num. 4.* id refert ex Cornelio, et Camillo Tutinis, et Io. Vincenzio de Hippolytis.

XXXV. Perampla insuper fuit Monasterio, et Abbatiae Farfensi, et S. M. Maioris urbis Romanae iurisdictio quasi episcopalis cum territorio separato ad loca plurima plurium Provinciae Romanae, huiusque Regni Neapolitani dioecesum extenso, quam eximiis S. R. E. Cardinalibus consuevit Sedes Apostolica commendare, cumulatam privilegiis, et singularibus praerogativis inter ceteros ab Urbano VIII. Sed quum variae, ac diuturnae lites a dioecesanis Episcopis motae nimis eam exagitassent: pacis publicae studiosissimus Benedictus XIV., rebus mature discussis, auditisque locorum Ordinariis, cum consensu Cardinalis Lante Commendatarii, satius censuit iurisdictionem quasi episcopalem Abbati adimere, eamque tribuere dioecesanis locorum Ordinariis, puta Firmano, Reatino, Spoletano, Montisalti, et Assisiensi Praesulibus, reservatis Abbati reditibus, et iuribus patronatus ecclesiastici pro collatione beneficiorum. Veruntamen *firmam, salvam, et illaesam, ut prius remanere declaramus*, ait, *ordinariam iurisdictionem eiusdem Abbatis Farfensis in ceteris locis, castris, et Ecclesiis intra proprium, et particulare territorium praedictum consistentibus; in ceteris pariter Ecclesiis existentibus in dioecesibus diversis subiectis Episcopis Regni Neapolitani, videlicet parochiali Ecclesia S. Petri d'Azzano cum aliis eidem adnexis Aprutinae dioecesis: in parochialibus Ecclesiis S. Laurentii di Beffi, S. Pii di Fontecchio, seu Fonticuli, Scopeti, S. M. di Forfona, seu Forcelli, et Sociani; in Ecclesia S. Stephani in terra S. Demetrii, in Ecclesia S. M. de Arquato in terra Fagnani, in Ecclesia S. M. vulgo S. Marinella in villa Pertusi, et Ecclesia S. M. in terra Barigiani dioecesis Aquilanae; et in Ecclesia di Rosciolo, et Ecclesia S. M. terrae Magliani cum aliis dioecesis Marsorum; et demum in Ecclesia S. Ioannis Baptistae in terra Gagliani Sulmonensis dioecesis: per praesentes enim non intendimus super hisce quidquam innovare* (1) (*).

(1) Hucusque Benedict. XIV. in *const. dum universi 32.*, edita idibus Martii 1747., *to. 2.* Bullarii. Monasterii, et Abbatiae Farfensis originem, variasque vicissitudines videsis in Chronico Farfensi apud Lud. Murator. *rer. Italic. to. 2. par. 2.*, *et* Ugonem Abbatem Farfensem *de destruct. Monasterii Farfensis.*

(*) Bulla Gregorii PP. XVI. sub die XVIII. mens. Iun. an. 1836, cui accessit regium *exequatur* latum die XV. Oct. eiusd, an., quae iurisdictionem Abbatiae Farfensis, et S. M. Maioris respicit.

Cunctis ubique pateat, quod anno a Nativitate Domini Nostri Iesu Christi 1836., die vero XVIII. mensis Iunii, Pontificatus autem SS. Domini nostri Gregorii PP. XVI. anno eius sexto.

Ego Officialis deputatus infrascriptus vidi, et legi quasdam Litteras Apostolicas sub plumbo debite expeditas tenoris sequentis, videlicet —Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Romani Pontificiis vigilantia, licet assiduis, gravissimisque negotiis distenta in gerenda Catholicae Ecclesiae procuratione id etiam exigit, atque postulat, ut ad quamlibet Dominici agri partem pastoralis sui Officii studium conferat, ac ea apostolica sollicitudine, et auctoritate decernat, quae ad Animarum salutem, et ad rectam Ecclesiarum administrationem facilius redundare in Domino conspiciuntur. Porro duo Monasteria Sanctae Mariae Farfensis, et Sancti Salvatoris Maioris Ordi-

XXXVI. Aliquot Monasteriorum a Commendatariis secularibus ad re-

nis Sancti Benedicti in distincta huius nostrae Almae Urbis posita, ac invicem perpetuo dudum unita inter perantiquas, et celebriores Abbatias accenseri indubia testantur monumenta.

Huiusmodi enim Monasteria, quae vere nullius Dioecesis dicuntur proprium habent territorium a cuiusvis Episcopi Dioecesi penitus avulsum ac separatum eorumque Praesules, seu Abbates Commendatarii activa omnimoda, et quasi Episcopali in Clerum, populumque sibi subiectum spirituali pollent in utroque foro iurisdictione, singularibusque a Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris, ac praesertim a fel. rec. Urbano PP. Octavo cumulati fuere iuribus, privilegiis, et honoribus. Plurima quidem Coenobia, Paroeciae, Ecclesiae, Villae, Oppida, et Loca olim suberant utrique Abbatiae, quorum tamen non pauca, vel ad ampliandas noviter erectas Dioeceses, vel ad maiorem Christi fidelium procurandam utilitatem deinde subtracta fuisse constat.

Superiori etiam saeculo cum praeter Territorium Abbatialibus Ecclesiis coniunctum suam adhuc eadem Monasteria protenderent iurisdictionem in plures inter se dissitas Ecclesias, et Paroecias intra limites nonnullarum Dioecesum tum Pontificiae ditionis, tum Regni utriusque Siciliae existentes. Episcopi autem Status Pontificii in quorum Dioecesibus memoratae Parocciae, et Ecclesiae reperiebantur vehementer instarent, ut ipsae respectivis Dioecesibus subiective coniungerentur, factum est, ut a rec. mem. Benedicto XIV. pariter Decessore Nostro voti compotes redderentur. Etenim hic Praedecessor Noster matura deliberatione perpendens praefatas Abbatias, ut plurimum commendari consuevisse Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, virtute, doctrina, et generis nobilitate praestantibus, qui gravibus, crebrisque in Urbe occupati negotiis, Paroecias omnes, et Ecclesias extra proprium Abbatiarum Territorium hac, illac in diversis Episcoporum Dioecesibus sitas, ac inter se longe, lateque distantes, sacra visitatione coram perlustrare impediebantur, simulque animadvertens maximo Ecclesiastico regimini futuram utilitatem, si praedictae Ecclesiae intra variarum Dioecesum fines, et in ipsis veluti earum visceribus collocatae, ac prorsus seiunctae a singulis administrarentur earumdem Dioecesum Episcopis, qui facilius eas invisere, oves pascere, dissidia componere, aliaque mala avertere potuissent, Constitutioni, quae incipit.—Dum universi — sub Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem Anno incarnationis Dominicae 1747., III. Idus Martii, Pontificatus sui anno septimo, ac etiam subsequente schedula motus proprii cuius initium — Et si ea — diei duodecimae Augusti eiusdem anni Ecclesias, Paroecias, Oppida, aliaque Loca in pluribus ditionis Pontificiae Dioecesibus comprehensa a iurisdictione Abbatis Commendatarii Sanctae Mariae Farfensis, et Sancti Salvatoris subtraxit, earumdemque Dioecesum Antistibus assignavit, atque subiecit, reservato tamen in memoriam, et in recognitionem praefatae dismembrationis perpetuis futuris temporibus commemorato Abbati Commendatario quodam cerae albae canone, iuxta numerum, et qualitatem, Paroeciarum, Ecclesiarum, ac Monasteriorum avulsorum a singulis Episcopis quotannis solvendo.

Simili modo Leoni XII. Praedecessori Nostro Apostolicis Litteris datis Anno Incarnationis Dominicae 1827., Nonis Maii, a spirituali iurisdictione Nullius Diocesis Sanctae Mariae Farfensis, et Sancti Salvatoris Maioris Suburbium cum Parochiali Ecclesia penes Reatem existens, seiungendum, ac Retinae Dioecesi uniendum, et incorporandum placuit, adiecta lege, ut singulis annis in pervilegio Assumptionis Beatae Mariae Virginis libras cerae albae viginti Reatinus Antistes Abbati Commendatario pro tempore Farfensi, quasi perenne pristinae subiectionis testimonio omnino traderet.

His freti exemplis hodierni Episcopus Aquilanus, Reatinus, Marsorum, Ae-

gulares sui Ordinis Abbates rediverunt. In his Monasterium S. Vincentii

sculanus, Aprutinus, et Sulmonensis, in quorum Dioecesibus, vel in finitimis locis nonnullae Villae, Oppida, Paroeciae, Ecclesiae, Canonicatus, Beneficia, Sodalitia, aliaque pia Loca intra limites utriusque Siciliae posita reperiuntur, humillimas Nobis attulerunt preces, ut eadem Oppida, Paroecias, Ecclesias, aliaque pia Loca avelleremus a spirituali regimine Abbatis Commendatarii Sanctae Mariae Farfensis, et Sancti Salvatoris Maioris, eorumdemque Dioecesibus, ac Territoriis perpetuum, in modum adiiceremus. Memorati autem Episcopi exposuerunt nomina ac titulos Oppidorum, Villarum, Paroeciarum, Ecclesiarum, pierumque Locorum esse, quae sequuntur, nimirum: in Dioecesi Aquilana Ecclesiam Sancti Stephani in Villa Cordabellae apud terram Sancti Demetrii, et aliam Ecclesiam ruralem SS. Annunciationis, seu Sanctae Mariae de Argnato in territorio Ripae Fagnani Ecclesiae Collegiatae Sancti Laurentii de Beffio, ut fertur unitam, et aliam *Ecclesiam Parochialem* Sanctae Mariae de Aggraiano in territorio *Sancti Pii Fonticelorum*, nec non *Monasterium Sanctimonialium* eidem Ecclesiae contiguum, quod vocant *delle Rocchettine*, et aliam *Ecclesiam SS. Trinitati* dicatam in Villa Sancti Pii, et aliam Ecclesiam Sancti Ioannis Baptistae intus Terram *Fonticulorum*, et aliam Ecclesiam Collegiatam, et Parrochialem *Sancto Laurentio Martyri*, sacram in Villa *Sancti Laurentii de Beffio*, et aliam Ecclesiam, seu Oratorium sub titulo SS. Trinitatis intra eamdem Villam Sancti Laurentii, et aliam Ecclesiam S. Mariae in Campo subtus praedictam villam S. Laurentii, et aliam Ecclesiam Sancti Antonii Abbatis in *Villa Sociani*, et aliam Ecclesiam Sanctorum Ioannis Baptistae, et Ioannis Evangelistae Colle in eadem Villa Sociani, et aliam Ecclesiam sub auspiciis Sanctae Mariae de Fonticellis penes Socianum, et aliam Ecclesiam Sanctae Mariae nuncupatam *delle Carapelle*, in qua hactenus spiritualem exercuit, iurisdictionem tam Abbas Farfensis, quam Episcopus Aquilanus, et aliam Ecclesiam *Praeposituralem Curatam Sancti Bartholomei* penes Scopetum, et aliam Ecclesiam Sancti Andreae in Villa Casalis apud Scopetum, et aliam Ecclesiam Sanctae Mariae ad Nives, in villa Forcelli, iuxta Scopetum, et aliam Ecclesiam Sanctae Mariae vulgo Sanctae Marinellae apud *Praeterum*, et aliam Ecclesiam *Parochialem* a Sancta Maria *Forfone* seu *Forcelli* in ipsa Aquilae civitate, et aliam Ecclesiam Sanctae Mariae de Forfona extra eiusdem Civitatis moenia, quam appellant etiam Ecclesiam Sanctae Mariae de Barisciano.

In Dioecesi vero *Reatina*, seu verius in loco eidem Dioecesi finitimo, ac extra cuiusvis Dioecesis limites posito Oppidum Capradoxi spirituali iurisdictioni Abbatis Farfensis, et Sancti Salvatoris Maioris hactenus subiectum, et inibi Ecclesiam Parrochialem, sub titulo Sancti Stephani, ac aliam Ecclesiam Beatae Mariae Virginis, apud Capradoxum, ac aliam Ecclesiam Sancti Mauri penes memoratum Oppidum, ac aliam Ecclesiam sub invocatione Sancti Andreae Apostoli in eiusdem Oppidi territorio sitam.

In Dioecesi autem *Marsorum*, sive in locis eidem conterminis, Oppidum Rosioli praefati Abbatis Commendatarii Sanctae Mariae Farfensis, et Sancti Salvatoris Maioris spirituali iurisdictioni omnimode obnoxium, ibique Ecclesiam Collegiatam, et Parochialem, a Sancta Maria Gratiarum, in eiusdem vero Oppidi territorio Ecclesiam Sancti Barnabae Apostoli, ac aliam Ecclesiam Sancti Sebastiani Martyris, et aliam Ecclesiam Sanctae Mariae a Nive prope Oppidum Manleani, et aliam Ecclesiam Abbatialem Sancti Salvatoris apud Terram Paterni.

In Dioecesi vero Asculana Ecclesiam Praepositurale Sancti Benedicti in Villa Sancti Benedicti, ac aliam Ecclesiam eidem Sancto dicatam extra eamdem Villam, ac aliam Ecclesiam, seu Oratorium Sanctae Crucis, et aliam Ecclesiam Praepositurale Sancti Ioannis in Villa vulgo *del Guasto*, et aliam

ad fontes Vulturni fundatum anno 731. a nonnullis Beneventanis civi-

Ecclesiam sub invocatione Sancti Blasii in eadem Villa existentem, et aliam Ecclesiam Sanctae Mariae in Villa nova, et aliam Ecclesiam Praepositurale m sub titulo Sanctae Luciae in Villa Podii Casalis, et aliam Ecclesiam Parochialem Sancti Viti in Villa Castellana, ibique aliam Ecclesiam Parochialem Sanctae Mariae in Coelum Assumptae, et aliam Ecclesiam Sancti Petri in Villa Gubii, et aliam Ecclesiam Parochialem in Villa Sanctae Ruphinae, et aliam Ecclesiam, seu Oratorium sub auspiciis Sanctae Mariae in Villa Cesani, et aliam Ecclesiam Parochialem Sancti Ioannis Baptistae in Villa *di Macchia di Sole*, et aliam Ecclesiam Parochialem Sancti Philippi, et Iacobi in Villa Ulmeti, et aliam Ecclesiam Parochialem Sancti Egydii in Villa Laturi.

In Dioecesi Aprutina, Ecclesiam Parrochialem Sancti Petri de Orzano, ac aliam Ecclesiam, seu Capellam Beatae Mariae Virginis septem Dolorum in Villa Costuma, ac aliam Ecclesiam, seu Cappellam Beatae Mariae Virginis, et Sancti Donati Collis Sansonesco.

In Dioecesi tandem Sulmonensi Ecclesiam Sancto *Ioanni Baptistae dicatam* in terra Gagliani.

Iam vero Nos Praedecessorum Nostrorum vestigiis inharentes, ac petitam dismembrationem, et unionem expediri ecclesiastici regiminis administrationi, non minus, quam Christifidelium commoditati profuturam conspicientes, simulque probe gnari Dilectum Filium Nostrum *Aloysium* Tituli Sancti Callixti Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyterum Cardinalem *Lambruschinum* nuncupatum nostrum a Secretis Status, ac modernum Monasterium Sanctae Mariae Farfensis, et Sancti Salvatoris Maioris Abbatem Commendatarium praefatae dismembrationi, pro ea, quae fulget prudentia, pietate, animarumque zelo libenter assentiri ex praemissis aliisque Animum Nostrum moventibus rationalibus caussis supplicationibus praedictorum Episcoporum Aquilani, Reatini, Marsorum, Asculani, Aprutini, et Sulmonensis, annuere volentes, eosdemque a quibus vis suspensionis, et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, ac poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel caussa latis, si quibus quomodolibet innodati existant ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, certa scientia, matura deliberatione, et Apostolicae potestatis plenitudine omnia, et singula praedicta Oppida, Villas, Paroecias, Ecclesias, Canonicatus, Beneficia, Confraternitates, aliaque pia loca quovis titulo nuncupentur etiamsi superius haud nominata, nec expressa, dummodo intra limites Regni utriusque Siciliae existant, atque in memoratis Dioecesibus contineantur. aut in finitimis locis sint posita, nec non Clerum, et Populum ibidem commorantem a Monasteriis, seu Abbatiis Sanctae Mariae Farfensis, et Sancti Salvatoris Maioris invicem unitis perpetuo dismembramus, ac dividimus, et ab eorumdem Monasteriorum Abbatis perpetui Commendatarii iurisdictione, potestate, ac superioritate simili modo subtrahimus, et penitus eximimus, eademque Oppida, Ecclesias, et Loca quaecumque cum suis adnexis sic dismembrata, divisa, subtracta, et exempta, ac in finibus Regni Siciliarum, ut supra constituta, nec non in eis existentia Beneficia, Canonicatus, Confraternitates, Clerum, et Populum, ac utriusque sexus personas cuiuscumque gradas, ordinis, et conditionis, singulis Aquilanae, Reatinae, Marsorum, Asculanae, Aprutinae, et Sulmonensis Ecclesiarum Cathedralium Dioecesibus, earumque territoriis, in quibus respective sita, vel in locis finitimis, ut supra relatum est, collocata reperiuntur, perpetuum pariter in modum unimus, adnectimus, et incorporamus, eamdemque iurisdictionem, qua ipsorum Monasteriorum Ferfensis, et Sancti Salvatoris Maioris Abbates Commendatarii in Ecclesias, Beneficia, Oppida, villas, aliaque Loca eorumque personas potiebantur, et gaudebant praedictarum Dioecesum Episcopis auctoritate Apostolica pariter perpetuo concedimus, et attribuimus.

Verum Decessorum Nostrorum exempla haud Nos plene sequutos videremur, nisi signum aliquod huiusce dismembrationis servandum decerneremus. Quocirca Abbati Commendatario pro tempore existenti Nullius Sanctae Mariae Farfensi, et Sancti Salvatoris Maioris in pervigilio Assumptionis Beatae Mariae Virginis annuas libras quadraginta cerae albae a praedictis Episcopis pro tempore existentibus, nimirum ab Antistite Aquilanae Dioecesis libras duodecim, ab Episcopo Asculano libras decem, totidemque a Praesule Marsorum, ab Episcopo Reatino libras sex, ab Antistite Aprutinae Ecclesiae sesquilibram, et a Praesule Sulmonensi semilibram iugiter quolibet anno exhiberi, ac praestari praecipimus, atque iubemus.

Hinc Venerabili Fratri Hieronymo Manieri Episcopo Aquilano, quem in harum Litterarum Nostrarum executorem eligimus, ac deputamus, necessarias ad praemissorum effectum plenarie consequendum tribuimus facultates, ut ipse per se, vel per alium virum ecclesiastica dignitate insignitum ab eo subdelegandum praesentes Nostras litteras ubi, et quando opus fuerit, vel quando ab iis, quorum interest, vel interesse posset, aut ab aliquo eorum fuerit requisitus, aut idemmet censuerit solemniter publicet, et exequatur, ac omnia, et singula in eis contenta faciat auctoritate Nostra ab omnibus, ad quos spectat, atque pro tempore spectabit inviolabiliter observari. Atque, ut tam ipse, quam persona ab eo subdeleganda super quacumque oppositione in actu executionis quomodelibet forsitan oritura, etiam definitive, et quavis appellatione remota, libere, ac licite definire, et pronunciare possit, ac valeat Contradictores quoslibet, ac rebelles per sententias, censuras, poenasque ecclesiasticas, aliaque iuris, ac facti remedia compescendo, invocato etiam, si opus fuerit auxilio brachii saecularis plenam, et omnimodam facultatem similiter concedimus, atque impertimur.

Eidem vero Episcopo Aquilae praecipimus, atque mandamus, ut singulorum Actorum in praesentium Litterarum executione conficiendorum exemplar authentica forma exaratum intra sex menses ab expleta ipsarum executione ad hanc Apostolicam Sedem transmittat, illudque in Archivio Congregationis rebus Consistorialibus praepositae de more observari edicimus, atque iubemus. Per ea vero, quae in praesentibus innovando decrevimus non intendimus taxam Abbatiarum Sanctae Mariae Farfensis, et Sancti Salvatoris Maioris in Libris Camerae Nostrae Apostolicae praefinitam ullatenus imminui, aut immutari debere.

Praesentes quoque Litteras, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod ii quorum interest, aut interesse posset in forum vocati, ed auditi non fuerint aut praemissis non consenserint nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu, intentionis Nostrae defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed perpetuo validas, et efficaces existere, ac fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri atque obtinere. Sicque, et non aliter per quoscumque Indices Ordinarios, vel delegatos quacumque auctoritate fungentes etiam causarum eiusdem Palatii Apostolici Auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice Legatos, et Sedis Apostolicae Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet aliter iudicandi, ac interpretandi facultate iudicari, et definiri, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate conligerit attentari, irritum, et inane decernimus, atque declaramus.

Non obstantibus Nostris, et Cancelleriae Apostolicae regulis de iure quaesito non tollendo, et de uniouibus committendis ad partes vocatis, quorum interest, nec non Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, aliisque Apostolicis, ac in Generalibus, et Synodalibus Conciliis editis, specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, nec non praedictarum Albatiarum Sanctae Mariae Farfensis, et, Sanctae Sal

bus illustribus (1), quod suo visitandum apochrysario mandavit Carolus M. (2), a Saracenis dirutum (3), a Godelperto Abbate instauratum (4), reflorui quum doctrina, et sanctitate monachorum, tum opibus, ac iurisdictione ecclesiastica, et temporali (5), amplissimis Pontificum, et Principum privilegiis auctum, et communitum. Fiduciario dein Abbati commendatum a Nicolao V. circa medietatem XV. saeculi, suum nullius dioecesis territorium retinuit (6). Casinatibus illud ab Innocentio XII. restitutum ann. 1698. (7), concordia solemni inter Casinates, et Episcopum Æserniensem inita anno 1699., quam firmavit Clemens XI. die 25. Aprilis 1702. (8), omnimodam sibi iandiu quaesitam iurisdictionem quasi episcopalem firmavit in territoriis separatis S. Vincentii, Pizzoni, Castelloni, Castelli novi, Scapulorum, Collium, S. M. de Oliveto, Rochetae, Cerri, Aquaevivae, Furnellorum, Cellini, Feudi Vallisporcinae, aliorumque locorum dirutorum.

XXXVII. Vaticana vero Basilica S. Petri, eiusque Archipresbyter

vatoris Maioris etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, et consuetudinibus, ac quibuscumque concordiis, et, conventionibus forsan initis, roboratis, confirmatis, et, approbatis privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis illis alias in suo robore permansuris ad effectum praeseutium, et validitatis omnium, et singulorum praemissorum hac vice duntaxat harum serie specialiter, et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus caeterisque contrariis quibuscumque.

Huiusmodi vero litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu Notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constituta munitis eamdem ubique lororum in iudicio, et extra fidem haberi volumus, quae ipsis praesentibus habentur si originaliter fuissent exhibitae, atque ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae voluntatis, dismembrationis, divisionis, exemptionis, unionis, subiectionis commissionis, deputationis, mandati, decreti, ac derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei, Beatorum Petri, et Panti Apostolorum eius se noverint incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae 1836. Idibus Iunii, Pontificatus nostri anno sexto.

Loco ✠ Plumbi — Super quibus quidem litteris Ego Notarius publicus praesens Transumptum confeci, et signavi praesentibus DD. Germano, et Iosepho Testa Testibus.

(1) De quo Leo Hostiens. in *chron. Cassinen. lib. 1. cap. 4., et 15.*

(2) Io. Diacon. *lib. 1. chron. S. Vinc. ad Vultum.* apud Murator. *to. 1. par. 2. rer. Italic. fol. 348.*, et du-Chesne *to. 3. hist. Franc. script. pag. 662.*

(3) Ex traditis a Leone Hostiensi *cit. lib. 1. cap. 34.*

(4) Ibidem *cap. 32.*

(5) Mabillon. *to. 3. annal.* Murator. *loc. cit.*

(6) In Provinciale Romano Leonis X. an. 1514. *Manasterium.* S. Vincentii de Vulturno *Ord. S. Bened. eodem modo habet terram, et non est alicuius dioecesis.*

(7) Ex bulla Inn. VII. an. 1698. data ad Card. Innicum Caracciolo, postremum huius Monasterii Vulturn. commendatarium, apud Gattula *tom. 1. histor. Casinen.*

(8) Apud eundem Gattula *loc. cit.*

Cardinalis, et Capitulum nonnulla Monasteria, Abbatias, et Prioratus, quae commendari olim sueverant, perpetuae unionis titulo in saecularem statum a Romanis Pontificibus redacta possidet cum territorio etiam separato, et spirituali iurisdictione (1). Videlicet Monasterium, Abbatiamque *S. Martini de Valle* (2), seu *de Fara* ordinis S. Benedicti, *S. Salvatoris de Maiella* (3), *et S. Barbati de Pollutro* (4) cum adnexis omnibus membris, et locis nullius dioecesis in Provincia Theatina: tum *S Petri Licosati de Camerota*, ac *S. Nazarii de Cuccaro* (5) in Provincia Salernitana. Litem ea de re in Rotae Auditorio motam amicabili foedere iamdudum composuerunt Archiepiscopus Theatinus, et Capitulum S. Petri hoc pacto, ut primodicta Abbatia S. Martini de Valle, seu de Fara cum suo territorio, Ecclesiis, et personis in plena, et omnimoda Capituli, Basilicaeque, Vaticanae iurisdictione temporali, ac spirituali permaneant: at vice versa Monasterium S. Salvatoris de Maiella cum quinque parochialibus eiusdem Ecclesiis, harumque rectoribus, et parochianis Archiepiscopo Theatino in perpetuum concedatur, liberis tamen Ecclesiarum, beneficiorumque collationibus eidem Capitulo reservatis, earumque solitis praestationibus, annuis reditibus, necnon iure ipsas Ecclesias per suos Commissarios visitandi, at personis ad curam animarum praeficiendis Archiepiscopus debeat approbationem, an sint idoneae, sine concursu indulgere, OEconomosque interim deputare (6). Tum Policastrensi Episcopo visitationem Ecclesiae S. Petri Licofati, aliarumque ad eam pertinentiam aggresso anno 1595., S. Congregatio Concilii, re cognita definivit, *non licere Episcopo Policastrensi dictas parochiales Ecclesias, tamquam post Concilium Tridentinum unitas, visitare* (7). Tandem Benedictus XIV. nedum praeterita suorum praedecessorum indulta Basilicae Vaticanae confirmavit, resque omnes pro ea iudicatas: sed speciatim insuper declaravit Capitulo S. Petri *in terris, seu locis ratione praedictorum suppressorum Monasteriorum. . . S. Petri Licosati, seu de Cosato, et S. Nazarii Salernit. Prov. sibi subiectis ordinariam, et quasi episcopalem iurisdictionem, et huiusmodi iurisdictionis exercitium cum vero, proprio, distincto, separato, et particulari territorio nullius dioecesis libere competere; eidemque licere litteras dimissoriales ad clericalem characterem, omnesque etiam sacros presbyteratus Ordi-*

(1) De his agit Benedictus XIV. in *const. ad honorandam. 59. §. 5o., et seq.* data die 27. Martii 1752, *to. 3.* Bullarii.

(2) Hanc Abbatiam Vaticanae Basilicae in perpetuum adnexuit Nicolaus V. an. 1453., laudatus a Benedicto XIV. *ibidem.*

(3) Ex Iulii III. bulla unionis an. 1549., memorata a Ben. XIV: *ibid.*

(4) Ex consimili bulla Greg. XIII. an. 1582., *loc. cit.*

(5) Ex bulla suppressionis, et unionis, quam dedit Pius IV. ad Capitulum S. Petri 12. Cal. Iulii 1564, *loc. cit.* Ughellius *tom. 7. Ital. sacr. de Caputaquens. Episc.* fert unitum Basilicae Vaticanae Monasterium S. Nazarii, Ecclesiamque S. Nicolai in oppido Abbatis Marci.

(6) Eiusmodi concordiam Urbanus VIII. an. 1637., tum Benedictus XIV: *loc. cit.* sua confirmarunt auctoritate apostolica.

(7) In *cit. const.* 59. Bened. XIV. §. 55.

nes suscipiendos personis iurisdictioni praedictae respective subditis concedere, et impertiri (1).

XXXVIII. Secus est in locis, et Ecclesiis Lateranensi Basilicae subiectis, in quibus Lateranensi Capitulo Romana Sedes Apostolica plenum ius, dominium, et iurisdictionem quasi episcopalem largita est (2), sine territorio separato. Nam sicuti docet Benedictus XIV. (3), *ad normam Xystinae, quae hodie viget, constitutionis, Ecclesiae fundatae in solo Lateranensi sunt exemptae a iurisdictione ordinaria Episcopi, etsi subdantur eiusdem iurisdictioni delegatae.* Nec novae post Xystum V. fundationes Ecclesiarum in solo Lateranensi, nisi dioecesanus loci Ordinarius consenserit, secum fert primitivam a dioecesana lege, ac potestate exemptionem (4): praesertim si praedium Lateranensi Basilicae,

(1) Ibidem §. 57. Praecedenti autem §. 56. idemmet Pontifex tradit ex decretis S. Congr. Conc. non fuisse ipsimet Capitulo Vaticano ius concedendi dimissorias ad Ordines personis ad S. Ruffilli Monasterium in Ravennatensi Provincia pertinentibus, sed opus habere indulto pontificio; eamque S. Congregationem censuisse non assentiri petito postmodum indulto temporibus Inn. XIII., nisi Rotae auditorium antea iudicasset super controversa territorii separati qualitate.

(2) Xystus V. in *const. 29. to. 4 Bullarii par. 4. Sane cum dudum* ait, *fel. rec. Bonifacius Papa IX. Praedecessor noster, qui singularem devotionis affectum ad eamdem gerebat Basilicam* Lateranensem. . . *Archipresbytero, et Capitulo, singularibusque personis, et ministris illius, ac aliis quibuscunque personis utriusque sexus, ut in quibusvis fundis, terris, possessionibus, et* locis ad *eorundem Archipresbyteri, et Capituli mensam capitularem spectantibus, Dioecesani loci, aut alterius licentia minime requisita, Ecclesias, Monasteria, Oratoria, Prioratus, Dignitates, Personatus, Officia, et alia Beneficia ecclesiastica cum cura, vel sine cura; nec non Conventus, hospitalia, et pia loca quaecumque fundare, construere, erigere, aedificare valerent (iure tamen* parochialis *Ecclesiae, et alius* cuiuslibet *semper salvo*) *auctoritate apostolica indulserit. . . praenarratas Bonifacii Papae litteras . . . (modificationibus infrascriptis semper salvis) revalidantes, vosque ad illarum pristinum usum adversus supradictas Pii IV. litteras revocatorias restituentes . . . indulgemus . . . in fundis, terris, et locis mensae vestrae capitularis quaecumque monasteria, Ecclesias, et alia beneficia ecclesiastica cum cura, vel sine cura, nec non hospitalia, et alia pia loca fundandi, erigendi . . . quae quidem* dominio, *protectioni*, iurisdictioni, *defensioni*, ac potestati *vestris immediate subsint; nec non earumdem plenum ius, dominium merum, et mixtum imperium, institutio, insuper destitutio, collatio, provisio, praesentatio, et quaevis alia dispositio ad vos solum, et in solidum perpetuo spectet; dummodo* Episcoporum, *in quorum civitatibus, sive dioecesibus illa fuerint, licentia expressa ad hoc accedat; Ecclesiaeque, et alia, ut praefertur fundanda, erigenda, aedificanda, et dotanda, atque illa pro tempore obtinentes libertatis, immunitatis, et* exemptionis privilegium *aliquod a* iurisdictione, *et superioritate ipsorum* Episcoporum, *aliterve contra formam decretorum, et ordinationum S. Conc. Trid. propterea non adquirant...* Videsis Monacell. *tom. 2. formul. tit. 13. form. 1. num. 80., et seq.*

(3) Bened. XIV. *de Synod. dioeces. lib. 3. cap. 8. num. 2.*, ubi ad id collaudat Rotae *dec. 115., et 313. par. 9. rec. dec. 185. par. 15., et dec. 375. ac. 383. par. 18. rec.*

(4) Ex iam recitatis Xystinae bullae verbis.

paulo ante quam aedificaretur Ecclesia, donatum data opera sit ad hanc ab ordinaria Episcopi iurisdictione subtrahendam (1). Sacra enim Congregatio Concilii anno 1680. in ea Pennensi quaestione, *an clerici, seu presbyteri aggregati Ecclesiae in solo Lateranensi fundatae, excepto Vicario, sint exempti a iurisdictione Episcopi?* respondit *negative ad formam constitutionis Xystinae.* Iterumque anno 1735., *an beneficiatis, capellanis, et patentatis Capituli Lateranensis existentibus in Caputaquensi dioecesi competat exemptio ab Ordinarii iurisdictione?* respondit etiam *negative* (2). Tum die 17. Novembris 1703. in Miletensi iurisdictionis ad novem dubia respondens, ordinariam Lateranensi Capitulo, delegatam Episcopo iurisdictionem in locis in solo Lateranensi extructis attribuit (3).

XXXIX. Sunt praeterea hoc in Regno saeculares aliquot Ecclesiae a primo fundationis initio nullius dioecesis cum territorio separato. In primis Archipresbyteralis Altimurana, quam Fridericus II. Imperator an. 1232. ab Episcopi, et Archiepiscopi cuiuslibet iurisdictione liberam Romanae tantum Sedi, sibique, suisque in Regno Successoribus cum perpetuo collationis iure subiectam voluit, id quod expresso privilegio confirmavit Innocentius IV. anno 1248. (4). Episcoporum inde Gravinensium contra primitivam illius Ecclesiae libertatem attentata coercue-

(1) Ex decreto particularis Congr. a Benedicto XIII. deputatae, die 20. Decembris 1726. contra antiquam Rotae *dec. 185. par. 15. rec.* apud Benedict. XIV. *loc. cit.*

(2) S. Congr. Conc. in Pennensi iurisdict. 7. Septembr. 1680., et Caputaquensi die 17. Decembr. 1735. apud Bened. XIV. *loc. cit.*

(3) Eadem S. Congr. in Milet. iurisd. die 17. Nov. 1703. haec dubia resolvit. Ad I. *an sine subdelegatione speciali subdelegatus ab Episcopo ad visitandam dioecesim possit visitare Ecclesias, confraternitates, et loca pia fundatas in solo Lateranensi?* Resp. *negative etiam quoad confraternitates erectas auctoritate Capituli.* Ad II. *an dicta subdelegatio spectalis debeat a subdelegato ostendi, et inseri actis visitationis? Affirmative.* Ad III. *an Episcopus, vel ab eo subdelegatus teneantur declarare expresse se visitare iure delegato? Affirmative.* Ad IV. *an Vicarius Lateranen. in visitatione, quam facit iure ordinario, possit petere, ut sibi ostendantur acta visitationis factae ab Episcopo, vel ab eius subdelegato? Affirmative, in forma tamen extraiudiciali, non autem auctoritative, et per edicta.* Ad V. *an Ecclesias parochiales fundatas in solo Lateranensi valeat Episcopus visitare iure ordinario? Negative.* Ad VI. *an Episcopus Mileten. in Ecclesiis, quae praetenduntur sitae in solo Lateranensi, possit exercere iurisdictionem ordinariam quoad provisionem parochialium, aliorumque concernentium curam animarum, et administrationem Sacramentorum? Quoad primam partem dubii affirmative quoad institutionem auctorizabilem tantum; quoad secundum partem iure delegato tantum.* Ad VII. *an in alienationibus rerum Ecclesiarum in solo Lateran. in dioecesi Mileten. solemnitates requisitae etiam in vim* can. terrulas 12. qu. 2. *adhiberi debeant per praedictum Vicarium destinatum a Capitulo dictae Basilicae Lateranensi?* VIII. *an talis facultas competat Capitulo, et quatenus, affirmative?* IX. *an illam specialiter delegare possit suis Vicariis?* Resp. *non competere Episcopo, sed tantum Capitulo, non autem illius Vicario sine speciali delegatione.*

(4) Apud B. Chioccarell. *tom. 7. arch. lit. 2. num. 1., et 2.*

runt Reges Andegavenses; tum Carolus II. die 20. Ianuarii 1301. suo comprobavit adsensu concordiam a M. Petro Angeriaco Basilicae S. Nicolai Bariensis Thesaurario, et Archipresbytero Altimurano cum Iacobo Gravinensi Episcopo initam, quae plenam regiae Ecclesiae Altimuranae, eiusque Capellarum, Cleri, et populi ab ecclesiastica, et spirituali potestate ipsius Episcopi exemptionem agnovit, simul, et ordinariam quasi episcopalem Archipresbyteri iurisdictionem, praeterquam in iis, quae sunt episcopalis Ordinis, Episcopo reservata (1). Mox Innocentius VIII. an. 1465., Pyrrho de Baucio tunc Altimuri Principe, ac Francisco Russo Archipresbytero Altimuri postulantibus, in ea ipsa Ecclesia parochiali collegium insigne viginti quatuor Canonicorum, et quatuor Dignitatum Archidiaconi, Cantoris, Primicerii, et Thesaurarii, ad ipsius Archipresbyteri collationem liberam pertinentium erexit, indulgens Archipresbytero iura, et insignia episcopalia, solemnis benedictionis usum, potestatem conferendi minores Ordines, atque a casibus episcopalibus absolvendi, et ordinariam iurisdictionem, ei praeterea castro, seu terrae titulum Civitatis (2). Exortis dein iurgiis ob episcopalem visitationem anno 1605., quum Episcopus vexaret Capitulum, Syndicos, Electosque illius Universitatis censura excommunicationis, interdictoque a sacris totam civitatem in hisce provinciis populosiorem, duodeviginti millia capitum complectentem: transacta lis fuit anno 1622. hoc pacto, ut Episcopus tamquam Sedis Apostolicae delegatus visitandi ius haberet ad rebus divinis, bonisque moribus consulendum tantum sine ulla coercendi potestate (3). Ita quum iudex ordinarius in primo fori ecclesiastici gradu sit Clero, populoque Altimurano Curia quasi episcopalis Archipresbyteri: in gradu appellationis eos non alium, nisi regium Capellani Maioris tribunal ex moribus iam receptis adire iam dixi alias.

XL. In Ecclesia item regia S. Ægidi Altavillae Abbas libera collatione Regis institutus ordinariam in ea Terra exercet iurisdictionem ecclesiasticam ex immemorabili consuetudine, rebusque iudicatis; quantumlibet fundationis monimenta adhuc tegat, nisi penitus deleverit, vetustas obscura. Supersunt vero vestigia regiarum collationum, quas Carolus II. Andegavensis fecit, in archivio regalis iurisdictionis; istamque Abbatiam inter alia de Regis Neapolitani arbitrio conferenda beneficia recenset concordia inter Clementem VII., et Carolum V. Imperatorem an. 1533. (4). Eodem adhinc saeculo fertur antiqua huiusce Ab-

(1) Apud eumdem *loc. cit. num. 14.*

(2) Ibidem *num. 19.*

(3) In ea componenda adfuit hinc Regius Consiliarius Io. Baptista Migliore a Prorege Cardinale Zapata ad Romanam Curiam ablegatus, illinc Ulpianus Theatinus Archiepiscopus S. R. E. Datarius a Paulo V. deputatus: eorumque pacta conventa comprobavit Gregorius XV. die 15. Febr. 1622., ad cuius litteras accessisse placitum regium Collateralis Consilii, refert Chioccarell. *loc. cit. in fine.*

(4) Id quod observat Regens de Ponte *dec. 12. num. 13.*, et Regens de Marinis *resol. iur. lib. 1. cap. 152. in fine.*

batis possessio iurisdictionis ordinariae, et quasi episcopalis in Clerum, et populum Altavillae (1), quam Regia Curia Capellani Maioris, et Regium Collaterale Consilium tueri contra Episcopos Caputaquenses non semel decreverunt (2): at abusum Abbatis in dimissoriis ad Ordines correxit ipsum Collaterale Consilium anno 1732. (3). Mox anno 1750. conquestis apud Regem Abbate, Cleroque Regio Altavillae de rebus pluribus contra Caputaquensem Episcopum, et Archipresbyterum S. Blasii eiusdem Terrae D. Michaelem Capopizza: Curia Capellani Maioris ex regio rescripto notionem controversiae suscepit, auditisque partibus, censuit die 1. Augusti 1756. rescribendum Episcopo Caputaquensi, ne Abbatem regiae Ecclesiae turbaret in exercitio omnimodae iurisdictionis quasi episcopalis, usuque Pontificalium pluribus abhinc saeculis consueto in Regia Ecclesia, et quod ad parochianos ei subditos in caussis spiritualibus, et ecclesiasticis. Cui votum addidit suum regalis Camera sanctae Clarae die 5. Septembris 1759., ab Rege postea comprobatum. Dein reclamantibus Episcopo, et Archipresbytero, iterumque ad incudem reductis quaestionibus, ea ipsa tribunalia steterunt in decisis. Huius etiam fori Abbatialis iudicia subsunt Curiae Capellani Maioris in gradu appellationis.

XLI. Ad regias nullius dioecesis basilicas, ordinaria in Clerum, et populum iurisdictione fruentes, nuper accessit Balneariae Prioralis Ecclesia sub titulo S. M., et XII. Apostolorum (4). Eam fundavit Siciliae et Calabriae Comes Rogerius anno 1082., exemptamque ab omnium, praeterquam Romani Pontificis potestate voluit: dum ecclesiasticos viros religiosos transalpinos, qui Hierosolymam transfretaturi Miletum appulerant, moratus Priorem ex ipsis unum nuncupavit, ut in eius, et

(1) Liber introituum feudalium Capacii, Altavillae, et Padulae in Provincia Princip. Citra, et Basilicatae an. 1578. ad 1581. (quem magnum Regiae Camerae Summariae archivum servat in *Com. 1. lit. D. scanz. 4. n. n.* 20) haec habet. *La madre Ecclesia di detta Terra* d'Altavilla *è la Regia Badia di S. Egidio, e l'Abbate esercita ordinaria giuridizione, e tiene ab antiquo l'uso de' Pontificali. Dentro la detta Terra vi sono due altre Cappelle, l'una detta S. Antonio, e l'altra S. Biase, ci sono da venti Preti, vi sono molti benefizii. ed in tutti l'Abbate vi spedisce le Bolle.*

(2) Liquet ex actis in Curia Capel. M. pro Abbatiali Eccl. Altavillae cum Episc. Caputaqu. an. 1696., 1697., 1710., 1732., et 1756.

(3) Ex recursibus Episcopi Telesini, et Neapolitani Archiepiscopi an. 1732. Regium Coll. Consilium decrevit, quod Abbas *se abstineat pro nunc, et usque ad novum ordinem S. E., et Regii Coll. Cons. ab expeditione litterarum dimissorialium ad ordinandos ecclesiasticos pro iis: qui non sunt naturales dictae Terrae Altavillae, et sui parochiani.* Videsis *proces.* Cur. Cap. Maior. *an. 1750. fol. 37.*

(4) Ex tribus sententiis Curiae Capellani Maioris in primo gradu die 15. Ianuarii 1755., Regii Consiliarii D. Dominici Salomonii in secundo gradu die 26. Septembris eiusdem anni: tandem Regalis Camera S. Clarae, quae in tertio appellationis gradu die 8. Iulii 1757. declaravit *iuspatronatus pleno iure pertinuisse, et pertinere ad Regiam Maiestatem, Eiusque serenissimos Successores cum facultate praesentandi, et cum aliis iuribus, et praerogativis in limine fundationis comprehensis.*

successorum *dispositione* permaneret in perpetuum (1) libera Ecclesia. Mox bonis aliis, et beneficiis aucta est a Rogerio II. an. 1117. (2), et Tancredo Comite Syracusano an. 1103. (3). Eodem saeculo quum Anacletus II. Antipapa Iocaelmum Balneariae Priorem studuisset insulis episcopalibus ornare in Ecclesia Cephaludensi, quam is cathedralem tunc primum effecit, Ecclesiamque Balneariae ipsimet Cephaludi Episcopo subiecisset: iurgia inde inter Priorem, Conventumque clericorum Balneariae, ac Episcopum exorta, Iocaelmus idem communi partium consensione composuit anno 1146. (4), eorumque concordiam Rogerius I. Siciliae Rex firmavit (5). Postea Clemens III. an. 1188. (6), et Coelestinus III. an. 1192. (7) eam a primis suae fundationis temporibus li-

(1) Hoc diploma Rogerius Comes Siciliae, et Calabriae apud Miletum residens dedit Ae. Chr. anno 1085., cuius transumptum integrum est in actis eiusdem Curiae Capell. Maior. *fol. 76., et 77.* Genuinum huiusmodi monumentum esse negabant Prior, et Patres Ord. Praed. Monasterii Balneariae, qui tamen in iudicio cum Clero saeculari Balneariae, ac Fisci Patrono regalis patrimonii succubuere, quum regium inde patronatum excludere irritis conatibus contenderent. Haec inibi, quae ad rem nostram faciunt, Princeps fundator inquit: *quam scilicet Ecclesiam volo, et praecipio fore omnino liberam a dominio omnium hominum, excepto Summi Pontificis S. Romanae Ecclesiae . . . penitus esse liberam censeo, ut in vestra, et successorum vestrorum dispositione permaneant.*

(2) Rogerii II. diploma habent Pyrrhus *tom. 2. Sicil. Sacr. not. 5. Cephaludens. Eccl.*, et Inveges *annal. Panormit. tom. 3. aera 8. Norman. ad ann. 1117.*

(3) Tancredus quum Ecclesiam S. Luciae de Neto, aliaque confirmasset Gaufredo Pictaviensi Balneariae Priori: id comprobavit Rogerius II *ibid.*

(4) Ex litteris concordiae inter Ecclesias Cephaludensem, et Balneariae, ac Bullis an. 1146. eam probantibus Iocaelmi olim Prioris Balneariae, ad Cephaludensem Cathedram episcopalem ab ipso Anacleto promoti, apud Pyrrhum *tom. 2. Sicil. Sacr. not. 5. Cephaludens. Eccl. ad an. 1146.*, ibi, *Ea, quae semper observata est a praedecessoribus meis, in perpetuum potestas observetur, statuendi, et ordinandi in ipsa Ecclesia* Balneariae *Priorem canonice.* Addit ibidem Iocaelmus a Rogerio I. Siciliae Rege confirmatum *praesens scriptum a me, et Ecclesia Cephaludi Ecclesiae Balneariae factum,* et instrumentum super conventa obedientia, *quod praefatus, et Conventus Balneariae mihi, et successoribus, meis fecit.*

(5) Idem Pyrrhus *loc. cit. fol. 801.* exscribit Regis Rogerii privilegium.

(6) Quum Episcopus Miletensis exemptionem oppugnaret, Papa Clemens III. an. 1188. datis litteris ad Priorem Ecclesiae de Balnearia, eiusque fratres, *attendentes*, ait, *ex quibusdam autenthicis scriptis in praesentia nostra exhibitis, qualiter praedicta Ecclesia S. M. de Balnearia, in qua estis obsequio mancipati, a primis suae fundationis temporibus usque nunc usa fuerit libertate, eam omnimodo soli Romanae Ecclesiae decernimus subiacere, ipsamque sub B. Petri, et nostra protectione suscipientes praesenti scripto privilegio communimus,* apud Inveges *tom. 3. annal. Panormit. aera 7. Normann. ad an. 1117.* Ex processu Cur. Capell. Maior. *fol. 14. ad 19.*

(7) Coelestini III. bulla (in eodem proc. *fol. 97.*) an. 1192. haec habet: *Ea propter dilecti in Domino filii, attendentes, qualiter Ecclesia S. M. de Balnearia, in qua divino estis obsequio mancipati, a primis suae fundationis temporibus usque nunc usa fuerit libertate, fel. rec. Clementis praedecessoris nostri vestigiis inhaerentes, eam nullo medio soli Romanae Ecclesiae decernimus sub-*

beram soli Romanae Sedi subditam declararunt. Alexander IV. an. 1254. ipsam Florensi Ecclesiae S. M. de gloria civitatis Anagni cum solo Prioris consensu ita univit, ut Prioris titulum, dignitatemque suppresserit. Hinc ut membrum Ecclesiae Anagninae Eugenius IV. commendavit Petro de Comitibus Anguillarae an. 1437. (1). Interea Rex Ferdinandus I. Aragonius quamvis nunciasset litteris ad Pium II. datis die 27. Aprilis 1462. patronatum in Prioratu Balneariae regium ad sese pertinere, pontificiam respuens collationem (2): tamen die 28. Octobris 1466. ad filium suum Henricum de Aragonia locumtenentem in Calabria generalem rescribens placitum suum, brachiumque regium postea iam indulsit, ut Procurator Petri Anguillarae vi Bullarum Eugenii IV. possessionem Prioratus Balneariae adipisceretur (3); mox litterarum Paulli II. ad eundem Petrum de Anguillara mense Decembri 1466., et Octobri 1467. datarum executionem pro capienda Prioratus possessione iterum filio suo imperavit. Dein Basilicae Lateranensi Ecclesiam Balneariae quum univisset Paullus II. an. 1470.; unionem nunciavit eidem Regi Ferdinando die 12. Decembris 1470., quam Rex probavit, filioque suo Henrico, ut eam exequeretur, rescripsit die 7. Ianuarii 1471. (4). Eo abhinc tempore quasi episcopalem in terra Balneariae iurisdictionem obtinuit Romanum Lateranense Capitulum, quam suo Vicario generali mandare consuevit. Sed parochialem curam animarum Fratribus Ordinis Praedicatorum Gregorius XIII. concredidit anno 1582., ubi parochialem iis Ecclesiam Balneariae concessit cum onere quotannis duas cerae libras persolvendi Lateranensi Capitulo (5): quae sensim usu, et pontificiis Benedicti XIII. litteris (6) in quasi episcopalem versa est, quamvis ab eodem Lateranensi Capitulo, eiusque Vicariis generalibus, atque a saeculari Balneariae Clero oppugnatam. Haec tandem iurisdictio quasi episcopalis pleno iure ad regium Balneariae Priorem ab Rege Carolo delectum post rem ter, ut supra iudicatam pertransiit.

XLII. Singularis hoc in regno exempli gratia non est silentio praetereunda quasi episcopalis iurisdictio Abbatissae Monasterii S. Benedicti sacrarum virginum Conversani, alias Cupersani, quam ea baculo, et insignibus Abbatialibus fulgens in Clerum, et populum Castellanae nullius dioecesis per suos exercet Vicarios generales. Cogitanti cuique, animoque revolventi foeminas iurisdictione praecellentes in Hebraeorum

iacere, ... Ordo canonicus qui secundum Deum, et B. Augustini regulam in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur perpetuis ibidem temporibus observetur.

(1) Ex transumptis bullarum in cit. processu exhibitis.

(2) In eodem processu *fol. 257., et seqq.*

(3) Ibidem *fol. 84.*

(4) Pontificias Paulli II, et regias Ferdinandi I. litteras huiusmodi fert Pennottus *lib. 3. hist. tripart. Clericor. Canonic. cap. 30.*, et cit. proc. *fol. 86.*

(5) Ex transumpto bullae Gregor. XIII. cit. proc. *fol. 103. ad 106.*, liquet annuos regni ducatos centum viginti sex, et frumenti modios nonaginta sex pro congrua eorumdem Patrum substentatione ex ipsius Ecclesiae reditibus attributos.

(6) Sumptum bullae Bened. XIII. in eodem proc. *fol. 37., et seq.*

republica (1), in Gallis (2), alibique alias Abbatissas, praesertim in Hispania (3), Anglia (4), et Italia (5); non absurda res haec nostra videbitur, cuius originem, ac statum operae pretium est brevibus explicare. Monasterium istud pro religiosis primum viris fundatum a S. Mauro S. Benedicti discipulo (6) exemptionum privilegia, una cum ceteris S. Benedicti familiis, consecutum est, quorum specialia monimenta delevit saracenica illius regionis devastatio, Graecorumque schismaticorum impietas. Leo III. an. 815. dum Eusthasium Abbatem S. Benedicti de Cuperzano electum instituit; iurisdictiones quoque ab Apostolica Sede

(1) Sacrae Litterae, Iudicum *cap. 4. vers. 4., et 5.* haec habent: *Erat autem Debora prophetis uxor Lapidoth, quae iudicabat populum in illo tempore. Et sedebat sub palma . . . in monte Ephraim: ascendebantque ad eam filii Israel in omne iudicium.*

(2) Innocentius III. Cancellario, et Magistro Loth. Canonico Parisiensi rescribens in *cap. dilecti 4. de arbitris* probavit iudicium ex compromisso latum a Regina Francorum in caussa fori ecclesiastici inter monachos Cistercienses, et hospitalarios: *quia iuxta consuetudinem approbatam*, ait, *quae pro lege servatur in partibus Gallicanis, foeminae praecellentes in subditos suos ordinariam iurisdictionem habere noscuntur.*

(3) Benedictus XIV. in *const. quamvis iusto 7. tom. 3.* Bullarii §. 17. de Conservatoriis Virginum Anglicanarum controversiam definiens, *nec agitur*, inquit, *de tali Superiorissa generali, quae amplam quamdam iurisdictionem in subditas exercere, ipsaque ab ordinaria Episcopi auctoritate exempta esse debeat: qualis esse asseritur* Superiorissa Ordinis Fontebraldensis, *pro qua proluxam scripsit apologiam Ioannes de la Mainferme . . . . . aut qualis est* Abbatissa Burgensis *in Hispania, quae Capitulum generale in ipsa civitate Burgensi singulis annis celebrare solet, et in plura monasteria regnorum Castellae, et Legionis suam iurisdictionem exercet, de qua in* annalib. Cisterciens. *to. 1. pag. 225., et apud* Thomassin. *de vet., et nov. Eccl. disc. par. 1. lib. 3. cap. 68. num. 12.* At Carolus M. anno regni sui XI. *capitulari 3.* statuit, *ut unaquaeque Abbatissa sine intermissione in suo Monasterio resideat, et duo monasteria non habeat.*

(4) Ven. Beda *lib. 4. hist. eccl. gentis Anglorum cap. 23.* de Abbatissa Hildae monasterii duplicis, quae tum monachos, tum sacras virgines regebat, haec tradit: *Tantum lectioni divinarum Scripturarum* suos *vacare* subditos *tantum operibus iustitiae se exercere faciebat, ut facillime videretur ibidem, qui ecclesiasticum gradum, hoc est altaris officium apte subirent, plurimos posse reperiri. Denique quinque ex eodem Monasterio postea Episcopos vidimus, et hos omnes singularis meriti, ac sanctitatis viros.*

(5) Io. B. Rigant. *tom. 2. in par. 1. Reg. IX. Cancell. §. 2. num. 380;* post enarratam Abbatissae Cupersani praerogativam conferendi beneficia ecclesiastica, ex testimoniis Lambertini, Corradi, et Cardinalis Petrae, addit: *Et favore Abbatissae monasterii S. Mauritii civitatis* Mediolani *Ord. S. Benedicti canonizatum fuit a S. Congr. Conc. an. 1701. ius conferendi parochialem Ecclesiam S. M. ad circulum, praeservata Archiepiscopo institutione auctorizabili, ex Em. Petra to. 3. pag. 347. num. 33. Conferendi etiam beneficia curata ius habent* Abbatissa, *et moniales monasterii S. M. prope muros* Aquilae, *pro quibus scripsit Paris. cons. 13. Extant sane earum favore plurima diversorum Pontificum privilegia, quae S. Pius V. an. 1566. specifice confirmavit, ut ex epistola relata per* Fagnan. *in notis mss. pag. 247., et seq.* Sane pars ecclesiasticae iurisdictionis est collatio beneficiorum.

(6) Ughell. *to 7. Ital. Sacr. de Cupersan. Episc. num. 2. pag. 925.*

praeteritis Abbatibus iam indultas, et monasterii exemptionem confirmavit (1). Paschalis II. an. 1110. precibus Vincentii Abbatis annuens monasterium sua sub protectione suscepit cum annuo censu dimidiae auri unciae (2). Coelestinus III. priscam in eo quadraginta monachorum familiam incuria Praesulum ad tres, vel quatuor extenuatam respiciens Mulcinensi Episcopo administrationem coenobii commendavit, mox fugam istius, et spolium condolens iussit anno 1194., ut monachi Abbatem sibi religiosum eligerent (3). In hoc tandem desolato monasterio, penitusque monachis destituto domicilium, sedemque stabilem sacris virginibus Cisterciensis Ordinis cum Abbatissa Demaeta Palaeologa, e suo coenobio S. M. de Verge Motonensis dioecesis Provinciae Romanae potentia Graecorum expulsis, quae in Sedis Apostolicae sinum a Philippo Imperatore Constantinop. commendatae huc se receperant, fixit iussu Clementis IV. Rodulphus in Sicilia Legatus apostolicus an. 1266., eisque alterum S. Benedicti coenobium olim virgineum Polymniani perpetua unione addixit una cum omnibus utriusque possessionibus, et iuribus (4). Tum acta Rodulphi Gregorius X. rata litteris suis habuit, fecitque validiora an. 1271. (5). Paulo post Stephano Episcopo Cupersani clericos

(1) Leo III. in bulla 7. kal. Decemb. 815. apud Ughell. *loc. cit. te praefatum Eusthasium*, ait, *canonice electum in Abbatem prefati monasterii, quod Cupersani situm est, auctoritate apostolica confirmamus, et stabilimus cum omnibus honoribus, redditibus ipsius monasterii, et iurisdictionibus suis, praedecessoribusque tuis hactenus per* hanc Sedem *sanctam indultis; monentes, ut dum in eo praefueris, vigilantia, doctrina, morumque probitate*, subditos *ceterosque antecellas, eosque in charitate moneas*, corrigas, *et exemplo aedifices.... Si quis autem adversus istud monasterium Cupersanense putet habere querelam, et apud te, tamquam Abbatem, vel monachos* litem *suam decidere, aut deferre noluerit: volumus, et statuimus, ut ante nos, aut Legatos nostros querimonia deferatur.*

(2) Paschalis II. litteris ad Vincentium Abbatem datis id. Iulii 1110., apud Ughell. *loc. cit. num. 4.*, haec inquit: *Nos supplicationi tuae clementer annuimus, et B. Benedicti Cupersanense monasterium, cui Deo auctore praesides, sub tutela Apostolicae Sedis excipimus . . . Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat eamdem* Ecclesiam *temere perturbare, aut possessionem auferre. . . Chrisma, Oleum sanctum, consecrationes altarium, sive basilicarum, ordinationes monachorum, qui ad sacros fuerint ordines promovendi, ab ipso, in cuius dioecesi estis, accipiatis . . . Nec Episcopo, nec Episcopi ministris facultas sit novas quaslibet exactiones ipsi loco indicere, aut gravamen inferre, aut in Abbatem loci sine Apostolicae Sedis censura manum depositionis extendere. Indicium autem perceptae a Romana Ecclesia protectionis dimidiam auri unciam quotannis Lateranensi palatio persolvetis.*

(3) Coelestini III. bullam ad Polymniani, et Cupersani Episcopos datam IV. non. Iulii an. 1194., promit Ughell. *ibidem num. 8.*

(4) Rodulphi sententiam, et litteras ea de re datas an. 1266. ad Stephanum Cisterciensis ordinis monachum tunc Episcopum Cupersani, habet Ughell. *loc. cit. num. 11. pag. 959.*

(5) Greg. X. binae litterae ab eodem Ughellio feruntur *ibidem*. Qui addit *num. 13.*, Ioannem Abbatem Cisterciensem in Concilio Lugdunensi II. sub Greg. X. an. 1274. solvisse pro Monasterio Cupersanensi quotam decimarum pro terrae sanctae subsidio.

Castellanae subiectos Monasterio ad ordines promovere sine commendatitiis Abbatissae, aut eius Vicarii litteris contendente, Archiepiscopus Tarentinus Henricus ex compromisso partium, quod Rex Carolo I. Andegavensis imperaverat, electus arbiter iudicasse contra Episcopum fertur ab Ughellio ad an. 1274. Dein S. Pius V. Isabellae Aquavivae Abbatissae rescribens an. 1569 : *tibi*, ait, *ut per Vicarium tuum in omnes, et singulos presbyteros, sive clericos, qui iurisdictionis tuae fugiendae gratia habitum huiusmodi susceperunt, dummodo intra alicuius Ordinis septa non degant . . .* ordinariam, *solitamque* iurisdictionem tuam *sine tamen prioris tibi concessae facultatis praeiudicio exercere possis, et valeas, quam in alios clericos saeculares* iurisdictioni tuae *huiusmodi subiectos de iure, vel consuetudine, aut privilegio hactenus exercuisti, auctoritate apostolica per praesentes facultatem concedimus* (1).

XLIII. Tot exemptorum classes, locorumque ab Episcopis dioecesanis subtractorum, cave ne putaveris, divinae Episcoporum institutioni adversari, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei. Nam unitas Ecclesiae catholicae divino iure instituta sub uno omnium summo Capite, supremoque unius ovilis, et gregis universi Pastore, a quo velut irriguo fonte perenni in Ecclesiam quaquaversus profluunt omnes potestatis ecclesiasticae rivuli, tum promiscua, et universalis a Christo Domino cunctis Apostolis concredita potestas spiritualis, quam inter sese ipsi, quod ad exercitium humano iure distribuerunt secundum regiones populorum, salva unitate indivisa in suo ipsorum principe Petro, eiusque Successoribus, in caussa fuit I, ut auctoritate suprema Sedis Apostolicae, Patrumque consensione ab Ecclesiae incunabulis suam quisque portionem gregis dominici speciatim regendam intra limitatos dioecesum, et parochiarum fines acceperint Episcopi multo maiores duodenario Apostolorum numero II., ut divisio parochiarum, et dioecesum integram ubique servet summo omnium Pastori eminentem curam, et iurisdictionem universalem. III., ut fas esset supremo eidem Pontifici nedum variare mobiles parochiarum, dioecesumque fines, eosque aut arctiores facere, aut ampliores: verum etiam sibimet avocare specialem ex qualibet dioecesi partem, quam cuicumque voluerit dioecesano adimere, adeptamque aliis mandare subministris, et hos, aut intra dioeceses ipsas episcopales, aut extra constituere tamquam exemptos, sibique sine ullo medio subiectos. IV, ut nulla concipi reapse valeat exemptio nativa, praecedentem indicans subiectionem ordinariam, posteriori Sedis Apostolicae beneficio adeptam; non secus, quam pars a toto avulsa suam,

(1) Has etiam S. Pii V. litteras promit Ughellius *ibidem*. Hoc in regno viginti loca exempta, seu nullius Dioecesis enumeravit speciatim S. Congr. Conc. die 27. Febr. 1677. in decreto circa subcollectores Camerae Apostolicae videlicet Canusii, Cerignolae, Casalis novi, Cetrani, Centolae, Castri S. Laurentii, Castellanae, Carbonariae, Drosii, Fasani, Montis Virginis, Montis Casini, Marubii, Pitignani, Rutiliani, S. Stephani de Nemore, Ssmae. Trin. Cavens. S. Angeli ad Fasanellam, S. Vincentii de Vulturno, Terlitii, et aliis. Hoc decretum integram videsis in append. Conc. Romani Bened. XIII. art. 7.

quae fuit, cum toto unionem praesefert. V, ut ubi desiverit exemptio, in integrum ipso facto redeat episcopalis potestas : quoniam hanc non extinguit omnino, sed tegit, et obumbrat exemptio, instar fluminis praedium inundantis. (1).

XLIV. Tanta vero nunc est dignitas , et praerogativa inferioris cuiusque Praelati cum territorio separato nullius dioecesis, ut ipse cum suo Clero , et populo, Ecclesiis , locisque sibi subiectis nullatenus pareat nec ordinariae , nec delegatae dioecesani, aut vicinioris Episcopi iurisdictioni. Propterea in iis rebus , quae curam animarum , Sacramenta , verbi Dei praedicationem, clausuram monialium, cetera id genus excepta spectant, auctoritatem Sedis Apostolicae a Tridentina Synodo Episcopis dioecesanis expresse delegatam in loca, et personas exemptas , cum clausula, *etiamsi nullius sint dioecesis ;* delegationem eiusmodi non extendi ad loca Praelatis cum territorio vere separato subdita , monet ex communi Doctorum sententia Cardinalis de Luca: sed ad ea dumtaxat *nullius improprie* nuncupata, quae *in* dioecesi episcopali existunt, ac privilegio exemptionis intra eam ipsam, unde non abscissa nec seiuncta sint , fruuntur (2). Hinc Praelatus iste non secus, quam Episcopus, in sua quasi dioecesi approbat, creatque Confessarios ad Sacramentum Poenitentiae ministrandum , idoneis viris animarum curam confert per institutionem canonicam, quam vulgus *auctorizabilem* appellat, concionatoribus necessariam impertitur licentiam, cuncta ferme iurisdictionis episcopalis quum contentiosae , tum voluntariae munera explet (3), praeterquam ipsasmet Ordinis episcopalis functiones.

XLV. Hac limitatione fit , ut dignitas Praelati nullius dioecesis , et ordinaria in suum Clerum , et populum potestas adnexam non habeat ipso iure (nisi privilegium apostolicum id cuique post Tridentina comitia apertissime indulserit) facultatem nec conferendi subditis saecularibus clericalem Tonsuram , Ordinesque minores, nec dimissorias etiam litteras pro suscipiendis a quolibet Episcopo , Ordinibus (4) ; sed eos coguntur arbitrio Episcopi dioecesani, seu vicinioris ordinandos sistere cum solis testimonialibus litteris ad formam bullae *Speculatores* (5).

(1) Consule hac in re D. Ild. Clemente de Arostegui *part. 1. Concord. pastor. cap. 4. num. 71., et 72.*

(2) Card. de Luca *de iurisdict. disc. 10. in fine*, D. Ildeph. Clement. de Arostegui *de concord. pastor. par. 1. cap. 4. num. 101.*

(3) Fr. M. Piton. *eccles. discept. to. 1. discept. 128. num. 13., et seq.*

(4) Id quod iam innui superius *lib. 1. tit. XXIV. n. CLXXXIV., et lib. II. tit. X. num. LIV.* Nam S. Congr. Concilii in ea quaestione inter Episc. Brictinoriensem, et Capitulum S. Petri de urbe, die 3. Septembris 1718., *an. etiamsi constaret* de territorio separato , posset Capitulum S. Petri concedere dimissorias? re mature discussa , unanimi omnium sententia respondit *negative* , die 17. Decem. eiusdem anni, apud Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. 2. cap. 10. num. 15.*

(5) Ex Trid. in *cap. Abbatibus 10. sess. 23. de ref.*, quo cunctos etiam cum territorio separato inferiores Praelatos obstringi, abrogatis, quae praecesserunt, privilegiis , et consuetudinibus , recte condocent Fagnanus in *cap. significasti 8. de offic. Archid. num. 12., et seq.* Card. de Luca *de iurisdict. disc. 16.*,

XLVI. Divina isthaec foecunditas Ordinis episcopalis, unde revear Patres Ecclesiae sunt Episcopi, postulat, ut ad inferiores Praelatos non pertineat ea eiusdem Ordinis praerogativa, quam dioecesanis tantum Episcopis indulget auctoritas canonum, et consuetudo vetustissima, celebrandi festum annuum consecrationis episcopalis diem (1), et commemorandi speciatim in canone Missae post Romanum Pontificem, atque in collectis, publicisve precibus, etiam liturgicis Episcopum quisque suum (2). Violaret enim non sine gravi culpa communes Ecclesiae ritus quicumque suo pro Antistite nominaret in sacrificiis Missarum, aut Abbatem Regularem, Praepositumve generalem, aut quemlibet Praelatum Episcopo inferiorem (3).

XLVII. Cetera quum *ordinis*, tum *iurisdictionis* episcopalis negotia maiora, quae hisce Praelatis non datur in suo quamtumlibet separato territorio gerere absque privilegio specialissimo, alias iam recensui (4). Addam ex S. Pii V. constitutione, quod vicinior Episcopus, aut Metropolitanus *visitationem* a Concilio Tridentino sibi mandatam in Ecclesiis, et beneficiis exemptis possit *delegata solum auctoritate* Sedis Apostolicae, in actis idcirco exprimenda, obire *gratis*, *absque ulla* exemptorum *impensa*, *et onere* (5) tam per sese, quam per Vicarium speciali mandato subdelegandum (6).

XLVIII. Diversa, et imbecillior autem est conditio exemptorum, qui suo subsunt Ordinario Praelato inferiori nullum habenti separatum territorium, sed exemptam simpliciter *in* dioecesi episcopali Ecclesiam. Instar exempli sit Ecclesia Terlitiensis insigni Collegio S. M. in coelos Assumptae, et S. Michaelis *in* dioecesi Iuvenacensi, cui Archipresbyter, tamquam loci Ordinarius dudum praefuit, quousque in Cathedralem e-

Card. Petra in *comm. ad const. apost. to. 5., pag. 119., num. 66, et seq.* D. Ildeph. Clemente de Arosteguì *par. 2. Concord. pastor. cap. 18. num. 23.*, et Benedictus XIV. *de Syn. dioec. lib. 2. cap. 10. num. 9., et seq.* Hinc S. Congregatio Concilii apud Fagnanum *loc. cit.* olim declaravit, *nec Abbati Casinensi, nec Cavensi, nec Farfensi, nec Sublacensi, nec Castri Durantis, nec Nonantulano, nec S. Laurentii in campo* esse facultatem dandi saecularibus subditis dimissorias ex circumscriptis a Concilio privilegiis antiquis. Posteriora tamen Sedis Apostolicae privilegia pro concedendis dimissoriis indulta aliquot speciatim Abbbatibus, iam delibavi *cit. lib. 1. tit. XXIV. n. XVIII.*

(1) *Can. solemnitates 16. de cons. dist. 1.*

(2) Ex Apostoli monito ad Hebraeos *cap. 13. vers. 7.* ibi: *Mementote Praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei.* Idipsum tradit S. Augustinus *cap. 110.*, et Innocentius III. *de celebr. miss. cap. 5.*

(3) Ex decreto S. Congr. Rituum *die 12. Novembr. 1615.* apud Gavant. *in rubr. Missal. tom. 1. par. 2. tit. 8. §. 2. in fin.* Emman. Rodriguum *to. 4. summ. cap. 51. num. 13.*, Pax Iordan.. *elucubr. lib. 4. tit. 1. num. 336.*, *et* Ildeph. Clemente *loc. cit. cap. 24. num. 11., et seqq.* qui apposite monet vel commemorationem Antistitis fore silentio praetermittendam, ut Romae fieri fert Pasqualigus *de sacr. Miss. qu. 217. num. 7:* vel nominandum provinciae Metropolitanum, vel ex Gavanti, ac Villaroelis opinione Episcopum viciniorem.

(4) *Lib. 1.* harum Inst. *tit. XXIV. a num. VII. ad XXII.*

(5) S. Pius V. in *const. exposcit. 163.*

(6) Fagnan. in *cap. nullus de Parochis num. 29.*

recta, et aeque principaliter unita Iuvenacensi est anno 1748. (1). Huiusce Archipresbyteri iura ab antiquo controversa quum partes bis transegissent, speciatim anno 1459. solemni concordia, quam Latinus Cardinalis Ursinus Apostolicae Sedis a latere Legatus ad Regem Neapolitanum, dein Paulus II. confirmarunt; mox post comitia Tridentina turbassent novae, diuturnaeque lites ob episcopalem illius Collegii, et Ecclesiae visitationem a Clero, et populo totis lacertis oppugnatam: Benedictus XIII., et Clemens XII. eas perpetuo silentio finientes censuerunt, suisque litteris edixerunt Oppidum Terlitii esse *in* dioecesi, et *de* dioecesi Iuvenacensi, ideoque ad Episcopum spectare 1, ius visitandi iure ordinario. 2, visitandi etiam Archipresbyterum iure delegato. 3, procedendi in caussis matrimoniorum. 4, in criminalibus etiam non levibus 5, per seipsum ad Ordines sacros promovendi sine testimonialibus Archipresbyteri. 6, dimissorias concedendi promovendis ad eosdem Ordines. 7, conferendi beneficia curata, et Capellanias habentes adnexam curam animarum, et concedendi institutionem auctorizabilem. 8, destituendi, et excommunicandi, interdicendi, et mulctandi, et alios quoscumque actus ad Episcopum pertinentes exercendi. 9, ut Episcopus Vicarium suum eo in Oppido pro episcopalis iurisdictionis ministerio deputaret, citra limites iurisdictionis Archipresbytero addictae: Vicissim declararunt 1, Archipresbyterum immediate subiectum Sedi Apostolicae, ideoque exemptum ab Episcopi iurisdictione ordinaria dumtaxat, non delegata, et ob hanc praestare obedientiam debere in actu visitationis Episcopo eum ipsum visitaturo iure delegato. 2, ad Archipresbyterum pertinere ius instituendi, et conferendi beneficia ecclesiastica, et Canonicatus Ecclesiae Terlitiensis in mensibus, et vacationibus Sedi Apostolicae non reservatis: praeterquam adnexam habentia curam animarum. 3, iurisdictionem procedendi quum in caussis fori ecclesiastici civilibus, in primo gradu, quas in gradu appellationis Curia episcopalis esset iudicatura; tum in criminalibus dumtaxat levibus (in quibus videlicet ius poenam corpus affligentem non sanxerit) cum arbitrio imponendi, et applicandi mulctas ad formam Tridentinam. 4, immunitatem totius etiam Cleri, Ecclesiaeque a subsidio charitativo, et quarta canonica. 5, usum Pontificalium. 6, ius etiam benedicendi paramenta, vasa, et sacra omnia utensilia, in quibus sacra unctio non adhibetur. 7, interveniendi in Synodo quum dioecesis, tum provinciae. 8, denique nominandi, deputandi, ac benedicendi concionatores, quatenus ad alias nominatio non pertineret (2).

XLIX. Ad classem hanc pertinet Archipresbyteralis Ecclesia S. Petri ad Scafatum seu regalis valli, obnoxia feudali patronatui Ducis S. Petri de familia Maio clarissima. Haec porro habet decretum S. Congregationis Concilii editum in Nolana die 20. Iunii, et 11. Martii 1752.— Archipresbyteralem, et parochialem Ecclesiam S. Petri ad Scafatum, quae nullius dioecesis est, omnes retroactis temporibus visitarunt No-

(1) A Benedicto XIV. in *const. unigenitus 14. to. 3.* Bullarii.
(2) Ex relatis ab eodem Benedicto XIV *loc. cit. §. 3.*

lani Episcopi. Ægre tamen id ferre nunc coepit Thomas Antonius Cortone Archipresbyter, et Parochus illius Ecclesiae, quia, ut ait Episcopus, in visitatione anni 1748. correptus fuit, quod Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum ea, qua decet, observatione non retineret. Visitatores itaque ab Episcopo iustis ex caussis impedito delegatos repulit sequenti anno 1749, sacramque visitationem fieri prohibuit. Excommunicarunt illum visitatores, eique vetarunt, ne deinceps auderet mithra, baculo, cruce, throno, aliisque episcopalibus insignis uti, populo sive in Ecclesia, sive in oppido benedicere, Confessarios approbare, facultatem dare concionandi, publicare indulgentias, litteras dimissoriales dare ad Episcopos, aliaque agere, quae vel Episcopi dignitatem, vel iura eorum, qui territoria separata habent, solum respiciunt. Excommunicatione tamen, et inhibitione spreta, non solum sacra egit, sed visitatores serram reciprocando, uti reos turbatae, violataeque iurisdictionis excommunicavit. Certiores facit de his amplissimos Patres Nolanus Episcopus, et rogatus fuit Eminen. Neapolitanus Archiepiscopus, ut, audito Parocho, animi sui sententiam aperiret. Preces Archipresbyter, et Parochus obtulit, quibus petebat absolvi saltem cum reincidentia; rescriptumque fuit, ut expectarentur litterae Eminentissimi Archiepiscopi. Venerunt tamen plenae iuris doctrina, quibus Episcopi Nolani, et Archipresbyteri rationes diligentissime exposuit. Multa, et gravia sunt iura, quae Archipresbyter edidit, et Ecclesiam suam a quacumque Episcoporum, et praesertim Nolani iurisdictione liberam, et Sanctae Sedi Apostolicae immediate subiectam assereret. His respondet Episcopus luculento libello, quo urget iuris dispositionem, et reiciit iura, quae ab Archipresbytero proposita fuerunt Emin. Archiepiscopo. Caussa nunc proponitur ut capitibus collecta dubia sunt. I. *An Episcopus Nolanus sive per se, sive eo impedito, per convisitatores sit manutenendus in possessione visitandi Parochum, et Ecclesiam parochialem Terrae S. Petri ad Scafatum in casu etc., et quatenus affirmative.* II. *An sustineatur excommunicatio a Convisitatoribus Episcopi Nolani fulminata contra Parochum Thomam Antonium de Cortone, in casu etc., et quatenus affirmative.* III. *An dictus Parochus incurrerit irregularitatem in casu etc.* IV. *An Parochus dictae Terrae possit uti insigniis episcopalibus, populum per eamdem Ecclesiam, et Terram benedicere, ac thronum in dicta Ecclesia retinere in casu etc.* V. *An idem Parochus possit Confessarios approbare, licentias concionandi concedere, et indulgentias publicare, sive potius praedicta spectent ad Episcopum Nolanum, in casu etc.* VI. *An idem Parochus possit concedere litteras dimissoriales, sive potius ab Episcopo Nolano teneantur scholares dictae Terrae prima Tonsura initiari, et clericos tam ad minores, quam ad sacros Ordines promoveri in casu etc.* Die 30. mensis Iunii 1750., *Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilii Trid. Interpretum ad primum, secundum, et tertium respondit affirmative; in reliquis distulit resolutionem.* Dein caussa reproposita, totiesque dilata: tandem anno 1752., audito etiam Episcopo Litterensi, quatuor haec dubia fuerunt in S. Congregatione discussa. I. *An sit standum, vel recedendum*

a decisis quoad 1., 2., et 3. dubium in casu etc. II. *An Parochus S. Petri ad Scafatum possit uti insignibus episcopalibus, populum per eamdem Ecclesiam, et Terram benedicere, et thronum in dicta Ecclesia retinere in casu etc.* III. *An idem Parochus possit confessarios approbare, licentiam concionandi concedere, et indulgentias publicare, sive potius praedicta spectent ad Episcopum Nolanum in casu etc.* IV. *An idem Parochus possit concedere litteras dimissoriales, sive potius ab Episcopo Nolano tenentur scholares dictae Terrae prima clericali Tonsura initiari, et clericos tam ad minores, quam ad sacros Ordines promoveri in casu, etc.* Die 11. Martii 1752. *Eadem S. C. Congregatio ad primum stetit in decisis, et huiusmodi dubium amplius non proponi mandavit. Ad secundum respondit negative. Ad tertium, et quartum negative ad primam partem, et affirmative ad secundam* (1) (*).

(1) Haec omnia descripta inveniuntur in regestis auctographis decretorum S. Congr. Conc. lib. 100., et 102., eorumque sumptum authenticum egomet vidi.

(*) Decretum S. Congregationis Consistorialis sub die VIII. mens. Ianuar. an. 1833. editum, cui accessit regium *exequatur* die XV. Feb. eiusd. an. latum; quod enunciatam Abbatiam Nullius respicit.

Extabat intra limites Dioecesis Nolanae Abbatia Nullius sub titulo Sancti Petri a Scaphati de iure patronatus laicali familiae Majo, in cuius territorio Abbas, seu Archipresbyter jurisdictionem spiritualem gerebat.

Cum vero san. mem. Pius PP. VII. in literis Apostolicis anni 1818; quarum initium. *De utiliori* cunctas sustulisset, ac plane delesset spirituales jurisdictiones *Nullius Dioecesis,* in Regno Siciliarum citra Pharum existentes, quinque tantum exceptis, ibi specialiter nominatis; Episcopus Nolanus in Abbatia Sancti Petri canonice instituit Sacerdotem Andream Torrusium cum omnibus praeeminentiis, praeter in spiritualibus jurisdictionem, quam vigore praefatae Bullae Apostolicae sibi commissam declaravit.

Sed Patronus post adeptam a Torrusio possessionem, a Summo Pontifice conservationem, seu redintegrationem postulavit privilegiorum suae Abbatiae inhaerentium; et Abbas Torrusius, Episcopo institutore defuncto, praerogativas omnes quibus eius antecessores gavisi sunt, exercere ausus est.

At anno 1828. praeposito Ecclesiae Nolanae R. P. D. Ianuario Pasca, statim ipse institit preces san. mem. Leonem PP. XII., ut Abbati Torrusio cuiuscumque iurisdictionis exercitium inhiberetur.

Re delata ad Sacram Congregationem negotiis consistorialibus praepositam, remissa fuit instantia R. P. D. Nuntio Apostolico apud serenissimum utriusque Siciliae Regem qui, auditis interesse habentibus, plenas dedit utriusque Partis exceptiones, quibus san. mem. Pio PP. VIII., distincte expositis, Beatitudo sua iussit exquiri vota singulorum Eminentisssimorum, et Romanorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationis Consistorialis, et deinde ea sibi referri.

Partes propterea ab R. P. D. tunc secretario eiusdem Sacrae Congregationis sunt requisitae, ut respectivas traderent deductiones. Episcopus Nolanus, eas exhibendo, acriter sustinuit iurisdictionem Abbatis Sancti Petri a Scaphati esse extinctam per litteras Apostolicas *De utiliori;* tum quia Summus Pontifex iis verbis usus est, quae universas comprehendunt spirituales iurisdictiones nullius Dioecesis, tum quia Abbatia Sancti Petri, non legitur inter eas quinque, quas voluit esse conservatas: hanc autem extinctionem Abbas ipse Torrusius aperte fassus est, dum Abbatiae possessionem suscepit *cum omnibus praeeminen-*

L. Utrum isthaec Archipresbyteralis Ecclesia S. Petri, simul, et Monasterium S. Mariae regalis valli PP. Cisterciensium ab ea parum distans, a Carolo I. Andegavensi pro Gallis monachis fundatum anno

tiis, praeter in spiritualibus iurisdictionem, quae in litteris suae institutionis Nolano Episcopo commissa perspicue denunciabatur.

Abbati Torrusio plures concessae fuerunt induciae, ut suas deduceret animadversiones, sed nihil exhibuit.

Patronus vero supplicem dedit libellum, quo aiebat, extinctionem omnium iurisdictionum Nullius Dioecesis, in litteris Apostolicis proclamatam, non affecisse illam Sancti Petri, quae cum sit de iure patronatus familiari, debet haberi velut privata proprietas; ac propterea litterae institutionis ab Antistite Nolano collatae nullius sunt roboris, ut destruant iura patroni, absque cuius consensu illa imminui non poterant.

Rebus sic stantibus, bina haec fuerunt proposita dubia ab Eminentissimis Dominis dissolvenda.

I. An Abbas, seu Archipresbyter S. Petri a Scaphati, post pubblicationem litterarum Apostolicarum *De utiliori*, spiritualem iurisdictionem, quam antea gerebat, rite possit exercere? Et quatenus negative.

II. An saltem uti possit distinctionibus honoris, ae privilegiis, et insigniis, quibus sui Praedecessores gravisi sunt.

Ad primum dubium Reverendissimi Patres unanimiter responderunt negative, et consulendum Sanctissimo pro sanatione actorum iurisdictionis, in qua Abbas Torusius immiscuit.

Ad secundum pariter fuit negativa eorum seatentia, et ad mentem; et mens fuit, quod Abbati concedatur tantum usus distinctionum simplicis honoris; sublatis illis, quae quodlibet indicium extinctae iurisdictionis spiritualis exhibere valeant.

Die vero octava currentis mensis Ianuarii facta, per me infrascriptum eiusdem Sacrae Congregationis Secretarium, accurata relatione cunctorum supra expressorum Sanctissimo Domino Nostro Gregorio decimo sexto, Pontifici Maximo; Beatitudo Sua, quoad primum dubium: sententiam Eminentissimorum Patrum plene approbavit.

Quoad vero secundum dubium, licet sublata, ac extincta omni spirituali iurisdictione, in praefata Abbatia, congruum esset insignia ipsa deponi, ac deleri, quae occasione ipsius iurisdictionis praecipue conceduntur, eiusque maiestatem magis explicant; tamen Sanctitas Sua mature perpendens, huiusmodi insignia ipsi iurisdictioni non ita inhaerere, ut veluti necessaria eius iudicia haberi debeant, et sublata praedicta iurisdictione, insignia ipsa honorifica auferri oporteat; hinc ex gratia speciali mandavit moderno Abbati, seu Archipresbytero Sancti Petri a Scaphati servari eadem insignia honorifica, quibus antea utebatur, cum facultate celebrandi in Pontificalibus iuxta ritum ab Ecclesia probatum pro huiusmodi Abbatibus, in tribus solemnioribus anni eius Ecclesiae festivitatibus: dummodo in Dioecesi Nolana his diebus ab Episcopo pontificalia non celebrentur, et dummodo pontificalia ipsa ab Abbate praedicto, eo quo decet modo, ac ritu, celebrari valeant, facta Episcopo ipsi Nolano potestate de huiusmodi decentia cognoscendi, iudicandique. Mandavitque insuper, ut ex hac Apostolica indulgentia nullo umquam tempore argumenta, seu probationes peti possint ad asserendam iurisdictionem spiritualem ipsius Abbatis, seu Archipresbyteri, quam perpetuo deletam, ac extinctam declaravit.

Praeterea Beatitudo Sua praefato R. P. D Ianuario Pasca Episcopo Nolano, facultates necessarias, et opportunas benigne iniungere dignata est, ut ipse, quatenus opus sit, sanare, et convalidare queat omnia, et quaecumque ab

1272. (1), in dioecesi Nolana, an Sarnensi extent, non immerito dubitatum. Namque hoc ipsum Monasterium in Sarnensi dioecesi situm aiunt regiae litterae fundationis a Chioccarello exscriptae. Fortassis, quia fines dioecesis Sarnensis multo amplius, quam nunc sunt, olim paterent. Bulla etenim, quam ad Clerum, ordinem, et plebem Sarnensis Ecclesiae dedit Alfanus Archiepiscopus Salernitanus anno aerae vulgaris 1096. (2), ostendit ex eiusdem Archiepiscopi sententia ad Sarnensem dioecesim pertinuisse Ecclesiam S. Marciani cum suis pertinentiis, S. Valentini, S. Angeli in pede Montis Lucullani, totam pertinentiam dicti Montis, et de Tabellara, Palmam, Istricanum, Octaianum cum pertinentiis suis e monte Vesuvio usque ad mare. At contra ea in libro taxarum omnium Ecclesiarum, et Monasteriorum, et altero earumdem taxarum codice antiquissimo, quos ambo Romae custodit generalis annatarum, et quindenniorum Camerae, et Cancellariae apostolicae Receptor, inquisitor, et subcollector, describitur Monasterium S. M. de Regal Valle Ordinis Cisterciensis taxatum in florenis 200. sub dioecesi Nolana; additque Ioannes Philippus de Turre subcollector generalis nullam in eisdem libro, et codice adnotationem neque indicium inveniri, quae translatum sub alia dioecesi ferat eiusmodi Monasterium. Exinde Caietanus Mariconda Archipresbyter S. Petri ad Scafatum litteris ad S. Congregationem Concilii datis die 25. Maii 1711. conquestus est, quod Vicarius generalis Sarnensis eodem mense Maio edictum ad valvas Abbatialis Ecclesiae S. M. Regalis Vallis PP. Cisterciensium adfixisset, multa imperans contra mores, et consuetudinem Sarnensium, qui praecesserant, Episcoporum. Ex monimentis praeterea episcopalis Curiae Nolanae, ut sileam cetera, liquet priscos istius Ecclesiae Archipresbyteros a praeteritis S. Petri Ducibus praesentatos consuevisse canonicam ab Episcopis Nolanis institutionem postulare, atque obtinere: quam recentiores ab Apostolica Sede maluerunt accipere. Hac ipsa de re iam nuper excita quaestio est, dum huiusce Monasterii Abbatiam ex fundationis lege regularem, quae in commendam perpetuam dari saecularibus clericis a Romana Sede ad nostram usque aetatem iamdiu consueverat, ad Regium patronatum cum iure praesentandi vindicavit Potestas Regia ex Curiae Capellani Maioris, et Regalis Camerae sententiis.

LI. Hanc vero limitatam formam Praelatorum inferiorum cum iurisdictione ordinaria in exemptos *intra* dioeceses episcopales non unam veluti galeatam, omnibusve communem, qualem voluere Petres Tri-

Abbate Torrusio peracta, exercitio suae praetensae iurisdictionis perdurante.

Super quibus omnibus, et singulis mandavit hoc edi Decretum, et in actis eiusdem Sacrae Congregationis Consistorialis adservari.

Datum Romae hac die VIII. mensis Ianuarii anno domini MDCCCXXXIII. Aloysius Frezza Archiep. Chalcedon. S. Congregationis. Cons. Secretarius. Locus sigilli.

(1) Ex traditis a Summonte *lib. 3. della Storia di Napoli to. 2. pag. 319. edit. an. 1675.*, et B. Chioccarello *in arch. reg. iurisdict. to. 6.*

(2) Alfani Bulla data legitur anno IX. praesulatus ipsius, et XXV. Principatus Gisulfi IV. Principis Salernitani e sanguine Langobardorum postremi, indictione IV., qui incidit in annum aerae vulgaris 1096.

dentini: sed variam esse, ac multiplicem iam nostis (1) ex variantibus Apostolicae Sedis privilegiis post reformationem Tridentinam indultis. In rebus idcirco dubiis oportet adamussim observare tenorem cuiusque privilegii, quod Tridentina lege sit recentius, privilegia vero antiquiora ad formam communem Tridentinam redigere atque interpretari (2). Quandoquidem certo certius est ex communi traditione Patrum, Tertulliano duce (3), quod *lege fidei manente, cetera iam disciplinae, et conversationis admittunt novitatem correctionis.*

LII. Sunt propterea non portentosa corpora dioecesum episcopalium, quas humanum ius distribuit, pluribus velut capitibus instructa, ubi una cum Episcopo dioecesano alii simul praesideant Praesules exemptorum. Tametsi enim prohibuit sanissime generale Concilium Lateranense IV., *ne una, eademque civitas, sive dioecesis diversos Pontifices habeat, tanquam unum corpus diversa habens capita quasi monstrum* (4): non tamen absurdum Patribus visum est usquam speciale regimen aliquorum unius corporis membrorum, sic aliis Praelatis Episcopo inferioribus mandare, ac dimittere, ut nativa, et generalis iurisdictio Episcopi etiam vigeret in nonnullis eorundem membrorum actibus, et officiis (5) ad sustinendam totius compaginem.

LIII. Obvenientem ex honorariis titulis personalem exemptionem magis abolevit Synodus Tridentina: *quoniam privilegia*, inquit (6), *et exemptiones, quae variis titulis plerisque conceduntur hodie perturbationem in Episcoporum iurisdictione excitare, et exemptis occasionem laxioris vitae praebere dignoscuntur: decernit sancta synodus, ut si quando . . . aliquos honorariis titulis* Protonotariatus, Acolythatus, Comitis Palatini, Capellani Regii, *aut aliis huiusmodi in Romana curia, vel extra* insignibus *decorandos esse placuerit, necnon alios cuicumque* monasterio oblatos, *vel quomodocumque addictos, aut sub nomine* servientium militis, *seu* monasteriis, hospitalibus, collegiis, *aut quocumque alio titulo assumi: nihil ex iis privilegiis detractum esse Ordinariis intelligatur, quominus ii... ipsis Ordinariis tamquam Apostolicae Sedis delegatis plene in omnibus* (*et quoad* Capellanos regios *iuxta constitutionem Innocentii III., quae incipit* cum Capella) *subiecti existant: exceptis tamen iis, qui praedictis locis, aut militiis* actu serviunt, *et* intra *eorum septa, ac domos* resident, *subque eorum*

(1) Ex paullo ante dictis *hoc tit. num. V.*, exemplisque inibi adiectis *num. VIII., et seq.*

(2) Hinc quia Tridentini Patres in *cap. in exemptorum 14 sess. 7. de ref.* renovárunt Concilii Lugdunensis decretum sub Inn. IV. in *cap. 1. de priv. in VI.*, pro episcopali iudicio in exemptorum causis ex loco contractus, rei sitae, ac delicti agendis. Fagnanus in *cap. tuarum de privileg. num. 14., et seq.* recte monet, standum esse regulae Patrum Lugdunensium, et Tridentinorum, quoties privilegio specialis exemptionis Papa eos non subtraxerit in exceptis etiam casibus ab Episcoporum potestate.

(3) Tertull. *lib. de veland. virgin. cap. 1.*

(4) Innoc. III. in generali Conc. *cap. quoniam 14. de offic. Ordinarii.*

(5) Idem in *cap. auditis 15., et cap. cum olim 18. de praescript.*

(6) Trid. in *cap. quoniam 11. sess. 24. de reform.*

obedientia *vivunt: sive iis, qui legitime secundum regulam earumdem militiarum* professionem *fecerint, de qua Ordinario constare debeat: non obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam religionis S. Ioannis Hierosolymitani, et aliarum militiarum. Quae vero privilegia* residentibus in curia Romana *vigore Eugenianae constitutionis, aut* familiaritatis *Cardinalium competere solent, ea in iis, qui beneficia ecclesiastica obtinent*, ratione *praedictorum* beneficiorum *minime intelligantur: sed Ordinarii iurisdictioni subiecti permaneant, non obstantibus quibuscumque inhibitionibus.*

LIV. Hocce decretum personis, quas memorat, exemptionem in *criminalibus* tantum caussis ademit, secus in civilibus, ex communi Doctorum sententia (1). Id quod arguens Fagnanus (2) ex initialibus eiusdem decreti verbis, quae ad laxiorem exemptorum istiusmodi vitam coercendam solummodo spectant tradit S. Congregationem Concilii censuisse, Protonotarios non participantes, qui supra duodenarium Romani Collegii participantium numerum creantur, in caussis civilibus valorem 25: ducatorum auri de Camera excedentibus non posse coram Ordinariis locorum in ius vocari ex generali eorum privilegio (3). Verum istiusmodi privilegium consuevit speciatim abrogare ipsamet Sedes Apostolica, suis hanc clausulam litteris, dum singulos creat Protonotarios, adiiciens, *citra exemptiones a S. Concilio Tridentino sublatas, ita ut nedum quoad criminalia, sed etiam civilia subiaceant Ordinariis* (4). Praeterquam quod in hoc regno, pontificiis Protonotariorum privilegiis mos invaluit regium placitum indulgendi, *quod ad honores tantum.* Itaque nullam omnino exemptionem habent nostrates Protonotarii non participantes.

LV. At duodecim partecipantes Collegii Protonotariorum plena procul dubio exemptione fruuntur ab Ordinariis locorum aeque in civilibus,

(1) Barbosa *lib. 1. iur. eccles. cap. 23. num. 34.*, Faber *de Protonotariis cap. 11. num. 13.*, Gallemart. in *declarat. ad idem cap. 11. sess. 24. num. 1.* Fagnan. in *cap. ex parte de privileg. num. 8., et seq.* Benedict. XIV. *lib. 3. de Syn. dioec. cap. 8. num. 3.*, reiecta opinione Erasmi Cochier *par. 1. de iurisd. in exempt. qu.* 18. *num. 8.* putantis omnimodam sine aliqua limitatione sublatam exemptionem Protonotariis, ceterisque denominatis esse.

(2) Fagnan. *loc. cit. num. 8. ad 11.*, ubi refert decretum S. Congr. in Papiensi die 14. Decemb. 1630.

(3) Quod Protonotariis Apostolicis concessit Concilium Lateranense X. *ses. 10.* et Leo X. *const. regimini universalis Ecclesiae 11. §. 4. tom. 3.* Bullarii.

(4) Hanc clausulam imperavit Urbanus VIII. ann. 1683. de voto S. Congreg. Concilii, eamque de stylo adhuc vigere tradit Benedictus XIV. *loc. cit. num. 5.*, qui eamdem adposuit in privilegio Protonotariatus indulto Dignitatibus, et Canonicis Cathedralis Ecclesiae Patavinae, seu in *const. simul ac nobis 91. to. 1.* Bullarii sui. Praeterea S. Congregatio Concilii die 16. Maii 1682. istos non participantes Protonotarios fore non adnumerandos censuit inter illos Apostolicae Sedis officiales exemptos, de quibus loquitur Ioannes XXII. in *cap. cum Matthaeus 3. de hereticis*, et *cap. divina 3. de privilegiis in extravag. com.* ideoque subesse Ordinariorum iudicio etiam quod ad censuras, et caussas de Dignitatibus, beneficiisque non curatis, apud Benedict. XIV. *loc. cit. num. 8.*, qui refellit Eimericum, et Hieronymum Gonzalez aliter opinatos.

ac criminalibus caussis: exceptis dumtaxat iis, quae ad beneficia extra urbem in episcopalibus dioecesibus obtenta pertinent (1). Hos originem habuisse a priscis Romanae Ecclesiae Notariis acta sanctorum Martyrum conscribentibus consentiunt eruditi: quamvis negent ipsos a B. Clemente I. deputatos, memoratosque in apocryphis B. Sylvestri actis; dein suam navasse operam negotiis gravioribus ab Apostolica Sede mandatis, aevo praesertim SS. Leonis M., et Gregorii M. (2): unde amplificata nimium eorum dignitas est.

LVI. Quod autem ad Capellanos, clericosque regios nullam vim habet sanctio Tridentina, tum ex antiquis Regni moribus (3), tum ex novissima Benedicti XIV. constitutione super iurisdictione, et facultatibus Capellani Maioris. Quandoquidem Capellanus Maior *omnes, et singulas controversias*, aut constitutio, *lites, et caussas tam civiles, quam criminales seu mixtas, atque etiam* beneficiales, *exceptis tamen caussis haeresis, tum omnes caussas excipimus a sacris canonibus, et apostolicis constitutionibus Summo Pontifici privative reservatas, contra dictos Capellanos, clericos, et scholares . . . . . pro iustitia terminare possit.* Quum Innocentius III. in ea decretali constitutione (4), quam Tridentini Patres innovarunt, rescripsisset, ut Lingonensis Episcopus apostolico privilegio exemptionis Capellanorum Ducis Burgundiae obsecuturus *eiusdem ratione Capellae*, suum in eos officium libere obiret *ratione parochialium Ecclesiarum*, quas ii ab ipso Episcopo acceperant, aliarumve *iurisdictionem* episcopalem spectantium rerum: discrimen eiusmodi Benedictus XIV. iam recitatis verbis delevit.

LVII. Oblati monasteriis, et servientes militaribus ordinibus, collegiisque religiosis pro pacto gaudeant privilegio exemptionis regularium, et delegatae Ordinariorum iurisdictioni pareant, iam superius explicui (5), et ipsa Tridentini decreti verba paullo ante relata satis perspicue indi-

(1) Faber de Protonotariis *cap. 11.*, et Benedictus XIV. *cit. lib. 3. de Syn. dioec. cap. 8. num. 3.*

(2) Synodus Romana sub S. Leone M. ad sedandas turbas Constantinopoli ab haereticis excitatas duos illuc ablegavit Notarios Romanae Ecclesiae, ex ipsius S. Leonis *ep. 46.*, alias 23. In Sardiniam S. Gregorius M. Notarium suae Sedis Apostolicae misit, ut Calaritanum Episcopum adigeret ad sese contra graves accusationes defendendum ex S. Greg. *ep.* 49., alias 34. *lib.* 2. alias ab eodem Pontifice in longinquas provincias ablegatos Notarios Apostolicos canonicam inibi disciplinam restauraturos, fert Ioannes Diaconus in vita S. Greg. M. *lib. 2. cap. 53.* Innocentius III. *ep. 53. lib. 15.* ea magistro Maximo, Notario suo peragenda Constantinopoli mandavit, quae obire, nonnisi rerum peritissimi, eximiaeque auctoritatis viri consueverunt. Inde ipsorum dignitas nedum decorata Protonotariorum vocabulo honoratiori: sed ut Episcopos etiam in publicis conventibus antecelleret, maluit Pius II. *const. 4.* Eorumque collegium septem olim capitibus constans ad duodecim usque adauxit Xystus V. *const. 19.* Plura videsis apud Bened. XIV. *loc. cit.*

(3) De quibus dictum est *lib. 1. tit. XXII. de Capell. Maior. num. XII. et seqq., et hoc tit. num. XIII.*

(4) Innoc. III. ad Episc. Lingonens. in *cap. cum Capella Ducis Burgundiae 16. de privilegiis.*

(5) *Tit. V. huius libri num. XXIV., et XXV.*

*

cant. Saeculares idcirco presbyteros religioni Hierosolymitanae, aliisque id genus militiis, earumque Ecclesiis extra curam animarum actu famulantes, quum regularem vitam non agant, subesse Ordinariis locorum, tamquam Sedis Apostolicae delegatis, palam est (1). Officiales vero patentibus litteris eiusdem, aut alterius cuiuslibet Religionis designatos nulla penitus exemptione ab Episcopis dioecesanis gaudere censuit S. Congregatio (2).

LVIII. Curialibus Romanis, Officialibus Papae, ac familiaribus Cardinalium commune privilegium exemptionis ab Eugenio IV. (3) indultum servare integrum, praeterquam in caussis beneficiorum, expresse maluit Synodus Tridentina. Hinc Gregorius XIV., et Paullus V. facultatem apostolico tribunali A. C. mandarunt inhibendi Ordinariis locorum iudicia, quae ipsi attentarent in urbis Curiales (4). Hoc autem privilegio Cardinalium familiares, nisi duo simul necessaria requisita *mentis*, et *dentis* habeant, non fruuntur (5): puta mutuam domini, et famuli voluntatem serviendi una cum reali stipendio, aut usu mensae dominicae. Quanam exemptione gaudeant Officiales Nuntiaturae Apostolicae, expositum alias iam est (6). Ceteros Apostolicae Sedis honorarios Officiales, nimirum delegatos iudices, vulgo *patentatos* contra simoniacos, mores nostri non admittunt: quum consueverit iamdudum Potestas regia placitum denegare suum patentibus Curiae Romanae litteris, quae facultatem inquirendi, et procedendi contra simoniae reos cum exemptionis privilegio tribuebant, eas existimans fraudem, iniuriamque facere iurisdictioni episcopali.

LIX. Itaque *nemo saecularis clericus cuiusvis personalis... privilegii praetextu tutus censeatur, quominus si deliquerit, ab Ordinario loci, tamquam super hoc a Sede Apostolica delegato secundum ca-*

(1) Ex *cit. Trid. cap. quoniam 11. sess. 24. de reform.* quod firmavit Gregorius XIII. *const. 125.*, et rebus in Curia Romana saepe iudicatis, praesertim a S. Congr. Conc. in Materanen. iurisd. 8. Febr. 1659., et Caputaquen. iurisd. 19. Novemb. 1739. Rota *dec. 120. num. 16. par. 28. rec.* apud Benedict. XIV. *lib. de Syn. dioec. cap. 7. num. 6.*

(2) S. Congr. Conc. die 7. Septem. 1726., ubi speciatim id rescripsit de Officialibus vulgo *patentatis* a Vicariis Commendarum S. Mauritii, et Lazari apud Bened. XIV. *loc. cit. num. 8.*

(3) Eugen. IV. in *cap. divina 3. de privilegiis in Extravag. com.* inhibuit locorum Ordinariis, *ne contra Officiales* Sedis Apostolicae *quocumque nomine nuncupentur, . . . nec non quoscumque alios pro suis, et eorum caussis, vel negotiis prosequendis ad Sedem praedictam venientes, ac in ea (durante negotiorum, et caussarum huiusmodi prosecutione) moram trahentes, et recedentes ab eadem, procedere, aut in eos excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, aut privationis officiorum, aut beneficiorum, seu quamvis aliam sententiam promulgare praesumant.*

(4) Greg. XIV. *const. ad generis §. 18.*, Paull. V. *const. eximiae 28.*, *et const. universi agri 71.* apud Ridolphin in *praxi iudiciaria par. 3. cap. 4. num. 160.*

(5) Ex dec. Rotae coram Penia in Salamantina beneficiorum 9. Iunii 1599., penes Ridolphin. *loc. cit. num. 162.*

(6) *Lib. 1. tit. XXII. de Legatis, et Nuntiis num. XXVIII.*

nonicas sanctiones visitari, puniri, et corrigi valeat, ex Tridentinorum quoque Patrum sententia (1). Iudicesque ad conservanda exemptorum privilegia deputati prohibentur Episcopi dioecesani iurisdictionem tam in *criminalibus*, et *mixtis* eorumdem caussis, quam civilibus dumtaxat mercedum, personarumque miserabilium, impedire (2).

LX. Pius IV. praeterea declaravit generatim, ac statuit an. 1565., *omnia, et singula privilegia, exemptiones, immunitates* quibuslibet Ecclesiis, locis, et personis quum saecularibus, tum regularibus quomodocumque largita, quod ad eas res cunctas, et singulas, quae reformationis Tridentinae decretis adversentur: ipso iure abrogata iam fuisse, atque ad constitutos ab ipso Concilio limites reducta in utroque foro interno, et externo (3).

LXI. Ex antedictis haec pro coronide liceat axiomata colligere. 1, privilegia exemptionum Tridentinis comitiis antiquiora usum non alium habeant, nisi ab oecumenica Synodo limitatum. 2, nova, et postera legi Tridentinae derogantia tantam vim habent contra Episcoporum ordinariam, delegatamque potestatem, quantam speciatim expressa eorumdem littera tribuit. 3, at ubi recentioris privilegii verba quantumlibet ampla, et generalia nil aperte contra reformationes Tridentinas indulgeant; ad istarum amussim sunt interpretanda. Perspecto huc usque statu ecclesiasticae iurisdictionis in foro externo tam dioecesano, quam exemptorum regularium, et saecularium sub transactis rubricis, quae huiusce libelli partem priorem continent: alteram, quae sequitur de ordine iudiciorum civilium, nunc perscrutari commodum est.

(1) Trid. in *cap. Ecclesiarum 3. sess. 6. de reform.*

(2) Idem in *cap. insuper 5. sess. 14. de reform. Universitates autem generales* (ibidem in fine, ait Concilium Trid.), *ac Collegia Doctorum, seu scholarium, et regularia loca, nec non hospitalia actu hospitalitatem servantia, ac Universitatum, Collegiorum, locorum, et hospitalium huiusmodi personae in praesenti canone minime comprehensae, sed exemptae omnino sint, et esse intelligantur.*

(3) Pius VI. in *const. in Principis Apostolorum Sede*, data 13. kal. Martii 1565., quam habet appendix ad Conc. Trid. in fine, haec ait: *Cum itaque in eodem Concilio salubria, et ad universalem morum reformationem valde utilia decreta . . . sint edita, quibus multa, atque diversa privilegia . . . variis tam Cathedralibus etiam metropolitanis, quam collegiatis Ecclesiis, monasteriis, conventibus, et aliis religiosis etiam Fratrum mendicantium domibus, et ordinibus, nec non S. Spiritus in Saxia, S. Io. Lateranens., ac incurabilium de urbe, S. Ant. Viennens., et S. Bernardi Iurens. aliisque hospitalibus, militiis, eorumque capitulis, et conventibus, ac universitatibus etiam studiorum generalium, collegiis tam saecularibus, quam ecclesiasticis, confraternitatibus, societatibus, et tam Principis Apostolorum de urbe, quam aliis fabricis, S. Cruciatae, aliisque piis locis, et operibus; nec non Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Praelatis, Abbatibus, Abbatissis, Prioribus, Praepositis, et aliis ecclesiasticis tam saecularibus, quam diversorum ordinum, et militiarum regularibus . . . concessa in plerisque contrariantur . . . . quod eadem omnia, et singula privilegia, et* exemptiones, *immunitates, facultates, dispensationes, conservatoriae, indulta, confessionalia, mare magnum, et aliae gratiae in his omnibus, et singulis, in quibus illa statutis, et decretis Concilii huiusmodi contrariantur; ipso iure* revocata, *cassata, et annullata, ac id ipsius Concilii terminos, atque limites reducta sint, et esse censeantur.*

ADDITIONES

DE REGULIS IURIS CANONICI

Quae extant in V. et VI. Lib. Decretalium
In V. Lib.

CAP. I. Omnis res per quascumque caussas nascitur, per easdem dissolvitur.

II. Facta, quae dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.

III. Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.

IV. Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.

V. Quod latenter, aut per vim, vel alias illicite introductum est, nulla debet stabilitate subsistere.

VI. In ipso caussae initio non est a quaestionibus inchoandum.

VII. Quidquid in sacratis Deo rebus, et Episcopis injuste agitur pro sacrilegio reputatur, quia sacra sunt, et a quoquam violari non debent.

VIII. Qui faciat praeceptum aliter, quam debeat, facere non dicitur.

IX. Defleat peccator, quia offendens in uno factus est omnium reus.

X. Non potest esse Pastoris excusatio, si lupus oves comedit, et Pastor nescit.

XI. Indignum est, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur.

Regulae Iuris, quas exhibet
Lib. VI. Decretalium

REG. I. Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri.

II. Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit.

III. Sine possessione praescriptio non procedit.

IV. Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.

V. Peccati venia non datur, nisi correcto.

VI. Nemo potest ad impossibile obligari.

VII. Privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona.

VIII. Semel malus, semper praesumitur esse malus.

IX. Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.

X. Ratihabitionem retrotrahi, et mandato non est dubium comparari.

XI. Cum sint partium iura obscura, reo favendum est potius, quam actori.

XII. In iudiciis non est acceptio personarum habenda.

XIII. Ignorantia facti, non iuris excusat.

XIV. Cum quis in ius succedit alterius, iustam ignorantiae caussam censetur habere.

XV. Odia restringi, et favores convenit ampliari.

XVI. Decet concessum a Principe beneficium esse mansurum.

XVII. Indultum a iure beneficium non est alicui auferendum.

XVIII. Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.

XIX. Non est sine culpa qui rei, quae ad eum non pertinet, se immiscet.

XX. Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.

XXI. Quod semel placuit, amplius displicere non potest.

XXII. Non debet aliquis alterius odio praegravari.

XXIII. Sine culpa, nisi subsit caussa, non est aliquis puniendus.

XXIV. Quod quis mandato facit Iudicis, dolo facere non videtur: cum habeat parere necesse.

XXV. Mora sua cuilibet est nociva.

XXVI. Ea, quae fiunt a Iudice, si ad eius non spectant officium, viribus non subsistunt.

XXVII. Scienti, et consentienti non fit iniuria, neque dolus.

XXVIII. Quae a iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.

XXIX. Quod omnes tangit, debet ab omnibus adprobari.

XXX. In obscuris minimum est sequendum.

XXXI. Eum qui certus est, certiorari ulterius non oportet.

XXXII. Non licet actori, quod reo licitum non existit.

XXXIII. Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.

XXXIV. Generi per speciem derogatur.

XXXV. Plus semper in se continet, quod est minus.

XXXVI. Pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere.

XXXVII. Utile non debet per inutile vitiari.

XXXVIII. Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare.

XXXIX. Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quae sequuntur ex illo.

XL. Pluralis locutio quorum numero est contenta.

XLI. Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.

XLII. Accessorium naturam sequi congruit principalis.

XLIII. Qui tacet, consentire videtur.

XLIV. Is, qui tacet, non fatetur: sed nec utique negare videtur.

XLV. Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.

XLVI. Is, qui in ius succedit alterius, eo iure, quo ille uti debebit.

XLVII. Praesumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.

XLVIII. Locupletari non debet aliquis, cum alterius iniuria, vel iactura.

XLIX. In poenis benignior est interpretatio facienda.

L. Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.

LI. Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos alterius transferendum.

LII. Non praestat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum.

LIII. Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus.

LIV. Qui prior est tempore, potior est iure.

LV. Qui sentit onus, sentire debet commoda, et e contra.

LVI. In re communi potior est conditio prohibentis.

LVII. Contra eum, qui legem dicere potuit apertius est interpretatio facienda.

LVIII. Non est obligatorium contra bonos mores praestitum iuramentum.

LIX. Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eumdem.

LX. Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri.

LXI. Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.

LXII. Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.

LXIII. Exceptionem obiicieus, non videtur de intentione adversarii confiteri.

LXIV. Quae contra ius fiunt, debent utique pro infectis haberi.

LXV. In pari delicto, vel caussa, potior est conditio possidentis.

LXVI. Cum non stat per eum ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset.

LXVII. Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.

LXVIII. Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.

LXIX. In malis promissis fidem non expedit observari.

LXX. In alternativis electoris est electio, et sufficit alterum adimpleri.

LXXI. Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multo magis admittendus.

LXXII. Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum.

LXXIII. Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari.

LXXIV. Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.

LXXV. Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se praestitam servare recusat.

LXXVI. Delictum personae, non debet in detrimentum Ecclesiae redundare.

LXXVII. Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore.

LXXVIII. In argumentum trahi nequeunt, quae propter necessitatem aliquando sunt concessa.

LXXIX. Nemo potest plus iuris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.

LXXX. In toto partem non est dubium contineri.

LXXXI. In generali concessione non veniunt ea, quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus.

LXXXII. Qui contra iura mercatur bonam fidem praesumitur non habere.

LXXXIII. Bona fides non patitur, ut semel exactum iterum exigatur.

LXXXIV. Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.

LXXXV. Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur.

LXXXVI. Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.

LXXXVII. Infamibus portae non pateant dignitatum.

LXXXVIII. Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectent, contra legis nititur voluntatem.

TIT. XIV.

De Ordine iudiciorum civilium in utroque foro vigente.

I. Praecipuum utriusque Iurisprudentiae fructum non percipit nesciens ordinem iudiciorum.

II. Hic autem humanae societati utilior est, quam sola iusti, atque iniusti scientia.

III. Nescire ordinem iudiciorum turpe nimis est cuilibet Iurisconsulto.

IV. Iudicum sententiae, qui spreto iuris ordine ius reddant, nullam vim habent.

V. Moyses ante legem recta iudicia in populo Dei protulit, naturali ratione ductus: quemadmodum, et gentium viri boni, et aequi.

VI. Tum iubente Domino ritus iudiciorum statuit, praeceptis coerimonialibus, et iudiciariis veteris Legis imperatos.

VII. Eos deinde Romanorum legibus antiquis plus aequo extensos Constantinus M., aliique Principes ad aequitatem canonicam, quam prisci sectabantur Episcopi, redigere satius duxerunt.

VIII. Hinc formam iudiciorum ecclesiasticam adrogarunt sibi laici etiam magistratus.

IX. Quae in utroque nunc foro vigent precipuae formae iudiciorum, sunt quinque, ordinaria scilicet, summaria, summarissima, executiva, et praeceptiva.

I. Expectanti cuique, et animo cupide appetenti fructum ex percepta Iurisprudentia nobilem capere, peropus est maxime, studiosi adolescentes, *ordinem iudiciorum* bene nosse, quo vel patroni caussarum actiones hinc edere, hinc exceptiones obiicere, utrasque probatas facere, adversosque labores in irritum mittere vicissim connituntur, longo plerumque certamine, vel iudices rite, ac saepius interloquuntur, ut controversiae ad liquidum perductae finem secundum leges tandem imponant. Quid enim vero proficit sola iuris scientia, nisi periti adsint, solertesque postulatores, advocati, iudices, qui ius cuique suum tribuendi, factis, unde ius oritur, eliquatis, ingenuam artem calluerint? Quot, quantique sine peritia ista foro abirent cives qua iure, qua iniuria damnati? Quot etiam ingenuos peracerba praepotentium dominatio pessundaret? Quantos inconstantia, temeritas, perfidia iudicum obrue-

ret? Quantos denique defensorum imprudentia sine remedio reapse perdidit?

II. Cum bello probe comparantur iudicia. Militant enim caussarum patroni, ducunt aciem, imperantque iudices. Itaque si patriae saluti virtus ducum, et militum, quae vim hostium avertit, frangit, opprimit, quam scientia eius, qui iustum suadet, indicitque bellum, aut ab iniusto temperat populos utilior est: dubitari profecto non potest satius esse peritiam iuris, et postulandi, et reddendi; quam puram, putam iusti, atque iniusti notitam habere. Cuipiam porro caussae unum est certamen extremum, in quo praepollet iuris scientia; leves interea pugnae pius sexaginta, in quibus ordinis doctrina antecedit: adeo ut ignarus ordinis, quanquam iureconsultissimus in iudicii cursu temere contendent sexagies, vel toties inconsulto interloquetur, quum vix semel in ultima litis expeditione valeat ipse suam iuris scientiam exercere. Itaque *civis cum cive agat*, inquam cum Tullio, *domi certet legibus suis* (1). *Ipse etiam leges cupiunt, ut iure regantur.*

III. Sunt qui artem hanc Iureconsulto indignam putant, et scribis velut rem humilem relinquere malunt. Proh nefas! Decorum ne iurisperito erit vel patrocinium aliis ferenti, vel pro tribunale sedenti formulas postulationum, decretorumque ex amanuensibus sciscitari? An officium iudicis, vel advocati est parere nutibus, consilioque scribarum? Alii sperant solo usu peritiam hanc ipso in foro adepturos. Duo tamen incommoda isti haudquaquam effugient. Primum, quod non per caussam iis rem scire licebit, sed superficie tenus, leviterque tangent, qui neglectis legibus, et canonibus iudicialem ordinem praescribentibus ad forum illotis, ut ita dixerim, manibus processerint, et sacras Astreae basilicas non initiati ingredientur. Alterum, quod in obscuro diu ambulabunt, nescientes quorsum evadent. *Veram* idcirco *Philosophiam iudicare*, *promere*, *et exercere iustitiam*, esse Plinius monuit scitissime (2).

IV. Transilire ordinariam in iudiciis viam prohibiti sunt generatim, et sacri, et profani iudices, adeo ut sua abuti iurisdictione putentur, qui aliter, quam via ordinaria processerint. Id quod iam rescripsit Carolus Rex noster die 29. Decembris 1746., et regiis encyclicis litteris ab suo Delegato Regalis Iurisdictionis ad singulos huius regni Praelatos ecclesiasticos datis die 31. eiusdem mensis, promulgavit. *Ius* enim *sine indicio reddendum non esse*, censuit S. Gregorius M. (3). Et *prolatam a iudice sententiam contra solitum iudiciorum ordinem, auctoritatem rei iudicatae non obtinere*, iam rescripsit Alexander Imperator (4).

V. Originem, progressumque iudiciarii ordinis delibare abs re non erit. Ante legem a D. O. M. in Sinai datam ecquis certo inquirat ra-

(1) Tullius *orat. 3. in Verrem.*
(2) Plinius *lib. 1. cap. 10.*
(3) S. Greg. in *can. sicut 3. C. 2. qu 1.*
(4) Alex. Imp. in *l. prolatam 4. C. de sent., et interloc. omn. iud.* apud Gratianum in *can. ei, qui appellat C. 2. qu. 6.*

tiones, et formulas iudiciorum, quas apud Hebraeos adhibuit Moyses post susceptum illius populi regimen anno 1513. a creatione mundi? Constat vero Moysem in deserto naturali ratione, et aequitate ductum iura Populo dixisse in disceptationibus frequentissimis. Nam sacra Biblia plane Moysem ipsum ferunt socero suo Iethroni respondisse: *Venit ad me populus quaerens sententiam Dei. Cumque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me, ut iudicem inter eos, et ostendam praecepta Dei, et leges eius* (1). Heic loci *quaeri potest* cum S. Augustino (2): *quomodo ista Moyses dixerit, cum lex Dei, adhuc nulla conscripta esset, nisi quia lex Dei sempiterna est, quam consulunt omnes piae mentes, ut quod in ea invenerint, vel faciant, vel iubeant, vel vetent, secundum quod illa incommutabili veritate perceperint? Numquid enim Moyses, quamvis cum illo Deus loqueretur, per singula credendum est, quod consulere soleret Deum, si quid esset in disceptationibus tantae multitudinis, quae illum in hoc iudicandi negotio a mane usque ad vesperam detinebat? Et tamen, nisi suae menti praesidentem Dominum consuleret, legemque eius aeternam sapienter attenderet, quid iustissimum iudicare inter disceptantes posset, non inveniret.* Hactenus Augustinus. Idipsum inter ceteros Philosophos scitissime asseruit Cicero (3): *A pueris didicimus* (ait) si in ius vocet, atque eat, *eiusmodi alias leges nominare. Sed vere intelligi sic oportet, et haec, et alia iusta, ac vetita populorum vim habere ad recte facta vocandi, et a peccatis avocandi: quae vis non modo senior est, quam aetas populorum civitatum, sed aequalis illius Coelum, atque terras tuentis, et regentis Dei.* Inde intelligere est, cur in sacris Scripturis *iudicium Dei* appellatur sententia hominum recte iudicantium sine lege scripta solo Dei lumine, quod super nos signatum esse, docet Rex, et Propheta David (4). Maimonides itidem tradit ab antiquioribus ante Moysem Patriarchis lata iudicia huius ope luminis divini, seu naturalis, inquiens (5): *Dicunt sapientes de Prophetis, qui antecesserunt illum: Domus iudicii, seu Praefectura iuridica Eberi, domus iudicii Methusale, schola Methusale, licet omnes piae memoriae Prophetae essent: docebant homines ad morem concionatorum, Doctorum, et Praeceptorum. Nec tamen dixerunt*, Dominus Deus dixit ad me, loquere ad N. *Atque ita se habuit ante Moysem.*

VI. Post legem Decalogi in duabus tabulis digito Dei scriptam in monte Sinai, et praecepta quum caerimonialia, tum iudicialia, quae Moyses Hebraeis promulgavit, tulitque, institutos iudiciorum ritus ii habuere. Ioannes Seldenus (6) iurisiurandi leges Mosaycas, earumque varium usum in indicio quod ad crebras disceptationes rerum mobilium vel commodatarum, vel mutuo traditarum, vel subreptarum, refert ex Exodo (7). Simul ex Maimonide (8) tradit formulas actionum, et ex-

(1) Exodi *cap. 18. vers. 16.* (2) S. Augustin., *in Exod. qu. 67.*
(3) Cicero *lib. 2. de legibus.* (4) *Psalm. 4. vers. 7.*
(5) Malmonides *in more Nebochim par. 2. cap. 39.*
(6) Seldenus *lib. 2. de Synedriis veter. Hebraeor. cap. 12.*
(7) Exod. *cap. 22. vers. 7.* (8) Malmonid. *tract. Toaion cap. 7. §. 8.*

ceptionum specificas in caussis pecuniariis, et non capitalibus indicari, et proponi Synedriis debuisse, quas quidem post adductos testes mutare sine probabili caussa amplius non liceret. Actionum formulae erant huiusmodi. *Est apud N. bos meus, vis mea, pecuniae meae mina.* Reus contea excipere adigebatur speciatim : *Mutuo hoc non accepi, depositum illud non habui, id furatus non sum.* Nec enim generalibus exceptionibus locus erat : *Reus non sum, nil debeo, nihil tui apud me est* (1).

VII. Apud veteres Romanos paullo post editas leges XII. tabularum ex iisdem legibus compositae fuerunt certae, solemnesque actiones, quibus inter se homines disceptarent. Pomponius iureconsultus (2) testatur apud Collegium Pontificum, et interpretandarum legum scientiam, et actiones fuisse primum per annos fere centum, et quoquo anno ex Pontificibus constitutum aliquem, qui praeesset privatis litibus. Postea ab Appio Claudio in formam redactas actiones, cuius librum clam subreptum Gnaeus Flavius Appii Claudii scriba, libertini filius populo tradidit, adeo gratum, ut tribunus plebis, et senator, et Ædilis curulis pro remuneratione factus sit anno Urbis 449. Ad actiones Flavianas deinde accesserunt aliae actiones a Sexto Ælio prolatae: hinc priores dicebantur ius Flavianum, posteriores ius Ælianum. *Sunt iura* (ait Tullius pro Sexto Roscio) *sunt formulae de omnibus rebus constitutae.* Eas litteris initialibus tantum, seu notis exprimere solebant : eo quod iureconsulti *veriti sunt* (inquit laudatus Cicero pro Murena eos exagitans) *ne sine sua opera lege posset agi, notas quasdam composuerunt.* Valerius Probus hisce litteris formulam actionis personalis correptam refert. *A. T. M. D. O.* hoc est, *aio te mihi dare oportere*, ex. gr. centum millia aeris ex testamento, vel ex stipulatu. Qua de re fusius Barnabas Brissonius (3). Hic idem realis quoque actionis formulam hanc promit. *Vindico rem meam esse* (ex *l. certum D. confessis*) *; Titii hereditatem nostram esse intendimus* (ex *l. veluti D. de petit. heredit.*) : *intendimus hereditatem esse totam, vel pro parte nostram* (ex *l. licet D. eodem*). Paullus iureconsultus (4) utriusque actionis realis, et personalis formulas tradit ita contractas : *Si vestimenta* (ait) *nostra esse, vel dari oportere nobis petamus.* Hinc Iustinianus (5) docet non potuisse actorem *suam rem* ita ab aliquo petere : *si apparet eum dare oportere*, qui haec erat actionis personalis formula, non realis. *Nec enim* (inquit) *quod actoris est, id ei dari oportet, scilicet quia dari cuiquam id intelligitur, quod ita datur, ut eius fiat : nec res, quae iam actoris est, magis eius fieri potest.* Quandoquidem opus habebant actores olim ad praeparandum iudicium *actionem* in primis a Praetore *impetrare*, qui et *formulam actionis petitae* praescribebat secundum cuiusque negotii naturam, et *iudicem*

(1) Selden. *loc. cit. num. 2.*
(2) Pompon. in *l. 2. §. 6.*, *et 7. D. de orig. Iuris.*
(3) Brisson. *lib. 5. de formulis.*
(4) Paulus in *l. si in rem C. de reivindicat.*
(5) Iustinian. in § *sic itaque 14. Inst. de actionibus.*

ex albo, aut arbitrum, aut recuperatorem, aut Centumvirum caussae cognoscendae, definiendaeque *dabat* in haec fere verba: *Si paret fundum Capenatem, quo de agitur, ex iure Quiritium Servilii esse, neque is fundus ei restituetur, Lucius Octavius iudex esto*, ex Verrinae formulae exemplo, quam Cicero reprehendit (1), eo quod servilii fundum restitui Q. Catulo iubebat, non autem Servilio manifesta iniuria, et iniquitate (2). Vel *si paret Titium Maevio HS. IↃↃↃ. dare vel facere id oportere Sempronius I. E.* hoc est *iudex esto* (3). Ea vero actionis formulae, eiusque impetrationis conditio erat, ut qui vel in una syllaba, unove nummo aberrasset, caussa, et actione omnino caderet. Summum eiusmodi ius summa iniuria visa est Constantino M. Imperatori piissimo, qui perspectam aequitatem, solertiamque Christianorum Praesulum in iudiciis ecclesiasticis, praesertim synodicis maluit imitari, quam perniciosas Quiritium formulas custodire. Rescripsit ob id Marcellino Praesidi Phoeniciae, formulas iuris Romani aucupatione syllabarum cunctorum actibus insidiantes iam radicitus amputasse. Tum Theodosius, et Valentinianus necessitatem impetrandae actionis, et non impetratae actionis exceptionem omnino deleverunt, indulseruntque litigantibus facultatem proponendi *aptam rei, et proposito negotio competentem actionem, spreta formula, et impetratione* (4).

VIII. Hinc usu adeo venerunt in definiendis caussis sacri canones (5), ut affirmare non vereatur Cuiacius solis ferme canonibus innixum ordinem iudiciorum (6) in utroque foro sacro, et profano. Quandoquidem vir magnus disperavit ex Iustiniani Pandectis, Codice, Novellis, et Institutionibus disiecta nimis, et mutila iudicarii ordinis membra in corpus integrum redigere, quod moribus hodiernis congrueret: dum forma iudiciorum ecclesiastica ex decreto Gratianaeo (7), ac Decretalium, et Iuris Canonici voluminibus patefacta populis, laicisque magistratibus magis arridebat in diem (8).

IX. Ad labyrintheam forensium certaminum basilicam iter manu mox ducendis tyronibus praemonstrare satagam non per interrupta Gratiani, et saepe inversa vestigia, eosque in circumspectandis aequo diutius variis inflexionibus articulorum iudicii non morabor secundum rubricas

(1) Cic. *orat. 3. in Verrem.* (2) Id notat Brissonius *loc. cit.*

(3) Ex Tullio in *orat. pro Roscio Comaedo, et §. propterea Inst. de exceptionibus, et §. is quoque Inst. quibus modis re contrah. oblig.*

(4) Ex *l. 1., et 2. C. de formulis, et impetrat. action. sublatis.*

(5) Id quod pluribus testimoniis ostendit Gratianus *dist. 20.*

(6) Cuiac. in *praefat. ad lib. 4. Decretalium.*

(7) Quamplurimos canones ad exercenda iudicia spectantes collegit Gratianus, *Caus. 2. usque ad 6.*, tum *Caus. 14., 15., et 22.*, suo ubi more permultos iudicii articulos turbate petractat.

(8) Gregorianus Decretalium textus ad usum nostrum aptius dispositas habet in *libro 2.* rubricas de *libelli oblatione, de mutuis petitionibus, de litis contestatione*, de ceteris iudicii solemnis partibus praecipuis, tum *de sententia, et re iudicata*, deque *appellationibus:* quas fere omnes mutuatus Lancellottus inde suum *lib. 3. Inst. Can.* coordinavit.

Decretalium, aut Lancellotti, quas enodandas relinquo doctioribus; sed uno veluti filo gressus ipsorum continuos, et tutos ita dirigere pro virili satagam, ii ut integras *quinque formas* iudiciorum civilium propriis in aediculis perlustrent singulatim, quas nostri iudices, caussarumque patroni solent in utroque foro adhibere. Primam videlicet processus *ordinarii*, alteram *summarii*, tertiam *summarissimi*, quartam *executivi*, quintam *praeceptivi*. Harum singulas nedum delineare ab imo ad summum distinctis sub titulis connitar, mutuas describendo functiones litigantium, et iudicis interlocutiones a primi libelli oblatione ad sententiam usque diffinitivam, et istius executionem: sed caussas etiam praecipuas, litesque, quae sint unoquoque iudiciorum eiusmodi ritu agendae, recensere. Ad marginem vero seponam canones, leges, mores, auctoresque, usitatam in foro disceptandi, et iudicandi rationem moderantes, et comprobantes.

TIT. XV.

De ordinario processu civili.

I. Hodierna processus ordinarii forma priscis actionum formulis, et legum subtilitatibus posthabitis, terminum ad probanda incumbentia ordinarium, ritusque solemniores.

II. Initium sumit a primo actoris libello, actionem sibi quaesitam exponentis, et ius reddi sibi postulantis.

III. Libelli formula exhibetur.

IV. Ad calcem ipsius non aliud, nisi ut parti adversae intimetur, iudex in primis rescribit quum laicus, tum ecclesiasticus.

V. In Regio Consilio S. Clarae actores supplici libello conceptis verbis exponunt S. R. M. suam intentionem.

VI. Quo viso Praesidens eam caussam alicui ex Regiis Consiliariis committit. Hic deinde adversario eumdem libellum notificari iubet, in ius eum vocans.

VII. Tum Curiae famulus reo praesenti copiam libelli simplicem, extra iudicii locum degenti litteras citatorias in publicam formam redactas dat, vel in domo eius coram testibus relinquit, eumque ita citasse mox refert in scriptis.

VIII. Citatus extra locum iudicii reus intra peremptorium terminum si non compareat, in eum incusatur prima, et secunda contumacia, deinde ad ulteriora proceditur in contumaciam.

IX. Post contumacias vero incusatas reus comparens, refectis collitiganti expensis auditur. Neglecta contumaciorum incusatione, vel dilata nimis notificatione libelli, citatio circumducta fit.

X. *In reum citatum in loco iudicii degentem , quamvis non respondeat , nullae incusantur contumaciae : sed in singulis actis citandus est.*

XI. *Citatus autem sese defensurus eas respondendo exceptiones obiicit , quae ad rem faciunt suam , secundum exempla , quae traduntur.*

XII. *Tum partibus monitis, et auditis fere post biduum, iudex interloquitur , eas fore , vel non adimplendas, aut reiiciendas , aut reservandas ad merita caussae, vel in calculo ferendae sententiae : datasque illis ab actore replicationes insuper discutit.*

XIII. *Legitimatio personae, cautio expensarum, et iuramentum calumniae , etiamsi non opponantur a reo , sunt semper adimplendae.*

XIV. *Varias interlocutionum formas quae traduntur, postulat varia exceptionum indoles, nonnisi post biduum exequendas.*

XV. *Vim decretorum, seu interlocutionum impediunt fere , aut eludunt postulatio contrarii imperii , libellus nullitatum , beneficium restitutionis in integrum , et appellatio , seu reclamatio.*

XVI. *Postulatio intra biduum contrario imperio iudex, auditis partibus reponit, vel stare in decisis, vel suspenso eo decreto hoc aut illud fieri.*

XVII. *Obiectas rite intra sex dies nullitates decernit auditis etiam partibus militare, aut non militare ; vel esse reiiciendas attento ipsarum tenore.*

XVIII. *Petitae vero in integrum restitutioni a personis ea fruentibus decernit locum non esse , aut non esse deferendum; vel esse locum , et esse deferendum.*

XIX. *Appellatio tandem legitima , ubi decem intra dies interponatur , suam suspendit cognitionem , donec superior de ea pronunciaverit. Reclamatio autem in eodem supremo tribunali, excepto fere decreto , admittitur , et discutitur.*

XX. *Post discussas, et amotas exceptiones datur conceptis verbis terminus ad probandum incumbentia.*

XXI. *Inde post biduum partes citantur ad dandam in biduo notam examinatorum suspectorum, mox fit examinatoris electio, qua notificata, continuo currit terminus probatorius.*

XXII. *In calce decreti hunc terminum statuentis actor reo , et reus actori suas vicissim offerunt depositiones , et petunt, si velint , super positionibus praesentandis , et simul postulant litteras commissorias ad examinandos testes extra locum iudicii.*

XXIII. Positionum forma proponitur.

XXIV. Super his debet singulatim adversarius respondere per verbum credo, vel non credo, ut ponitur: atque ad respondendum citatur, alias habeantur pro confessis.

XXV. Quoad isthaec pendeat depositio, sistit Iure communi cursus iudicii, non item iure municipali. Et si quid etiam aliud obstiterit cursui termini ad probandum, decernitur, amoto obstaculo, quod terminus alias datus currat.

XXVI. Electo examinatore, fit statim citatio ad testes intra datos termini dies saltem iuraturos, eaque simul pars adversa requiritur ad videnda eorum iuramenta.

XXVII. Contra eos pars adversa reservat repulsam, et insuper in foro ecclesiastico petit copiam articulorum ad sua formanda interrogatoria.

XXVIII. Propterea copiam articulorum ambae vicissim partes accipiunt. Quae moram ea in re faciat, ei praecipitur, ut in biduo exhibeat interrogatoria sua, alias examinentur testes sine illis.

XXIX. Interrogatoriorum forma describitur.

XXX. Haec in laico foro non usuveniunt, sed utriusque partis articuli admittuntur salvo iure impertinentium.

XXXI. Articulorum forma positionibus fere similis traditur.

XXXII. Citatos testes contumaces iudex laicus captis pignoribus, ecclesiasticus excommunicatione ad deponendum cogit.

XXXIII. Testes ad examen venientes postquam iuraverint coram adversa parte, ab electo examinatore semotis partibus examinantur.

XXXIV. Eorum, qui a loco iudiciii absint, indicatis nominibus intra dies quinque post decretum termini, litterae ad idoneum delegatum pro ipsis alibi examinandis dantur, quas oportet adversae parti antea notificari ad substituendum inibi aliquem eorum iuramenta visurum.

XXXV. Completo examine fit decretum publicationis, quo facultas utrique parti datur inspiciendi, et perlegendi acceptas omnium depositiones.

XXXVI. Intra decem dies post tradita cuique partium acta, fas est repulsam postulare, quae consuevit etiam postea indulgeri usque ad conclusionem.

XXXVII. Terminus repulsae medietatem principalis termini non excedit, in eoque fit examen testium reprobantium iisdem ritibus, qui servantur in primo examine.

XXXVIII. Repulsa in foro ecclesiastico viget adhuc, quam in foro laico vetuit Pragmatica an. 1738.

XXXIX. Qui restitutionem in integrum iure habent, iis in utroque olim foro dabatur alius terminus duplex primi scilicet, et secundi beneficii, ad unum restrictus nunc in foro laico ex eadem Pragmatica, ad supplendas probationes in principali termino neglectas.

XL. Post haec gesta, et publicata, et a partibus inspecta satis, fit adhuc in foro ecclesiastico decretum conclusionis, iam dicta Pragmatica aboletum in laico.

XLI. Post conclusionem terminus quoque ad concomitandum, et impugnandum scripturas recenter productas impertitur in foro sacro, in laico non item.

XLII. Mox imminente litis exitu fit monitio partium ad dicendum in facto, et iure pro expeditione caussae.

XLIII. Si terminus ad probandum effluxerit sine testium examine, scripturaeque tantum in eo sint productae: omissa publicatione fit conclusionis decretum in foro ecclesiastico; in laico autem monitio super expeditione caussae.

XLIV. Auditis plene partibus indicitur, postrema citatio ad audiendam sententiam diffinitivam certo die iuridico, in quo tandem iudex eam rite pronunciat in scriptis, et notarius palam legit coram ipso pro tribunali sedente.

XLV. Post decem dies ab ea lecta lapsos, partibus non reclamantibus, ea in rem iudicatam transit

XLVI. Huc usque traditus ordo procedendi fere servatur in caussis facti dubiis, et illiquidis, et non modicis, et quoties rei qualitas specialem iudicii brevioris formam non postulat.

I. *Ordinarium* processum, iudiciumque adpellant pragmatici, in quo terminus ad probanda facta dubia, et hinc inde controversa ordinarius impertitur. Istud enim iudicium longiores, quam alia, dilationes requirit ad veritatem rerum, de quibus inter litigantes contenditur, rite liquidandam, solemnioremque disceptandi, ac diiudicandi formam. Haec nihilominus a veteris Iuris Civilis forma ordinaria maxime differt, abhorrens nimias legum subtilitates, et peculiares actionum formulas, quae non minus veritati, iustitiaeque haud raro adversabantur, quam captiosis veteratoribus patrocinium ferebant. Æquitas profecto sacrorum canonum inquirendae veritatis studio simpliciorem ordinem invexit in exercendis iudiciis (1): sectata potius rationem Iuri naturali, ac divino consentaneam, quam versatiles illas Romanae Reibublicae, Imperiique leges, quae in iudiciis moderandis animos candidiores proborum hominum, sicuti diu docuit experientia, illudebant saepissime, praecipitesque deiiciebat in iacturam irreparabilem.

(1) Alex. III. in *cap. dilecti 6. de iudiciis.*

II. Hocce iudicium inchoaturus actor (1) in primis vel per se, aut per procuratorem cum scripto mandato constitutum praesentat Iudici, qui rei foro praesit, primum libellum in scriptis, quem vulgo nuncupant *comparitionem*, aut *instantiam;* Romani veteres *dicam*. Brevem scilicet scripturam, in qua intentio actoris adeo clara, et perspicua exponatur, ut valeat inde intelligi, utrum ex contractu, vel quasi, an ex maleficio, vel quasi, an ex alio quovis iure actor quaesitam sibi obligationem, actionemque habeat in adversarium in ius vacundum: et postremo concludatur postulando, quod ex narrato facto oritur, ius sibi reddi, atque adversarium, prout iuris erit, compelli ad dandum, aut restituendum, aut solvendum, quod debet, cum nonnullis clausulis, et protestationibus salutaribus. In eo tamen libello necesse non est certam seu specialem, quae competat, actionem edere, seu nominatim intentare, neque certam eius formulam adhibere, ut veteres olim Quirites facere cogebantur ex iure Flaviano, et Æliano (2). Sat igitur hodie est petitionem quovis modo facere, dummodo ex ea reus scire valeat, utrum cedere, an contendere debeat: et si contendendum putaverit, veniat instructus ad excipiendum (3). Primus itaque libellus vernaculo potius, quam latino idiomate in hunc fere modum solet concipi.

III. *In Archiepiscopali Curia Neapolitana*, seu *in M. C. V.* seu in alio quovis Tribunali, *comparet Titius dicens Gaium decem abhinc annis mutuos accepisse ducatos mille a Seio comparentis patre cum pactione illos restituendi sex intra menses gratis: post vero lapsum semestris, solutione non facta, una cum interusurio ducatorum sex pro centenis, ratione lucri cessantis, et damni ex morosa restitutione emergentis: eique obligasse titulo specialis hypothecae domum sitam in tali loco iuxta suos fines. Eum inde, ditata hactenus satisfactione sortis ducatorum mille, neglexisse, imo requisitum multoties renuisse, uti adhuc renuit, persolvere conventa etiam interusuria, non sine comparentis iniuria, et damno. Quapropter instat praedictum Gaium opportunis facti, et iuris remediis realiter, et personaliter compelli ad solvendum ducatos mille una cum decursis,*

(1) Sive laicus ipse fuerit, sive clericus. Gratianus noster *C. 14. qu. 1.* quaerit, liceat ne clericis sua in iudicio repetere? Et congestis more suo canonibus adversis, pro concordia concludit iis prohiberi ad captandum lucrum stare in iudicio, secus ad evitandum damnum. Addit eos, ut Ecclesiae suae procuratores, dispensatoresque recte agere: monens verba Evangelii lites vetantia non praecipientis esse Domini, sed hortantis, et monentis. Demum civilis iudicii probitatem inter christianos generatim ostendit auctoritate S. Augustini.

(2) Puta secundum priores formulas a Gneo Flavio Appii Claudii decemviri scriba proditas, posterioresque a Sexto Ælio superadditas, quasque Pomponius XIV. commemorat in *l.* 2. §. *6. et 7. D. de origine iuris.* Ulpianus ediderat *: qua quisque actione agere volet, eam edere debet, l. 1 .C. de edendo*, sed legem hanc iandiu abrogarunt Impp. religiosissimi Constantinus M. . . et Theodosius cum Valentiniano in *l. 1. et 2. C. de formulis, et impetrat. action. sublatis.* Videsis dicta superius *tit. XIV. num. VII.*

(3) Clement. *saepe 2. de verb. sing.*, et Pragm. 1. *de ord. iudic.*

ac decursuris interusuriis , citra praeiudicium iurium sibi quomodolibet competentium contra possessores dictae domus , aliorumque bonorum , speciali , et generali hypotheca sibi obnoxiorum . quae olim fuere in bonis , et de bonis eiusdem debitoris : petens super expositis ius, et iustitiam sibi ministrari etc., deducens omne ius, omnemque actionem etc non se adstringens etc., cum protestatione expensarum, damnorumque etc. non solum isto, sed omni alio meliori modo.

IV. Iudex in calce libelli continuo decernit , quod *intimetur parti adversae ad finem providendi.* Nil enim contra quemlibet non vocatum in ius , neque auditum iure definiri potest (1). Istiusmodi est in omnibus fere tribunalibus initium processus coram quolibet iudice tam ordinario , quam delegato.

V. In regio autem Consilio S. Clarae caussae omnes inchoantur supplici libello , quem vulgus appellat *supplicationem.* Libellus hic latino semper idiomate dirigitur Sacrae Regiae Maiestati , et Praesidenti eiusdem S. R. C. offertur , continens actoris intentionem in adversarium deprecantis, ut ei caussae cognoscendae iudicem det aliquem ex Regiis Consiliariis (2). En formulam *C. R. M. Exponit humiliter M. V. , vel supplicat humiliter M. V. Titius fidelis vester, dicens quondam Seium oratoris patrem die 1. Martii 1738 vendidisse Gaio frumenti modios mille cum pacto persolvendi conventum pretium ducatorum mille in proximas Salerni nundinas , quo in loco aes alienum dissolvere praefatus Seius debebat , et merces ibi paratas comparare ad lucrum ex eis captandum. Et quoniam praedictus Gaius omisit se ad condictum solutionis locum condicto tempore conferre , nec pecuniam debitam illuc transmisit ad supplicantis parentem , qui plura a creditoribus suis damna ex defectu nummorum perpessus est , tantamque lucri iacturam ex rebus non emptis fecit , ut moerore confectus paullo post inibi diem clauserit extremum, tum ab ipsomet Oratore multoties interpellatus noluit , quod debet, satisfacere : intendit Orator pecuniam omnem sibi debitam , et omne id, quod sua interest ex damnis rerum acceptis , lucrisque amissis, ab eo vel invito repetere , et iura sua in eum experiri in vestro* S. R. C. *Recurrit propterea ad M. V., eique supplicat caussam expositam una cum adnexis , et connexis , emergentibus, et dependentibus, ut committere dignetur uni ex vestris Regiis Consiliariis , qui super praedictis omnibus ius , et iustitiam faciat etc., petens eam sibi ministrari etc., non se adstringens etc., deducens omne ius, omnemque actionem etc., protestatur de expensis, damnis , et interesse etc., omni modo meliori , etc. salvis etc.*

VI. Viso huiusmodi supplici libello D. Praesidens ita rescribit: *Magnificus V. I. D. E. Ferdinandus de Ambrosio Regius Consiliarius supplicata recognoscat , partes audiat , provideat , et in S. C. re-*

(1) *Cap. 1. de caussa poss. et propr. l. 1. D. quae sent. sine appell. rescind., et l. consentaneum. 8. C. quomodo , et quando iudex sent. proferre debeat.*

(2) Leonard Ricc. in *prax. civ. par. 3. lib. 1. cap. 4.*

*

ferat. Datus vero Iudex, seu Commissarius statim providet, quod *intimetur supplicatio principali ex adverso, quatenus prima die iuridica post notificationem peremptorie compareat ad dicendum contra supplicata, et quare supplicata executioni demandari non debeant: cum inhibitione omnibus Regni Curiis inferioribus, ne eadem in caussa procedant*. Hoc decretum vulgo dicitur *contra supplicata* (1).

VII. Post decretam a iudice notificationem primi libelli reus ex adverso principalis, in loco iudicii, seu intra illius districtum, si commoretur, in ius vocatur, seu citatur per servientem Curiae, relicto libelli, decretique transumpto, vulgo *copia*, in eius manibus (2) : eove latitante, in manibus alicuius certae personae degentis in una eademque domo eius solitae habitationis (3), et coram duobus testibus. Si vero extra locum iudicii degat, citatio facienda est litteris in publicam formam cum inserto libelli tenore redactis, sigilloque Curiae munitis, quae vulgo *provisiones, seu litterae provisionales pro notificatione* appellantur. Et quoniam extra territorium ius dicendi impune non paretur (4) : nequit in alieno territorio citatio fieri sine licentia, seu brachio iudicis eius loci, ubi adsit citandus, quod est propterea implorandum (5). Citatione confecta, serviens, seu curialis vernula, ut Terentii vocabulo utar, intra viginti quatuor horas debet exepectare scriptam citati responsionem. Quibus horis elapsis, ipse serviens vel manu sua, vel si scribere nesciat, per Actuarii, vel publici cuiusvis Notarii calamum refert *talem* nomine, et cognomine suo designandum *personaliter, vel domi, relicta copia, modo, et forma sibi commissis*. Relationem hanc in calce, vel libelli originalis, ubi citatus transumptum

(1) Ibidem Ricc. *loc. cit. num. 17*.

(2) Observandum heic discrimen inter vocationem in ius antiquam, et novam. Antiqui porro Quirites adversarium in ius vocaturi rogabant, ut se ad Praetorem sequeretur stato die postulationum. Nolentem vi obtorto collo ducebat actor in iudicium, postquam aliquem antestatus esset, scilicet testem ea in re advocasset. At illum Bachovius, et Vinnius de personis vilissimis, et vadimonii disertoribus morem fuisse, nam comicorum exempla fere de lenonibus sunt. Apud Terentium *act. 5. sc. 7.*, Demipho Phormionem parasitum audacem et sycophantam, ut vi duceret in ius, servos advocavit suos. *In ius eamus* (ait Demipho) Phor. *in ius? huc si quid habet*. De. *Assequere, ac retine, dum huc ego servos evoco . . . . . Rape hunc*. Edicto Praetorum vero cautum est, in ius vocatum, si personaliter adire nollet, vel nequiret, potuisse satis, vel cautum dare, quod se in iure sisteret, et nonnisi deficientem in satisdatione, aut vadimonio per vim adduci ad Praetorem. Mores eiusmodi iniurios, et violentos emendarunt provide Valentinianus, Theodos., et Arcad. Impp. in *l. neminem C. de exhibendis reis*, dum constituerunt neminem in iudicio a privatis petitoribus auctoritate propria exhibendum esse, nisi antea praecessisset iudiciis mandatum.

(3) *Cap. causam 9. de dol., et contumac.* Clement. *1. de appellat. Pragmat. 9. de instrument. liquidat., et Rit. 17. Curiae Archiep. Neapol.*

(4) *L. final. C. de iurisd. omn. iud.*

(5) Reg. de Marinis *lib. 1. resol. 48. num. 6* : ut scripturas sibi notificatas procuratores, ac partes statim restituant servientibus sub poena ducatorum sex, iussit. Pragm. *2. de Procuratoribus*.

reddere noluerit, vel in tergo restituti sumpti post replicationem inib a citato scriptam, postquam servieus scripserit, actor debet in iudicio reproducere.

VIII. Expectatur inde cursus dierum in citatione reo compariturο indultorum, in quibus non computatur dies termini, in quo scilicet citatio facta sit (1). Reus si citatus intra peremptorium terminum in iudicio non comparuerit, nullumque praesentaverit pro se libellum, aut nullus congruam scripserit responsionem in calce primi libelli, aut extra locum iudicii moram faciens procuratorem ad litem suam defendendam non constituerit: die immediate sequenti ad verbalem actoris postulationem prima incusatur contumacia. Post dilapsum exinde triduum prima die iuridica citatus non comparens vocatur in banco iuris, vel voce praeconis, vel praevio sono tubae, aut campanulae secundum cuiusque Curiae stylum (2). Atque si ad excusandam citati absentiam responderit nemo, incusatur continuo secunda, seu ultima contumacia: eodemque momento contumax declaratur reus absens, et contumaciae poenis sit obnoxius (3). Hinc ad ulteriora in caussa proceditur in contumaciam sola parte actoris informante, perinde atque si reus adesset: reo scilicet contumaci acta singula iudicii notificantur non personaliter amplius, nec domi suae, sed per edictum ad valvas Curiae affigendum: et ita producuntur probationes ad substantiam iudicii necessariae. Denique his rite absolutis, oportet rursus reum personaliter citari ad audiendum sententiae definitivae tenorem certo die, et sententia eo ipso constituto die, prout iuris erit, promulgabitur (4).

IX. Verum si post contractam contumaciam reus in iudicio, se sistet, atque antequam sententia diffinitiva pronuncietur, institerit audiri: decerni ex aequitate solet, quod *refectis collitiganti expensis audiatur* (5). Non incusatis vero contumaciis eo, quo iam dictum est

(1) *Cap. frequens 1. de restit. spoliat. in VI.*
(2) *Ex pragm. 3. de ord. iudic.*
(3) *Toto tit. Decretal. de dolo, et contumacia.*
(4) *Cap. caussam 3. de dol. et contum., et l. properandum C. de iudiciis.* Ubi Iustinianus in §. *sin autem* docet *eremodicium* contrahi, et ventilari, quoties una parte informante, alteraque ob contumaciam absente, cognitio caussae sit, quasi in eremo, et solitudine. Deletae hinc dudum sunt leges de actore immittendo in possessionem bonorum rei contumacis revocabilem *ex primo decreto* intra annum: dein perseverante contumacia ex *secundo decreto* in possessionem veram, et irrevocabilem, *l. si finita §. Iulianus D. de dammo infecto, et rubr. Decretal. de eo, qui mittitur in possess. caus. rei servandae.* Huc spectat oratio 1. M. Tull. Cic. pro P. Quinctio, qua ea quaestio expensa: *An. si Sextus Quinctius vadimonium non deseruerit, S. Naevio bona Quinctii ex edicto Praetoris possidere licuerit.* Vix autem hodie bonus, et aequus iudex rem petitam sequestro dat aliquando, ubi futuram illius alienationem suspicabitur reus, ut sic in iudicio stare cogatur, *cap. 2. de dol. et contum.* Non enim debet regulare iudicium a sequestratione inchoari, quae quidem non facienda est, nisi reo prius rite convicto, aut vere per probationes iuridicas, aut praesumptas per contumaciam *l. un. C. de prohib. sequest. pec. l. si cum nulla 58. D. de re iudic., et cap. 1., et fin. de sequestr. poss., et fruct.*
(5) Ex *cap. ex litteris 2. de dol., et contumac., et l. sancimus C. de iudiciis.*

modo, ac tempore, quoniam circumducitur, seu irrita sit citatio, erit ea renovanda (1). Fit circumducta dupliciter citatio, vel scilicet ob dilatam plus aequo citationis notificationem, vel ob neglectam contumaciarum incusationem. Primum si reo, qui territorium citantis iudicis incolat, intra mensem ab ipso datae citationis die numerandum, aut extra territorium degenti sex intra menses notificata citatio non erit. Secundo, si elapso post primae contumaciae incusationem triduo, alteram, eamque postremam contumaciam actor neglexerit incusare intra mensem a citatione, quae sit reo intra civitatis, et iudicii districtum facta, computandum, vel intra duos menses reo extra eumdem locum citato (2).

X. Citatus autem in eo ipso loco, in quo tribunal citantis iudicis residet, si commoretur, contumaciae minime incusantur, sed in quolibet actu pars adversa citanda est personaliter, vel domi ex laudabili tribunalium huiusce principis urbis more: tametsi aliter in curiis Regni inferioribus, sed male servatur (3).

XI. Qui tamen in ius vocatus nolit iudicium effugere, sed animum ipse suum ad contendendum, et sese defendendum appulerit: in calce notificati libelli respondet (ita ut fit) *negando narrata, prout narrantur, et posita, prout ponuntur: instatque semetipsum, vel procuratorem suum N. N. in omnibus audiri, alias protestatur de nullitate, omni meliori modo.* Post debet procuratori per reum constituto notificari ex integro exemplum, seu copia primi libelli. Procurator autem nedum in calce adversi libelli, verum separatim libellis etiam suis obiicit exceptiones dilatorias, et peremptorias tam generatim, quam specifice, quibus vel iudicem declinare, vel iudicium protrahere, vel actionem, actorisque intentionem excludere conabitur (4). Ita ergo reponet: *Doctor Maevius Gaii procurator notificatus hac die.... inhaerens replicatis per principalem suum, dicit non esse locum petitis per Titium ex iuribus voce, et scripto producendis. Opponit interim parti adversae exceptiones omnes dilatorias, et peremptorias: praesertim* ex. gr. forum non esse suum, nec competentem, iudicem sibi esse suspectum, vel personam actoris non esse legitimam, eumve in iudicio agere sine tutore, vel curatore, vel auctoritate patris non posse, quia pupillum, minorem, furiosum, prodigum, prohibitumque a bonis administrandis, filium familias: vel a iudicio repelli debere, quia excommunicatum. Vel agere non licere ob tempus feriarum, aut non cessisse, neque venisse diem debendi. Vel litem eandem pendere coram alio iudice competente, aut alias iam fuisse definitam sententia, quae transiverit in rem iudicatam, aut extinctam novatione, acceptilatione, cessione iurium, transactione, praescriptione, iureiurando delato, et praestito, satisfactione. Vel actoris intentioni obstare dolum malum, metus caussam, aut indebiti erroris, non numeratae pecuniae. Vel vitium usu-

(1) *L. et post adiectum D. de iudiciis.*

(2) Ex *ritu 123. M. C. V.*, quem de stylo, et consuetudine ecclesiastici quoque iudices observant.

(3) Leonard. Ricc. *par. 3. prax. civil. cap. 6. n. 15. et seq.*

(4) *L. 1., et 2. D. de excepl. l. fin. C. eod.*

rae, seu aliquid contra leges, Senatusconsulta, Regni constitutiones, aliudve id genus, quod facto conveniat. *Proinde postulat praefatum Titium repelli a limine iudicii, ipsumque replicantem in omnibus audiri, ipse ut valeat iura tueri principalis sui, alias etc.* Vel si res ita ferat, *instat exhiberi ante omnia scripturas in primo libello memoratas, intereaque ad ulteriora non esse procedendum.* Vel *laudat in auctorem Pamphilum petitae* ex. gr. *domus venditorem, quem citari et audiri petit ad suscipiendam litis motae defensionem, evictionemque praestandam, alias prostatur de nullitate, salvis aliis etc.* Vel *petit caussam in arbitros eligendos compromitti ob consanguinitatem actoris cum reo etc.* Si tamen actoris intentionem probationibus defecturam confidat, spemque firmatam habeat inanes foro eius conatus; nulla ipsi necessaria est exceptio specialis, cui tunc satius est generatim, absoluteque omnia negare, quam excipere speciatim. At vero si dubitet de adversarii probationibus, utrumque poterit cumulare: primum scilicet negabit petita, deinde sub conditione excipiet hoc, vel illud, probata si umquam apparuerit intentio actoris (1).

XII. Exceptiones specifice obiectas iudex monitis, et auditis partibus in contradictorio iudicio discutit, decernitque, utrum *adimplendae* per actorem sint, suspenso interim iudicii cursu, an *reiiciendae*, iis ut non obstantibus ad ulteriora procedatur; an *reservandae ad merita caussae*, nimirum usque ad publicationem, aut *in calculo ferendae sententiae*, ut uno, eodemque tempore cum principali quaestione per diffinitivam dirimantur sententiam, sicuti peculiaria rerum adiuncta postulabunt (2). Quo tamen partes ambae sua valeant iura consultius patrocinari in emergentibus, vel incidentibus exceptionibus: iudex nedum obiectas a reo exceptiones, sed datas etiam ab actore vicissim replicationes utrique parti collitigantium denunciari iubet, easque post biduum saltem ab notificatione computandum coram sese ea de re audiet. Condictus porro dies iudicio sistendi veteribus quoque perendinus plerumque fuit (3). Ad nostros inde pragmaticos defluxit ea vel frequentissima replicandi forma: *instat gaviso biduo audiri.*

XIII. *Generales* quidem exceptiones adimplendae semper sunt, vel

(1) *L. si quidem C. de except.* Qui novam conventionem obiecerint, et non probaverint, eos facta publicatione ante sententiam mulctandos duc. sex, post sententiam ducatos duodecim, sanxit Card Granuela Prorex Pragm. 1. de *procuratoribus*, *3.* Mart. 1574., §. 4., et Mirandae Comes Pragm. 44. §. *3. de off. Nag. Iust. 21.* Mart. 1557. Qui vero alias exceptiones peremptorias, satisfactionem, transactionem, iusiurandum, pactum de non petendo ab se obiectas non probaverint saltem semiplene, illos decem tarenis mulctandos pro singulis eiusmodi exceptionibus edixerat Rex Ferdinandus an. 1477. *Pragm. unde exceptionibus.*

(2) Exceptionem olim frequentissimam dilationis circa usum scripturarum, vel testimoniorum, quae admodum iudicia protelebat, abolevit *pragm.* anni 1738. §. 1. *art.* 23., ea tamen lege, ut qui scripturas, vel testes praesentaverit, vel produxerit, falsi crimini obnoxius eo ipso esset, si pars ex adverso eam, vel eos falsitate laborare ostendet.

(3) Nicuport *de rit. Rom. sect. 3. de iure. cap. 1. §. 1.*

eas opponat speciatim, vel opponere negligat quum praesens, tum contumax reus. Tres eae numerantur. Prima ipsarum est *legitimatio personae*. Quoties enim actor Titius non suo ipsius nomine, ad iudicium venerit, sed alieno, puta, uti Sempronii filius aut haeres, opus ei est omnino exhibere decretum praeambuli, quod personam suam esse in iudicio legitimam ostendat. Quemadmodum, et procurator, et tutor, et curator nomine agentes alieno coguntur in primis mandatum procurationis, delataeque tutelae, aut curae praesentare, beneficiarius, aut rector suae, quamvis Ecclesiae nomine litigans canonicas collationis bullas una cum documento adeptae possessionis, simul ceteri id genus authenticas scripturas ad ostendendum se tales revera esse, quales se asserunt (1). Secunda generalis exceptio est *cautio expensarum* (2): videlicet fideiussio reficiendi expensas litis parti adversae, isthaec si actore succumbente vicerit (3). Cautionem hanc in utroque foro praestare plerumque solent ipsi litium procuratores. Tertia, *iuramentum calumnia* (4). In Curiis ecclesiasticis ab utroque litigantium adhuc iuratur de vitanda calumnia in omnibus, et singulis caussis tam profanis, quam spiritualibus (5): abrogata consuetudine, quae in caussis spiritualibus calumniae iurementum remitti finebat (6), probante Honorio III. in foro tamen laicali huius Regni, ubi a procuratoribus matricula saltem probatis, advocatisque laurea iuris insignitis exercentur lites, sollemnitatem huius iurisiurandi iamdiu exolevisse (7) tradit *Rovitus*. Singuli enim, dum doctores creantur, in manibus Vice-cancellarii: aut dum in matricula procuratorum adscribuntur, in manibus Praesidentis S. R. C. generatim iurant se nunquam calumniaturos, nec iudicia temere, aut fraudulenter protelaturos in caussarum postulationibus, et patrociniis (8). Nec usu etiam nunc viget renovatio iuramenti, quam singulis annis ediderant procuratoribus, caussarumque patronis Regiae Pragmaticae (9).

XIV. Super oppositis exceptionibus multiformia eduntur decreta, et interlocutiones, quorum formulas tradit, ac luculenter edisserit peritissimus Regens de Rosa (10). Ex. gr., *facta libelli declaratione:* vel *prae-*

(1) *Toto tit. C. qui legitim. person. standi in iudic. habeant, vel non.* Ex Pragm. 3. de procuratoribus, edita an. 1599. a Lemosensium Comite, §. 1., et 2., procuratores nomine Universitatis agere sine mandato saltem generali in civilibus caussis prohibentur sub poena unc. 100., aliisque arbitrariis: in criminalibus vero, nonnisi cum speciali mandato, aut epistola originali per Syndicum, et Officiales subscripta, et Communitatis sigillo munita.

(2) Authent. *generaliter C. de Episc., et cler.*

(3) Leo, et Anthemius in *l. omnes 33. C. de Episc., et cleric.*

(4) *L. 1., toloque tit. C. de iureiur. propter calumniam dando, cap. 3. et 5. de iuram. calum., et Clement.* saepe *de verb. sign.*

(5) Bonifac. VIII. in *cap. 1. de iuram. calum. in VI.*

(6) Honor. III. in *cap. licet 2. eod. tit.*

(7) Rovitus super *pragm. 6. de ord. iudic.*

(8) Ex const. *regni*, quae incipit *Advocatos*, inserta in *pragm. 21. de offic. C. R. C.* et confirmata per *pragm. 4. de dilat. ann. 1612.* editam a Comite de Lemos, quae vulgo vocitatur *pragm. 28. capitum.*

(9) Dicta *pragm. 21.*, *et pragm. 80. offic. de S. R. C.*

(10) Regens de Rosa in *prax. civ. decret. cap. 1., et sequent.*

stita expensarum cautione : vel *exhibitis penes acta scripturis in libello enunciatis :* vel *legitimata persona providebitur. Procedatur in S. C. petita caussae remissione ad eam Curiam non obstante :* vel *praesens caussa remittatur ad Curiam ecclesiasticam N.* Vel *partes adeant iudicem competentem. Infra tot dies doceat de allegata consanguinitate ad finem providendi super petito compromisso :* vel *capiatur summaria informatio de allegata consanguinitate :* vel *praesens caussa compromittatur, servata forma Regiae Pragmaticae :* vel *infra quatuor dies eligant arbitros pro executione decreti etc. . . . alias providebitur, quod eligantur per S. C.*, vel *procedatur in S. C. petito compromisso non obstante. Laudum promulgatum a magnificis arbitris executioni demandetur, praestita cautione etc., et super praetensis infra quatuor dies audiantur partes.* Vel *exequatur laudum pro summa ducatorum tot. Procedatur ad ea, quae incumbunt, exceptione opposita non obstante :* vel *opposita exceptione ad merita caussae,* aut *in calculo ferendae sententiae reservata.* Ne vero quid praecipitanter fiat, biduum fere expectandum est a notificatione cuiuslibet interlocutorii decreti, suam, ut vim obtineat, et executionem, processumque ulteriorem. Quoties enim ad quodvis decretum eiusmodi exequendum certos dies non praefiniverit iudex, in biduo illud impleri oportet, et expectari conditionis implementum (1).

XV. Decretorum vim eludere, executionemque differre aut impedire, aut omnino submovere solet quatuor remediis alteruter litigantium, qui se illis gravatum senserit. I, per libellum contrarii imperii. II, nullitatum. III, restitutionis in integrum. IV, appellationis, aut reclamationis. Huiusmodi remedia omnia gradatim ferme in unumquodque decretum intentare licet non modo replicationibus in calce decreti adiiciendis, verum separatis etiam libellis (2).

XVI. Hanc itaque replicationem qui succubuerit, citatus primum scribit: *Procurator N. instat decretum praedictum contrario imperio revocari ex iuribus late producendis in libello mox praesentando, salvis etc.* Intra biduum inde praesentat libellum, in quo exponet breviter gravamina decreto illata, et concludet postulando illius revocationem contrario imperio. Monitis deinde, auditisque partibus a iudice decernitur, vel quod *stat in decisis in decreto lato sub tali die:* vel *quod suspenso decreto late sub die . . .* fiat hoc, vel illud, prout iustum videbitur (3). At contra sententiam definitivam istud contrarii

(1) Ex Iavoleni regula in *l. inter illam 217. §. un. D. de verb. sign.*

(2) Procuratores per calumniam opponentes eiusmodi remedia, mulctandos fore sanxit Card. Granuela Prorex Pragm. 1. de procuratoribus, edita 31. Martii 1574.

(3) *Quod iussit enim, vetuitque Praetor, contrario imperio tollere, vel repetere licet,* ait Celsus iurec. in *l. quod iussit 14. D. de re iudicata.* Et Innoc. III. in conc. general. in *cap. cum cessante 60. de appellat.* constituit, ut *sive iudex ordinarius, sive delegatus aliquid comminando, vel interloquendo protulerit, quo executioni mandato alter litigantium gravaretur, et sano usus consilio ab huiusmodi comminationis, vel interloquutionis effectu destiterit, libere in caussae cognitione procedat.*

imperii remedium non admittitur, quum iudex iam suo functus sit officio (1).

XVII. Post quando iudex steterit in decisis, pars se laesam adhuc sentiens reponere solet: *A decreto praedicto appellat, et reclamat, et aeque principaliter de nullitate dicit, isto etc.* Intra sex deinde dies proponet libello nullitates per capita (2). Scilicet enarrabit in primis decreti tenorem contra expectationem suam, illudque asseverabit reverenter prolatum esse contra *expressum casum* illius *legis*, aut canonis, aut constitutionis, aut Pragmaticae, quam allegare nominatim oportet: vel contra *instrumentum publicum* in actis exhibitum: vel contra *rem* alias *iudicatam*: vel citra *solitum iuris ordinem* per manifestam cum reverentia iniquitatem, iniuriamque. Ideoque ad extremum postulabit, ut illud ab eodem rescindatur iudice, qui edixerit idipsum, sine necessitate adeundi superiorem in gradu appellationis, et recursus (3). Quandoquidem sententia contra leges, canonesve prolata, licet non sit appellatione suspensa, tamen subsistere ipso iure non potest (4). Hinc docet Gratianus (5), dum defunctus 14. annis minor testatus sit, et tale impuberis testamentum iure factum, vel eius executionem decreverit iudex, quum nullas legibus vires obtineat, non necessarium esse auxilium provocationis, seu appellationis contra decretum eiusmodi, quod uti nullum ipso iure potest abolere, qui illud pronunciavit. Ultra quatuor modo dicta nullitatum capita quodvis aliud succumbentis, litigatoris ius locum non dat rescindendo decreto, vel sententiae coram eodem iudice in gradu nullitatis: quantumvis valeat in gradu appellationis ab alio iudice revocationem decreti, sententiaeve obtinere (6). Ideo ubi obiectae nullitates dignoscantur frivolae, vel temere, ac sine certo iure propositae, statim decernitur, quod *reiiciantur, attento ipsarum tenore.* At quoties sint rite obiectae: monitis, auditisque partibus decernitur, *eas* vel *militare*, vel *non militare* (7).

XVIII. Tum si principalis collitigans sit natu minor XVIII. annis in foro laicorum, XV. annis in foro ecclesiastico, vel Universitas, aut Collegium, vel Ecclesia, vel vidua, poterit praeterea *beneficium restitutionis in integrum* expostulare contra decretum laedens, et infen-

(1) *Dict. l. quod iussit, et l. post rem 56. D. de re iudicata.*

(2) *Pragm. 4. §. 18. de dilation.*

(3) Id omne tradit Gratian. post *can. ei, qui appellat 41. C. 2. qu. 6.*, et textus decretal. in *cap. inter ceteras 9. de sent., et re iudic.*, et *l. 1. D. quae sententiae sine appellat. rescindantur.*

(4) S. Greg. M. in *cap. 1. de sent., et re iudic.* Consonat Ulp. in *l. illicitas 6. §. veritas D. de officio Praesidis* aiens: *Veritas rerum erroribus gestarum non vitiatur: et ideo Praeses Provinciae id sequatur, quod convenit eum ex fide eorum, quae probantur, sequi.*

(5) Gratian. *loc. cit.*

(6) Idem *loc. cit. §. si vero: si contra ius litigatoris sententia dicatur, veluti dum minor 14. annis annum 14. explevisse, et ita testamentum iure fecisse pronunciatur, ad provocationis, seu appellationis remedium oportet confugere.*

(7) *L. si se 4. §. condemnandum 6. D. de re iudic.*

sum, iuraque sua denuo experiri, ac restaurare (1). Iudex inde decernet monitis, et auditis partibus, vel *locum non esse petitae in integrum restitutioni*, quoties persona eam postulans eo privilegio non gaudeat aperte, vel *non esse deferendum*, dum persona quidem privilegiaria sit, sed nihil gravaminis, iniuriaeve passa fuerit (2). Quoties tamen dubitetur, utrum petenti restitutionem id competat privilegium, et an gravamen sit illatum, re cognita decernitur, *non esse locum, et non esse deferendum petitae restitutioni in integrum:* vel e contrario *esse locum, et esse deferendum:* vel etiam *esse locum, sed non esse deferendum*, ita uti ex peculiaribus caussarum adiunctis suadebit iustitia. Quoniam vero paribus armis debet utraque litigantium pars contendere, ea, cui privilegium non competit restitutionis in integrum, poterit, ac debebit, si velit, intra decem dies inhaerere beneficio gravaminis per privilegiarium collitigantem petito: alias postmodum eo non poterit amplius uti beneficio (3).

XIX. Quarto tandem pars laesa post tot interlocutiones sibi adversas intra decem dies a decreto, vel sententia iudicis inferioris gravante ad superius tribunal provocabit per *appellationem*, de qua ordinanda inferius dicam. Vel ubi tribunal sit supremum, nec superiorem habeat, quale est Sacrum Regium Consilium, Regalis Camera S. Clarae, Regia Camera Summariae, aĉ Tribunal Mixtum, provocabit intra decem quoque dies per *reclamationem*, qua vel erroris proprii venia reverenter postulatur, vel adversarii circumventio profertur refellenda (4). Hoc tamen discriminis est inter appellationem, et reclamationem, quod appellatio fore impediat decreti, vel sententiae executionem, secus reclamatio in S. Regio Consilio (5). In hoc enim petita infra decem dies reclamatione, sententia executioni demandatur praestita per victorem cautione restituendi in casu retractationis: post vero decem dies intra biennium, sine huiusmodi cautione (6).

XX. Discussis, et adimpletis exceptionibus fit litis contestatio datione termini probatorii. Scilicet iudex decernit, *quod detur terminus dierum*, vel *duorum*, vel *quatuor*, vel *octo*, vel plurium iudicis arbitrio *utrique parti ad probandum incumbentia*. Porro termini dilationesque iudiciales arbitrio iudicis modo restringuntur, modo ampliantur (7). Vel altera forma providet, *quod stantibus adimpletis capiatur informatio super omnibus hinc, inde praetensis*. Hac autem forma impertitus in-

(1) *Ex toto tit. C. si adversus rem iudicat restitutio postuletur, l. 1., et seq. D. quibus ex caussis maiores in integrum restituantur.*

(2) *Cap. 1. de restit. in integrum in VI., et Clement. unic. eod. tit.*

(3) *Ex pragm. ann. 1738. §. 1. art. 20.*

(4) *L. Praefecti Praetorio 18. D. de min. 25. annis l. unic. C. de sent. Praef. Pract.*, et *authent. quae supplicatio C. de precibus Imperatori offerendis*, Novel. *82. cap. 12.*, *et 119. cap. 5.*

(5) De Rosa in *prax. civ. decret. cap. 4. num. 155.*, *et part. 2. in 2. instant. ord. iudic. dist. 4. cap. . . . . num. 5.*

(6) *Dict. auth. quae supplicatio*, et *pragm. 5.*, *et 53. de offic. S. R. C.*

(7) *L. 2. C. de dilation. pragm. 7. de dilat. in caus. dandis*, *can. inducias §. spatium 3. qu. 3.*

telligitur terminus viginti dierum de iure Regni (1), qui iure communi esset decem dierum (2).

XXI. Post biduum ab istius decreti notificatione decursum, iudex mandat, *quod partes ambae dent notam examinatorum suspectorum in biduo.* Cuiusmodi decreto respondens quisque litigantium, *dicit habere illum, et illum suspectos.* Itaque nota suspectorum vel data, vel elapso termino praetermissa, facit inde *electionem examinatoris.* Quae in sacro regio Consilio fit per buxolam, seu sortem, praevia quoque nota suspectorum (3). A die notificatae electionis examinatoris currere incipit terminus probatorius (4).

XXII. In calce decreti termini *actor*, antequam illud reo notificetur, *offert reo depositionem suam, et petit*, si velit, *rei depositionem super positionibus, vel praesentatis, vel praesentandis: et praeterea nominat habere testes in loco iudicii, aliisque in locis* speciatim designandis. Reus e contrario, ubi notificatur ei decretum termini cum eiusmodi oblatione, ac nominatione, reponit: *N. acceptat oblatam depositionem, et vicissim offert suam: nominat habere testes in hoc, et illo loco, pro quibus examinandis petit litteras commissorias in forma.* Isthaec petitio litterarum commissoriarum fit, ubi testes extra iudicii locum sint examinandi.

XXIII. Positiones vel alteruter, vel uterque litigantium, si volet, exhibet, ut quoquo modo per adversarii confessionem releventur invicem collitigantes ab onere probandi (5), ex longaeva fori consuetudine (6). Rubrica earum in primis ita inscribitur: *positiones infrascriptas producit Titius in caussa, quam habet cum Gaio petens super iisdem compelli praedictum ex adverso principalem ad clare, et simpliciter respondendum per verbum* credo, *vel* non credo, *alias decerni, quod habeantur pro confessis, prout deterius erit ei respondere recusanti.* Perbrevibus deinde capitulis fiunt positiones, scilicet describuntur singula facta, quae contineant vel extrema iudicii actori probanda, vel exceptiones rei. Ex gr. 1.: *ponit, quod Gaius ineunte anno 1738. coram pluribus pluries qu. Seium ponentis patrem rogavit venditionem frumenti modiorum mille sub fide pretii post aliquot menses persolvendi. 2, Ponit, quod praedictus quond. Seius, et si non venditurum se frumentum, nisi pecunia prompte numerata deliberasset, victus tamen iteratis assidue precibus, et flagitationibus Gaii amici sui ei demum vendidit mille frumenti modios habita fide de convento pretio ducatorum mille, quos ad nundinas Salerni omnimode persoluturum iureiurando spopondit Gaius ipse coram multis utriusque amicis die 1. Martii 1738. 3, Ponit, quod post eiusmodi conventionem Gaius ipse sibimet praesenti admetiri curavit in horreo*

(1) *Ex prag. 7. de ordin. iudic.*
(2) *L. per intervallum 60. D. de iud.c.*
(3) *Ex pragm. ann. 1619. de offic. S. R. C.*
(4) Rosa in *cit. prax. part. 1. cap. 6. num. 20.*
(5) *Cap. 1., et 2. de confessis in VI.*
(6) Quam comprobat Clement. *saepe de V. S., et pragm. 8. de ord. iudic.*

Seii emptos frumenti modios mille, eosque integre per baiulos, et iumenta inde transportari palam in horreum suum. 4, Quod idemmet Gaius saepe confessus est magnam habere gratiam tanti beneficii a saepedicto quond. Seio accepti, suamque patefecit obligationem pacto conventam solvendi pretium ducatorum mille in diem nundinarum Salerni in eadem civitate Salerni sine ulla mora, et exceptione. 5, quod quondam Seius Salernum profectus die 20. mensis Septembris anni 1738., inibi commoratus est usque ad quintam diem Octobris per totum nundinarum intervallum: eoque loco quotidie perlustrato frustra conquisivit dictum Gaium debitorem suum: praeterea eum magna voce praeconis in earum nundinarum foro vocatum vidit nemo. 6, quod Seius idem nummis carens ad aes alienum exolvendum viribus Magistri nundinarum compulsus versuram fecit, annuosque ducatos centum pro versurae interusurio pensitavit. 7, quod negotiatores pecudum, aliarumque mercium in eisdem nundinis fere lucrati sunt viginti pro singulis centenis. 8, quod frustratus spe sua Seius, damnoque emergente simul ac lucro cessante afflictus tantam animi aegritudinem cepit, ut acri febre laboraverit a die quarta Octobris: eaque decumbens mortem post decem dies obiverit. Item haec, et alia cum facultate addendi, non se adstringens ad superfluam probationem (1).

XXIV. Adversarius principalis, vel eo absente, procurator (etiamsi mandatum speciale ad sic, et sic respondendum non habuerit) intra decem dies a Pragm. anni 1738. praefixos (2) deponere super singulis positionibus debet simpliciter per verbum *credo*, vel *non credo*, *ut ponitur*. Quod enim quisque credit, et existimat, hoc esse iurandum lex monet (3). Quamobrem ei, qui deponere recuset, vel negligat, duo-

(1) Olim ex edicto Praetoris interrogationes iure fiebant mutuo inter collitigantes, atque adversus interrogatum ex responso dabatur actio interrogatoria, perinde atque in confitentem actio confessoria, ut patet ex *tit. D. de interrogat. in iure faciendis, et interrogator. action.* Huc potissimum redibant interrogationes: utrum quis sit Titii heres, quaque ex parte heres sit, an bonorum possessor, an fundum, aut aedes, et qua ex parte possideat, an suus sit quadrupes, vel servus, qui pauperiem, aut noxam fecerit, an servi-filiive familias peculium penes se habeat. *Et ubicumque iudicem aequitas moverit, aeque oportere fieri interrogationem*, dubium non esse monuit Ulp. in *l. ubicumque pen. D. eod. tit.* Interrogatorias actiones aevo suo Callistratus iam exolevisse tradit in *l. 1. §. 1. D. eod.*, quia cogi ante iudicium neminem de suo iure respondere fert aequitas, sed tantummodo ad probationem pendente iudicio litigatoribus permissas interrogationes. Dionysius Gothofr. opinatus est in *dict. l. 1. §. 1.*, Tribonianum vetera iura ad tempus suum accomodandi studio interiecisse in textu Callistrati, *interrogatoriis actionibus hodie non utimur*. Sed pace sua mentem Callistrati non affectus est, qui aperte monuit usum interrogandi, et respondendi in iure ad probandam actionem in iudicio deductam vigere, secus interrogationes ante iudicium, et actiones ex anticipatis huiusmodi interrogationibus deductas ante Callistrati tempora, quae eius aetate iam abiverant in desuetudinem.

(2) Pragm. *ann. 1738. §. 1. art. 22.*

(3) *L. 3. de iureiurando propter calumniam*, authent. *principalis personae*

bus fere praeceptis mandatur, scilicet primo, *quod Gaius deponat in biduo*, vel infra tot dies *super positionibus a Titio praesentatis, alias providebitur, quod habeantur pro confessis, prout deterius.* Secundo *quod in alio biduo cum effectu, praecise, et peremptorie deponat, alias habeantur pro confessis, prout deterius ei erit.*

XXV. Quousque petita non fiat depositio, terminus ad probandum iure communi non currit (1), sed remanet interea suspensus. Idipsum quoque accidit, quoties post termini decretum aliqua obiiciatur exceptio, vel gravamen. Sublato autem impedimento eiusmodi, decerni solet, *quod terminus alias datus sub tali die currat, et currere intelligatur ab hodie.* Iure inquam communi non decurrit pendente depositione terminus: secus municipali iure novo (2), quo cautum est, iudicii cursum nullatenus impediri, tam si ante, quam si post litem contestatam depositio petatur super positionibus.

XXVI. Intra praefixos termini dies citari omnino debent, ac iurare testes examinandi, quum eorum depositiones post termini cursum quoque acceptae ad iuramenti diem referentur (3). Eam ob rem expedita examinatoris electione, incontinenti editur ad utriusque litigatoris petitionem *citatio ad testes*, una cum *requisitione* partis adversae ad *videndum* eorumdem testium *iuramenta.* Alteruter litigantium in suis citatoriis litteris scribit nomina, et cognomina testium citandorum, nomenque simul adversarii: hic enim si ad videndum iuramenta testium adversorum non requiratur, depositiones eorum nullam in eum facerent probationem, nulliusque momenti haberentur (4).

XXVII. Ad id requisitus litigator ex adverso in calce praedictae citationis reponit: *Doctor N. protestatur contra suprascriptos testes numero* tot, *sibi reservans repulsam contra eorum dicta, et personas: propterea instat non recipi consanguineos, affines, domesticos, familiares, aliosque iure prohibitos.* In Curiis tantum ecclesiasticis una, eademque replicatione: praeterea *instat non recipi testes super articulis producendis, nisi ante super interrogatoriis per replicantem praesentandis examinentur: ideoque petit copiam articulorum partis adversae, alias protestatur de nullitate examinis.*

XXVIII. Ad veritatem ex testium ore indagandam inducta sunt in foro ecclesiastico interrogatoria (5). Quae ut formari ad rem possint,

§. *quod observari C. eodem,* et pragm. 8. *de ord. iudic. Qui vero interrogatus, iussusque a iudice respondere absque rationabili caussa recusat, habetur pro confesso, cap. 2. de confessis in VI.* Responsiones autem principalium in caussis quum civilibus, tum criminalibus fieri *absque periculo poenae varietatis, et periuri*, declarat Ritus M. C. V. in fine *tit. de modo procedendi, et processibus caussarum.* At iudicis arbitrio puniendos, qui *calumniose factum proprium* negaverint. Carolus V. sanxit in Pragm. 8. de ordine iudiciorum.

(1) Gloss. in *Clement. saepe ver. post dationem de verb. sign.*

(2) *Pragm. ann. 1738. cit. §. 1. ort. 2.*

(3) Abb. in *cap. licet caussam cas. 6. de probat.*

(4) Ex *cap. in nomine Domini 2. de testib.*, et Auth. *sed, et si quis D. eodem.*

(5) Ex *cap. praesentium 2. de testib. in VI.*

conceditur vicissim utrique litigantium copia articulorum partis adversae (1). Si tamen petita articulorum copia pars moretur interrogatoria proferre, decernitur, *quod N. in biduo exhibeat interrogatoria, alias termino elapso procedatur ad testium examen sine illis* (2).

XXIX. Post rubricam iisdem fere verbis antedictae replicationis latino idiomate inscribi solitam, materno, et vulgari proponuntur interrogationum capita quum generalia, et galeata, tum specialia ad rem, de qua contenditur, propius attinentia. Ex. gr. quod ad generalia, *quisque* testis interrogetur, *pauper ne sit ipse testis, an dives, an familiaris, consanguineus, affinis, socius, amicus partis eum producentis? An partis ex adverso inimicus, et malevolus, ab eave aliquam aliquando iniuriam acceperit, aut noxam? Utri litigantium caussae victoriam praecoptet animo suo? An praeceptum paschalis communionis impleverit? An excommunicatus unquam fuerit, quave de caussa, an inquisitus, vel crimine aliquo accusatus, damnatusve in aliquo foro? Num ipsi testi quis quidquam pro ferendo testimonio dederit, promiserit, obtulerit: aut is ab eo quidquam speret emolumenti, aut gratiae? An aliquis eum, quae testificaturus est, docuerit, vel rogaverit eius testimonium? An testimonium ferre pro aliis consueverit, vel tulerit unquam pro utro litigantium, vel contra alterutrum, quonam in foro, quave lite? An vicissim eorum alteruter in ipsius testis litibus testificatus sit pro, vel contra, eive ita commodum, vel incommodum aliquod dederit?* Deinde ad rem propius interrogetur, *an Seius dare mutuas pecunias sine instrumento, aut chyrographo, aut pignore, aut idonea cautione consueverit: vel frumentum, aliasque merces vendere sine praesenti pecunia emptorum? An idem Seius aureos mille, aut totidem frumenti modios tradiderit Gaio? Si negative, nihil ultra. Si vero affirmative, quaeratur simul a teste, quonam die, et anno quave hora eos dederit? Quo in loco, quove domus cubiculo? domus ne illa in terrae plano, an sub media contignatione, an in solario sita sit? Quomodo, et unde id ipse testis sciverit: praesens ne ipse traditioni pecuniae vel frumenti, quave occasione fuit, an non? Quaenam pacta inter dantem, et accipientem conventa audiverit, quibusque verbis expressa? Aerea ne, an argentea fuit pecunia, quam numerari vidit? Frumentum novum ne, an vetustum, album, an rubeum, unius, an commixtae speciei? An alias homines ibidem eo traditionis tempore praesentes, vel advenientes, vel abeuntes viderit, quoque nomine, et cognomine ii vocentur? an eosdem ante viderit, et cognoverit? An cognoscat Titium, pro quo testificatur, et Gaium Titii adversarium, cuius uterque aetatis, staturae coloris, habitus?* Hoc modo ad singula articolorum ex adverso facta probanda interrogationes praevia aptandae sunt ex adiunctis loci, temporis, contestium, causaeque scientiae. Isthaec interrogatoria haudquaquam dari, vel ostendi debent parti adversae, ne super iis suos instruat testes, uti citata glossa monet.

(1) Abbas *cap. per tuas de testibus.*

(2) Gloss. in *cit. cap. 2. de testibus in VI.* ver. *interrogatoria*, ubi ea formandi docet modum.

XXX. In saecularibus Regni tribunalibus interrogatoria ista minime usuveniunt, nec mutua articulorum copia partibus ex adverso datur (1): tametsi eam non modo ad interrogatoria recte conficienda, verum ad resecandos etiam articulos impertinentes concedi putavit Abbas (2). Proinde articuli cuiusque partis in foro laicorum admittuntur indistincte cum clausula: *salvo iure impertinentium, aut non admittendorum.* In Curiis autem episcopalibus qui conspexerit aliqua in articulis adversis facta ad rem non pertinentia, quae fortasse famam collitigantis, et existimationem, moresque laedant, is ea resecari petit: et ubi resectio necessariis caussae probationibus non nocitura videbitur, obtinet.

XXXI. Articulorum forma eadem ferme est, quae positionum, adeout procurator actoris Titii in caussa proposita, nihil si addere, aut detrahere antedictis positionibus putaverit, in calce earum scribere soleat: *valeant positiones istae loco articulorum.* Aliter ex integro articulos conficiet. Quorum praecipuam rubricam, formamque specialem, ut dignoscatis, mox subnectam articulos pro reo, modum excipiendi contra intentionem actoris exponentes: *Articulos infrascriptos dat Gaius in tali Curia, et probandos offert in caussa, quam passive habet cum Titio, petens super iisdem suos recipi, et examinari testes, et ad superfluam probationem se non adstringens, salvo iure addendi etc. Reproducit in vim probationis omnes scripturas praesentatas, et praesentandas, quatenus opus, non solum isto sed omni alio meliori modo. Revocat omnes confessiones per seipsum in iudicio, et extra factas velut erroneas in partibus contra se facientibus: et e contrario acceptat omnes a parte adversa quomodolibet factas in partibus ipsi articulanti profuturis, et non aliter: isto, et omni alio meliori modo. 1, Intendit probare, quod ipse Gaius nil omnino rerum vel ad quotidianum domus suae usum, vel ad negotiandum emere nisi praesenti pecunia consuevit; nec aes umquam alienum contraxit in quamplurimis, quas fecit, emptionibus, et frumenti, et pecudum, aliarumque mercium. 2, quod prorsus numquam a quondam Seio petiit emere triticum sub fide pretii ad nundinas tarde futuras exolvendi, quum scirent omnes eum nemini rem quamlibet suam vendidisse, nisi emptores vel amicissimi, vel consanguinei ei ante numerassent pecuniam pro pretio conventam. 3, quod ipsemet Gaius die 1. Martii 1738. Romae degebat, multos ibi dies commoratus quum ante, tum post memoratum diem. 4, quod quondam Seius ipsi Gaio longe absenti nequaquam metitus est, neque tradidit modios mille, aut aliam quamlibet frumenti quantitatem.* Si tamen apparebit *baiulos, et iumenta ipsius Gaii ex horreo quondam. Seii frumentum transtulisse, tunc excipiendo, et non aliter probare offert eos, et ea aliis commodatos, et commodata fuisse a domesticis suis in eiusmodi traductionem. 5, quod aere alieno obrutus quondam Seius e patria secessit, et profugus a creditorum conspectu Salernum tempore nundinarum profectus est, quibus nunquam alias adfuit neque ad negotiandum, neque ad solutiones pecuniarum vel faciendas, vel accipiendas. 6, quod is inibi ex intemperan-*

(1) Afflict. *dec. 33. num. 3.*, et de Franchis *dec. 220., num. 14.*
(2) In *cap. per tuas de testibus.*

tia ciborum, et potus maxima, simul ex aeris contagione, intemperieque laethaliter aegrotavit ad mortem usque. 7, quod filius eius, et heres Titius, ut fucum faceret paternis creditoribus, suique patris famae, quoad posset consuleret, effinxit, et inter alios Gaium ipsum paternae hereditatis, debitorem, cumque idcirco simulata frumenti venditione in ius vocasse. Quae omnia vera sunt testibus, et scripturis, salvis aliis etc., isto etc.

XXXII. Ad examen testium quod attinet : si citati venire ad iudicium renuant, iudex laicus eos in caussa civili compellit, captis pignoribus (1) : quum in criminalibus tantum caussis personalem testium coactionem permittat Ius civile. At iudex ecclesiasticus in omnibus caussis ad deponendum testimonium veritatis laicos excommunicatione obstringit (2).

XXXIII. Dum testes, qui adsint in loco iudicii, citanti iudici parent, in primis iurabunt coram adversario aut principali, aut eius procuratore, aliove substituto, iste si requisitus pro condicta die adesse curaverit : alias eo post requisitionem absente iuramentum recte praestabitur. Semotis inde partibus, vel iudex per sese, vel examinator electus testes singulos separatim interrogabit, audietque illorum dicta scripto mandanda prius super interrogatoriis adversae partis, postea incontinenti super articulis illius, qui eos obtulit examinandos in foro ecclesiastico (3) : vel super articulis tantum in foro laico.

XXXIV. A loco iudicii testes si absint, distincta eorum nominatio fit (ubi fuerit in calce decreti termini omissa) intra quinque dies ab eiusdem termini notificatione numerandos (4). Inde caussae iudex eorum examen delegat iudici eius loci, ubi degant, vel alteri propinquiori, eum si suspectum eiuraverint (5) : expeditque super ea re litteras, ut aiunt, *commissionales*, quae usu vigent, quum ex Iure Canonico (6), tum Civili (7), et municipali huius Regni (8). Istae litterae auditionem testium delegantes, antequam transmittantur, debent parti adversae notificari, ut ea si velit, aliquem substituat ad videndum iurare testes, alias nullius momenti erit examen. Iisdem litteris delegatus, qui vulgo dicitur *Commissarius*, acceptis, testes citatos, relatosque, requisito partis adversae substituto ad videndum eos iurare, examinat

(1) *L. si quando invitos 18.*, *C. de testibus*, *et l. locum 3.*, *D. de tabulis exhibendis.*

(2) *Cap. 1. ad ult. de testibus cogendis.*

(3) *Cap. praesentium 1. de testib. in VI.*

(4) *Ex pragm. 77. de offic. S. R. C.*, et *pragm. 4. num. 9. de dilation.* qui nominationes testium intra regnum fecerint, eisque postea non utentur, mulctandos duc. 12. sanxit Pragm. 1. §. 3. *de procuratoribus*, addens locum eiusmodi poenae dandum, si testes nominati nihil scire super articulis nominantium responderint.

(5) *Pragm. ann. 1738. §. 1. art. 24.* vetat, ne amplius, quam tres Curias in partibus eiurare, ut suspectas collitigatoribus liceat.

(6) *Cap. cum caussam 37. de testibus.*

(7) *L. sed si quis D. quemadmodum testamenta aperiantur*, *l. iudices*, *et auth. apud eloquentissimum C. de fide instrument.*

(8) *Pragm. 5. de ord. iudic.*, *et M. C. ritu 69.*, *141.*, *et 158.*

servata forma sibi demandata : earumque depositiones tandem clausas ad iudicem delegantem remittit.

XXXV. Completo testium examine fit decretum *publicationis* , sine praevia partium citatione ad publicandum (1), quae citatio in foro laicali aboleta, vix servatur in Curiis ecclesiasticis (2). Post decretam publicationem collitigantibus vicissim licet testium depositiones percontari, et perlegere (3).

XXXVI. Post publicationem , antequam caussa per sententiam terminetur , exceptio , et probatio criminum contra testes iam examinatos exhibenda (4). Idcirco iure communi terminus *repulsae* testium petitur post publicationem usque ad sententiam, dummodo ante publicationem praecessit protestatio eam petendi : alias, huiusmodi protestatione omissa, iurari debet, quod non ex malitia, neque calumniandi animo repulsare is intendit , vel quod post publicationem crimina obiicienda didicerit , qui volet repulsae terminum petere , atque obtinere (5). Regni autem iure petenda est repulsa *intra decem dies* a die traditi processus ad percontandum numerandos (6). In praxi autem peti potest , antequam conclusio fiat (7).

XXXVII. Repulsae terminus regulariter est principalis termini ad probandum dati medietas. Libello ea petitur per alterutrum litigatorem citra iurandi animum , qui parti adversae notificandus est. Haec autem si dilationes resecare malit, vel consensum praestet, dicens *non impedire eam concedi* , *dummodo non utatur articulis impertinentibus* , *aliisque iure non admittendis.* Vel aliquid obiicit , quare non concedendam repulsam postulet : puta eam non fuisse reservatam in calce citationis testium, vel post temporis lapsum petitam, vel testes ab ipso repulsante , alias productos , et probatos. Tum decernitur, quod *concedatur petenti N. terminus iuris super petita repulsa:* vel *terminus dierum duorum* , *quatuor* , *quinque*, tot scilicet, quot aequabunt medietatem probatorii termini principalis. In cuius decreti calce petitor iterum *offert* deponere, nominatque testes reprobatorios, ubinam degant, et examinandi sint , et postulat , si opus erit , delegationem examinis. Ex adverso altera pars reponit eadem fere , mutatis mutandis , quae in compilatione termini principalis dicta iam sunt. Deinde articulis repulsae offeruntur probanda ea facta, quae detegant singulas testium personas vel domesticas , consanguineas , seductas , vel infames, et iure prohibitas ad testificandum , vel dicta eorum testimonia ex temporis , aliarumque circumstantiarum arctatione omnino falsa , et incredibilia (8).

(1) *Ex pragm. ann. 1738. §. 1. art. 28.*
(2) *Ex cap. consuluit 24. de offic. , et potest. iudic. delegat.*
(3) *L. 2. C. de edendo , cap. praesentium 31. de testib. , et pragmatica cursu dilationum 11. tit. de ord. iudic.*
(4) Coelest. III. in *cap. 1. de exceptionib.*
(5) *Ex clt. cap. praesentium.*
(6) *Ex ritu M. C. 79. , et prag. cursu dilationum de publicat. process.*
(7) Capicius *dec. 157.*
(8) *Cap. praesentium 2. de testibus in VI.*

Post testes denique ad repulsam examinatos fit decretum *publicationis* eorundem.

XXXVIII. In Curiis ecclesiasticis repulsantur quoque testes reprobatorii in *secundae repulsae* termino, quam repulsam repulsae nuncupant (1): qui tamen medietatem primae repulsae non excedit (2). Eoque expleto probationes productae decreto item publicationis vulgantur. At in tribunalibus laicorum secundam repulsam abolevit memoria nostra Pragm. *an. 1738. 14. Martii §. 1. art. 25.*, quae provide cavit, ut in uno, eodemque primae repulsae termino partes ambae testium adversorum personas, ac testimonia eliderent vicissim, ac reprobarent, eamque ob rem altera alterius articulos ante conspicerent, mutuo notificandos.

XXXIX. Si vero cui ex litigantibus sit privilegium restitutionis in integrum, puta minoribus, Ecclesiis, Universitatibus, collegiis, viduis, Fisco, ceteris: dabatur olim bis gradatim alius terminus ad producendum novas probationes, vel ad pinguius probandum (3). Eum regnicolae nuncupabant *terminum primi*, *et secundi beneficii* (4): idest *primae*, *et secundae restitutionis in integrum*. *Primi* beneficii terminus erat probatorii termini medietate haud longior, et alterum erat dimidium primi (5), salva iudici facultate illius protrahendi, vel breviandi. In utroque duplicis beneficii termino partes faciebant ex integro probationes fortasse neglectas, adversos praeterea testes mutuo repulsabant (6), non aliter, quam in termino principali. Partes inquam ambae, etiam alterutra, cui restitutio in integrum non competeret: quia termini omnes iudiciales utrique quum actori, tum reo sunt communes, quamvis alterutro solum petente concedantur, et litis consortium facit, ut alter alterius utatur privilegio (7). Regia tamen Pragmatica paullo ante laudata (8), terminus secundi beneficii omnino sublatus est in foro laicali, eaque lege permissus tantum *primi* beneficii terminus, ut procuratores personarum privilegio restitutionis fruentium, qui probationes facere necessarias in principali caussa, seu termino neglexerint, ad reficienda dictis personis illata damna cogantur: iique si repulsam in primo beneficio postulatam non probaverint, solvant poenam ducatorum viginti quator. Pars autem ex adverso si beneficii consortio uti volet, inhaerebit petitioni adversae intra decem dies ab eadem petitione decurrendos (9). Vix itaque in foro ecclesiastico post hanc regiam constitutionem secundum restitutionis beneficium permansit.

XL. Decursis omnibus ad probandum terminis, iisque, uti aiunt prag-

(1) Ex eodem *cap. 2.*
(2) *Ex pragm. cursu dilationum de publicat. process.*
(3) *L. minor 36. D. de minoribus.*
(4) *Ex cit. pragm. cursu dilationum* in fine.
(5) *Ex ritu M. C. V. 71.*
(6) Reg. de Rosa in *prax. civ. inst. 1. cap. 6. dist. 3. num. 53.*
(7) *L. petendae 6. C. de temporibus in integrum restitutionis, l. 1., et 2. C. si adversus transactionem*, Montan. *controv. 71. num. 1.*
(8) Pragm. *an. 1738. §. 1. num. 29.*
(9) *Cit. pragm. an. 1738. §. 1. num. 20.*

matici, compilatis, postquam *facta publicatione* partes acta acceperint, et dies aliquot ambae perlegerint, altera instante, alteraque praemonita in Curiis ecclesiasticis adhuc sit *decretum conclusionis*, quo processus clauditur, ne aliae amplius producantur probationes tam testium, quam scripturarum (1). A foro tamen laico tam citatio ad concludendum, quam conclusionis decretum exulavit (2): et perbelle quidem. Nam usus iam inoleverat admittendi novas scripturas, et probationum instrumenta non modo post conclusionem, sed post monitionem quoque ad dicendum, caussamque introductam pro eius expeditione (3).

XLI. Propterea in eodem foro ecclesiastico si publicae scripturae post conclusionem praesententur, novus arbitrio iudicis conceditur *terminus* parti producenti ad eas *concomitandum*, parti adversae ad impugnandum (4). Verum in laicali foro (5) terminus hic ad concomitandum, atque impugnandum omnino submotus est, eo pacto, ut de productis fere scripturis habeatur ea ratio, quae de iure habenda erit.

XLII. Expletis omnibus probationibus, cunctisque terminorum curriculis emensis post conclusionem in foro sacro, post actorum percontationem utrinque factam in foro profano, sit *monitio* ambarum partium ad allegandum in facto, et iure pro expeditione caussae, ut iudicem voce, ac scripto de iuribus suis eae informent, productasque probationes coram eo discutiant cum advocatis, et procuratoribus. Iudex enim antequam litem definiat, negotii actores requirere, auresque suas eorum quaestionibus, et argumentis debet reserare (6).

XLIII. Quoties termini probatorii curriculum effluxerit sine ulla testium productione, in eoque scripturae solum, et instrumenta edita sint, omisso decreto publicationis, et simul conclusionis, in foro laicali terminus probatorius monitione super expeditione caussae clauditur. In foro autem ecclesiastico clauditur decreto conclusionis, omissa publicatione. Termini eo casu *chartularii* compilationem aiunt factam pragmatici; rectius dices *chartarii* cum Plinio, vel *chartacei* cum Ulpiano.

XLIV. Partibus plene auditis in contradictorio, caussaeque meritis hinc inde perpensis, iudex edicit *citationem ad audiendam diffinitivam sententiam* certo die iuridico (7). Tum ipso die indicto sententiam solemniori forma exaratam notarius caussae coram iudice pro tribunali

(1) *Cit. cap. cum dilectus 9. de fide instrument., et pragm. post conclusionem sub tit. de ord. iudic.*

(2) *Ex cit. pragm. ann. 1738. §. 1. art. 28.*

(3) Afflict. *dec. 271.*, *et 272.*, et Borrell. in *summ. dec. tit. 26. num. 18. tom. 2.* Qui monet ideo decerni, quod *fiat conclusio in forma*, ut reservetur facultas praesentandi scripturas usque ad sententiae diffinitivae prolationem, adepta omnino facultate producendi testes.

(4) *Cap. sedes 26. de testibus.* Afflict. *loc. cit.*, *et prag. cursu dilationum de ord. iudic.*

(5) *Cit. pragm. 14. Martii 1738. §. 1. art. 27.*

(6) *L. iudices 9. C. de iudic.*, et *cap. dudum 22. de electione.*

(7) *Cap. eum qui 2. de dol.*, *et contumac. in VI.*, *cap. consuluit 23. de offic.*, *et potest. iudic. delegati*, *cap. cum olim de testibus*, *et clement. saepe de V. S.*

sedente, ac duobus saltem testibus palam legit, ac promulgat, quae vel absolutionem, vel condemnationem continens finem controversiae imponat (1). Ex. gr., quod *Gaius absolvatur ab impetitis pro parte Titii*, ubi actor intentionem suam non probavit. Vel *quod absolvatur ab observatione iudicii*, si peremptа instantia instructum illud sit. Vel quod *melius instructo processu, providebitur*, quando iudicii ordinem nullitates corruperint. Cuiusmodi absolutionum formae in utraque actione quum reali tum personali usuveniunt. Aut e contrario, *quod Gaius condemnetur ad solvendum summum ducatorum mille una cum interesse a die nundinarum Salerni pro quantitate liquidanda, pro qua liquidatione in biduo audiantur partes:* si probata quidem sit actoris intentio quod ad sortem, sed quantitas interusurii non liquida appareat. Vel *condemnetur ad dandum mille frumenti modios, sive pretium liquidandum, pro qua liquidatione, in biduo audiantur partes*, si rei species, non pecuniae quantitas sit petita, et haec minime liquidata. Si vero interesse iam sit liquidum, condemnatur ad *solvendum ducatos mille pro convento pretio mille modiorum frumenti una cum ducatis*, ex. gr. *centum pro interesse lucri cessantis, et damni emergentis*. Si autem pacto contrahentes illud iam taxaverint, ut plerumque fit, ad certam quotannis rationem 5. in 100, plus minusve; dicitur *una cum interesse convento a die contractus, vel a die litis contestatae, de quo fiat calculus per scribam caussae* (2). Haec plane condemnationis decreta actionem personalem spectant. Et quoties actio realis mota sit, *condemnatur reus conventus ad restituendum, et relaxandum in beneficium actoris territorium, vel domum, aliudve praedium, aut rem in actis deductam una cum fructibus a die litis contestatae liquidandis:* illud, illamve si mala fide possederit, *victumque victori in expensis condemnari* mos est in eadem quoque sententia (3). Aut si actione confessoria, vel negatoria de servitutibus, iuribusque incorporalibus litigantes contenderint, *condemnetur reus conventus, ut patiatur actorem uti petita servitute viae, itineris, actus, aquaeductus, pascendi, ligna caedendi, tigni immittendi, eumque ea in re non perturbet, nullaque molestia afficiat, neque impediat, et idoneam praestet cautionem ipsum amplius non impediendi, neque perturbandi:* vel e contrario, *ut ea servitute non utatur, aut ne transitum,*

(1) *L. 1. D. de re iudicata, et cap. in his 15. de V. S.*

(2) Regens de Rosa *in prax. civ. decret. part. 1. in 1. instant. de ord. iudic. cap. 7.* huiusmodi formulas tradit.

(3) Rex Ferdinandus an. 1477. in gram. 1. *de expensis* generatim iussit, *victum victori in expensis per sententiam condemnandum, vel ex iusta caussa absolvendum*, prohibens *in sententiis expensarum condemnationem reservari.* Et Imp. Fridericus II. in Regni *const. divorum Principum* tit. *de expensis* antea statuerat, ut omnes iudices *victoribus victos, quos ignorantiae caussa probabilis, et evidens non excusat, condemnare debeant in expensis: arbitrio victoris vel probationibus liquidandas, vel iuramento indicandas, et arbitrio iudicis taxandas.*

viam, vel iter habeat per fundum actoris, eaque de re idoneam praestet cautionem (1).

XLV. Lapsis inde a lecta, lata, et promulgata sententia decem diebus, si appellatio, vel gravamen nullitatum, aut restitutionis in integrum, aliudve iuris beneficium rite obiectum eam non suspenderit, parte, quae succubuit, minime citata, decernitur, *sententiam eo die latam transitum fecisse in rem iudicatam, ac proinde esse executioni demandandam* (2).

XLVI. Quem hactenus delineavi ordinem iudiciarium, eum ipsum fere in utroque foro servant nostrates, quotiescumque factum incertum, et dubium, probationibusque legitimis rite liquidandum in quaestione sit, praeterquam iis in causis, quae summariam, brevioremque notionem postulant, suo loco infra enumerandis, tamquam exceptionibus regulam in contrarium firmantibus: et quoties litis aestimatio nummos duodecim aureos excedat. In his porro causis ambiguis supra duodecim aureos tam magna Curia Vicariae, quam regium S. Clarae Consilium consueverunt ordinario fere termino procedere, suam nisi actor intentionem extemplo probaverit, aliquam ex illis exhibendo scripturis, quae paratam in iudicio executionem promerentur (3). Itaque instrumenta non solemnia, scripturaeque obligationum privatim confectae; cuiusmodi sunt apochae, antapochae, chirographa, epistolae, litteraeque missitiae, id genus aliae; quibus publicam plenamque fidem denegant leges, moresque nostri; nullam obtinent executionem, nisi ordinario antea ritu comprobentur: quinimmo publica etiam instrumenta, quoties validis exceptionibus obscurentur, eorum via, ut aiunt executiva tunc in ordinariam convertitur (4). Modum exequendae sententiae diffinitivae nunc tradamus oportet, antequam ordo iudicii appellationis describatur.

TIT. XVI.

De executione sententiae reique iudicatae.

I. Sententiae in rem iudicatam transactae ut pareat qui succubuit, praeceptis primum decernitur.

II. Tum executoriae litterae realiter tantum victori dantur, ut eam armata iudicis familia reapse exequatur, quae antea illustribus, dignisque personis ostenduntur. At bonis deficientibus, rei persona tunc in carceres trahitur.

(1) Hasce, aliasque sententiarum formulas habet Carol. Pelegrinus in *praxi Vicar. part. 2. sect. 3. subsect. 3.*, *et ult.*

(2) Ex *cap. ad consultationem 15. de sent.*, *et re iudic.* et Auth. *hodie C. de appellat.*

(3) Leonard. Ricc. in *praeludio prax. civ. part. 2.*, *num. 4*, *et 5.*

(4) Carlevelius *lib. 1. de iudic. tit. 2. disp. 8. num. 36.*, Marad. in *prax. liquid. instrum. cap. 2.* Franciscus de Constantio ad *pragm. 11. de negantibus mutuum.*

III. Captis sub sequestro bonis expeditur mandatum ad reluendum.

IV. Horum aestimatio deinde fit a peritis, mox licitatio, et subhastatio.

V. Post licitationem Fiscus, et Ecclesia obtinent communi iure novas licitantium adiectiones ultra sextam, et decimam.

VI. Decimam intra dies XL. cuivis licet offerre ante possessionem licitatoris, postea sextam intra menses tres ex iure municipali.

VII. Nedum Fisco, sed Universitatibus, Ecclesiis, pupillis, et minoribus etiam novas eiusmodi adiectiones indulgent mores.

VIII. Praeterea nemini: nisi ultra sextam laesio inciderit in subhastatione, quae ad finem providendi primum fit, mox ad finem liberandi.

I. Promulgatam sententiam, postquam ea in rem iudicatam transiverit, iudex executurus (1) vel tribus antea praeceptis, vel duobus, vel uno saltem peremptorio iubet, ut qui succubuit rem illam, illudve praedium actori *intra tot dies cum effectu, praecise, et peremptorie restituat iuxta formam sententiae eo die prolatae*, si actio realis in iudicio mota, et exercita sit, aut ea si personalis fuerit, ut *intra tot dies peremptorie solvat iudicatas pecuniarum quantitates, alias expediantur, et consignentur executoriae litterae.* In regio autem Consilio S. Clarae in utroque reali, et personali iudicio unum semel sit *mandatum de parendo sententiae peremptorium*, hoc est ei, qui succubuit, praecipitur, ut *intra tot dies pareat sententiae, alias expediatur, et consignetur mandatum executivum.*

II. Dein elapsis hisce diebus litterae executoriae realiter tantum in publica forma dantur victori, quarum auctoritate manus militaris, videlicet armata iudicis, et tribunalis familia possessionem praedii, alteriusve rei a reo in actorem transfert, ubi realiter actum sit, aut ex bonis damnati litigatoris pignora capiuntur aequivalentia petitis personali actione quantitatibus, et sequestro dantur. Victus enim in personali iudicio ex vetustis Regni moribus non habet dilationem quadrimestris adsolvendum, a Iustiniano tam reis ipsis, quam eorum fideiussoribus indultam (2). Damnatos autem reali actione lex Iustiniani etiam compellit sine mora ad parendum iudicato (3). Illustribus personis, ceterisque dignioribus *ostendatur* oportet mandatum executivum aut unum, aut plures dies, antequam manus militaris ad capienda earum bona accedat, ut eae ipsae ultro valeant ea, si maluerint, offerre, vel satisfa-

(1) Innoc. III. in *cap. pastoralis 28. §. quia vero de offic. delegat.* Episcopo Heliensi rescripsit, quod Ordinarius *in executione sententiae*, si sciat sententiam illam iniustam, exequi nihilominus tenetur eamdem: nisi apud eum efficere possit, ut ab hoc onere ipsum absolvat.

(2) *In ult. C. de usuris rei iudicatae.*

(3) Doctore ex §. *si rem tit. Institut. de offic. iudicis.*

cere. At debent famuli Curiae reapse pignora capturi servare ordinem lege praescriptum (1). In primis scilicet capient mobilia, praesertim semoventia, his deficientibus immobilia, nimirum praedia, vel urbana, vel rustica: postremo iura, et nomina debitorum. Bona si nulla se reperisse famuli retulerint: iudex in ipso mandato executivo rescribit, quod *exequatur personaliter*, scilicet persona debitoris capiatur ad carceres trahenda, ut non habens in aere luat in corpore intra carceres (2).

III. Sequestro posita dum sunt pignora, fit protinus in cunctis Regni Curiis (praeterquam in sacro regio Consilio) *mandatum ad reluendum*: scilicet decernitur, *quod reus in biduo solvat debitam pecuniae quantitatem, et sic reluat bona executa, alias, termino elapso, procedatur ad eorum venditionem, praevio appretio, et partes in biduo dent notam suspectorum, ut aestimatores inde non suspecti eligantur* (3).

IV. Electi mox duo periti extra Neapolis districtum, vel unus tabulariorum S. R. C. intra districtum similiter electus, postquam bona aestimaverint, iustum valorem scripto nunciabunt (4): et ubi praedia sunt conspicua, et ampla, praesertim feuda, iudex ipse ad ea aestimanda una cum peritis accedet (5). Facta pignorum aestimatione, licitatores publicis edictis invitantur intra certos inibi designandos dies, quorum oblationes admittuntur in primis cum *sexta* aestimati pretii parte subtracta (6); eum in finem, ut *sexta* lucro magis alliciantur ad emendum sub hasta quum extranei licitatores, tum creditor ipse, commodo sextae gavisurus, qui sentiet incommodum accipiendi pro nummis res plerumque invisas, sibique non necessarias (7). Postea subhastantur bona, quae plus offerenti sub hasta, vel liberantur, si licitatio pretium aequaverit, vel excesserit; aut deficientibus licitatoribus eidem ipsi creditori adiudicantur pro iusto pretio irrevocabiliter. Nam Iustinianus (8) censuit rem immobilem, quam debitor habeat meliorem, facta per iudicem subtili aestimatione, creditori recte dari. Si tamen quid minus aestimato pretio licitatores ultimi obtulerint, eis possunt bona sub hasta liberari cum pacto retrovendendi pro eodem minori pretio infra tres, pluresve arbitrio iudicis annos (9).

(1) Pius Imp. in *l. a divo Pio 15.*, *et sequent. D. de re iudicata.*

(2) *Si debitor, vel fur aliquos sustinet cruciatus a repetente, dum existimatur habere, quod reddat, nulla est iniquitas: quia etsi non est, unde reddat ablatam pecuniam, merito tamen, dum eam per molestias reddere compellitur: peccati, quo male ablata est, poenas luit*, S. Augustinus scribit ad Macedonium in *can. si res aliena 1. C. 13. qu. 6.*

(3) Leon. Ricc. in *prax. civ. par. 3. lib. 1. cap. 31.*

(4) *L. fin. C. de iure dominii impetrandi, l. ad edictalem §. in illud C. de secundis nuptiis, pragm. 11. de magistris artium.*

(5) *L. 8. §. ad officium D. finium regundor. Si res ita sit*, Ulpian. ait.... *oculisque suis subiectis locis.* Cui consonat Scaevola in *l. inter 44. D. de recept. arbitr.* (6) De Franchis *decis. 120.*

(7) Regens de Marinis *lib. 2. resolut. 42. num. 6.*, idemque ad Reverterium *decis. 453. num. 1.*

(8) Iustin. *Novel. 4. cap. 3.*, et auth. *hoc nisi C. de solut.*

(9) Regens de Rosa in *prax. civ. decret. cap. 1. num. 30.*

V. Emptioni venditioni sub hasta perpetuam attribuit firmitatem Constantinus Imperator (1). Privilegia nihilominus Fisci, et Ecclesiarum dant locum novis licitatorum adiectionibus, scilicet *ultra sextam, et decimam.* Ius Pandectarum certa quum non definisset tempora ad novas faciendum oblationes pro rebus fiscalibus sub hasta venditis : id arbitrio Procuratoris Caesaris, seu magistratus, qui hastae praesideret, statuenda reliquit (2). At Iustinianus viginti dies post peractam rerum Ecclesiae licitationem indulsit novis oblatoribus (3). Hinc nonnulli Doctorum aequantes mutua Fisci, et Ecclesiae privilegia hastam fiscalem eodem spatio dierum conclusam Iure communi arguunt: alii cum Amaia (4) rectius negant antiquum ex legibus Romanis arbitrium Procuratoris Caesaris Iustinianaea lege sublatum, quae hastae tantum ecclesiasticae tempora coarctat. Excepto Fisco, et Ecclesia favor adiectionis, novaeque oblationis post res licitatas Romano iure nec etiam civitati indulgetur, nisi a Principe privilegium ea obtinuerit speciale (5).

VI. Hoc in regno, ut ne arbitraria, et incerta essent tempora novis licitationibus rerum fiscalium, cautum est, ut post actam licitationem, antequam sit in licitatorem ultimum translata possessio, cuivis intra dies quadraginta liceret *decimam* super offerre, post traditam vero possessionem intra tres menses *sextam* adiicere, et nil ultra (6). Praeterea statutum est anno 1634., *nullum aliud restitutionis beneficium fore Fisco dandum ex quavis laesione, etiam enormi, ultra dimidium iusti pretii, post praeterita adiiciendae sextae, et decimae intervalla* (7). Ecquis enim, si nullum haberent finem licitationes, suum ad res Fisci licitandas animum adiiceret? Porro publica fides hastae fiscalis convellenda facile non est (8). Ab aequo proinde, et iusto exorbitare illorum sententia videtur, qui privilegium taciti pacti adiectionis in diem oblationis puta maioris post subhastationem, quo Fiscus tantum gaudet, nullo unquam cursu temporis absumi (9). Ob fraudem vero in subha-

(1) In *l. fin. C. si propter publicas pensitationes.*

(2) *L. 4. C. de fide, et iure hastae fiscalis, et de adiect.*

(3) *Novella 120. c. 6., et auth. hoc ius porrectum C. de sacrosanct. Eccl.* Bart. Accurs. Gothofr. ad *cit. l. si tempora.*

(4) Amaia ad *tit. 10. C. de iure, et fide hastae fiscalis num. 58.*

(5) *L. Lucius Titius 21. §. ult. D. ad municipalem.* Id quod placuit etiam Antonino Imperatori in *l. 1. C. de vendendis rebus civitat.* observat hic Antonius Perez in *eod. tit. de iure, et fide hastae fiscal. num. 4.* hoc ipsum speciale fisci privilegium, quod in rebus eiusdem venditis licitatione publice facta, tacita subintelligatur conditio, ratam tunc demum venditionem rei fiscalis manere apud eum, cui sit addicta, nisi alius intra praescriptum licitationis tempus superveniet offerens meliorem conditionem, *l. 4. C. eod. tit.*

(6) *Pragm. 71. de offic. Proc. Caesar. an. 1651.*

(7) *Pragm. 75. eod. tit. edita an. 1634.*, qua hoc in casu derogatum est *l. 2. C. de rescind. vendit.*

(8) *L. 8. C. de remissione pignoris.*

(9) Haec sententia placuit Reg. de Ponte in *tract. de regalib. imposit. tit. 4. §. 5. num. 50.*, et Ioan. Leon. Redoerio *cons. 44.* At contra eam scribens Praesidens Ursinus apud Reg. de Marinis *tom. 1. cap. 147. num 16.* cen-

statione admissam, aliamve caussam legitimam novas non semel oblationes acceptas fert Maradeus (1).

VII. Tametsi iam dicta Pragmatica LXXI. *de officio Procuratoris Caesaris* pro locatione solummodo fiscalium rerum caverit: extensa tamen moribus est ad venditiones quaslibet nedum rerum fiscalium, sed quaslibet etiam alienationes Universitatum, Ecclesiarum, pupillorum, minorumque; propterea quod horum omnium conditio consuevit hac in re cum Fisco aequiparari (2).

VIII. Pro aliis vero personis hoc privilegio non fruentibus post semel perfectam licitationem, quae primum fit *ad finem providendi*, tum *ad finem liberandi* (vulgus ait *a tutta passata*): nulla omnino admittitur oblatio decimae, aut sextae, ne publica iudicialis hastae auctoritate decipiantur licitatores, quaesitumque ipsis exinde ius adimatur (3): nisi in licitando laesio *ultra sextam* inciderit: hoc enim casu, non de lucro novae adiectionis captando, sed debitoris damno agitur, quod ut vitetur, novam idcirco subhastationem iuris aequitas indulget (4). Quoniam sententiae executionem saepenumero eludit appellatio: ad hanc operae nunc pretium est convertere sermonem.

TIT. XVII.

De appellationis iudicio.

I. A prolata sententia appellaturus libellum appellationis debet intra decem dies exhibere apud acta iudicis, a quo.

II. Hic nihil eo viso fere decernens litteras Tribunalis superioris expectat.

III. Appellantis libellum cum tenore sententiae inspiciens iudex, ad quem suas dat litteras inhibitorias, transmissionem actorum imperantes.

IV. Et post eas adversario collitiganti, et iudici a quo notificatas, hoc acta non transmittente, dat ad ipsum compulsorias.

suit opinionem de tacito pacto adiectionis in diem in fiscalibus rebus licitandis profluxisse ex ignorantia iuris; illudque vix locum habere, si intra terminum pro hasta fiscali constitutum fiat nova oblatio, secus post legitimas subhastationes, terminosque faciendarum auctionum transactos.

(1) Maradeus *observat. 56. num. 30.* ex Collater. Consil. *decis. die 9. Octobri 1699.*

(2) Regens de Rosa in *prax. civ. decret. cap. 1. num. 28.* Nam ex *l. etsi sine dolo §. quaesitum D. de minor. Quotidie Praetores eos* (hoc est minores) *restituunt, et rursum admittunt ad novam licitationem propter lucrum. Hodie*, Ulpianus inquit, *certo iure utimur, ut et in lucro minoribus succurratur, l. ait Praetor 7. §. hodie D. eod. tit.*

(3) *L. quocumque D. de fide, et iure hastae fisc. l. 1. C. de vendit. rer. civit. l. si hypothecas C. de remiss. pignor. l. cos, qui auctione C. de diversis praediis urbanis, rusticis, et civit.*

(4) Praeses de Franchis *decis. 120.*, Ursill. ad Afflict. *decis. 340.*

V. Si autem appellans neglexerit copiam actorum accipere, iudex ad quem, partibus auditis desertam declarabit appellationem, et moderatoriis litteris rescribet pro exequenda sententia.

VI. Transmissis vero actis debet appellans intra annum, vel ex caussa biennium prosequi appellationis iudicium.

VII. Iisque acceptis, iudex ad quem, et rite apertis continuo decernit terminum ad non posita ponendum, et non probata probandum.

VIII. Novas inde probationes fas est utrique parti proferre iisdem fere in iudicio primi gradus ordinario consuetis ritibus.

IX. Post hæc iudex ad quem pronunciat, vel male appellatum, et bene iudicatum, vel vice versa.

X. A sententia, vel decreto diffinitivo appellationi semper locus est: ab interlocutoriis vero tantummodo, si ea gravamen intulisse appellanti ex iisdem actis liqueat.

XI. Quare appellatione ab interlocutorio interposita iudex ad quem, visis post solemnem aperturam actis, auditisque partibus debet primum decernere, vel stantibus gravaminibus caussam coram se remanere, vel eam iudici, a quo remittendam esse.

XII. Appellatio legitima, et iudicium devolvit ad Tribunal superius, et suspendit executionem diffinitivae sententiae semper, decreti vero interlocutorii post inhibitionem rite nunciatam.

XIII. Leges autem civiles vim suspendendi sententiam, decretumve diffinitivum appellationi adimunt in quinque caussarum generibus.

XIV. In aliis praeterea constitutiones ecclesiasticae a Benedicto XIV. explicitae.

XV. Simul, et in executione decretorum S. Concilii Tridentini.

XVI. Puta pro divino cultu in Missarum Sacrificiis observando, pro cogendis ad publicas processiones exemptis, pro litibus praecedentiae dirimendis, pro censuris episcopalibus, festisque diebus servandis, et divinis chori officiis.

XVII. Insuper in iis, quae animarum curam spectant, et Ecclesiarum Parochialium regimen, et Parochorum disciplinam.

XVIII. Nec non ministerium Sacramenti Poenitentiae, et praedicationem, et ordinum collationem, aut exercitium.

XIX. Insuper pro clausura monialium, pro erectione, ac regimine Seminarii, pro vita, et honestate Clericorum, pro visitatione pastorali, et contra desertores vitae, ac vestis clericalis.

XX. Simul contra regulares extra claustra delinquentes, concubinarios, aliosque criminosos.

XXI. Contra examinandos ad beneficia, et notarios clericos, et capitulares, vacante Sede, oeconomos, et debitores mercedum.

XXII. Benedicti XIV. constitutio de moderandis appellationibus, ubi non extendatur in laicos, vim suam in Curiis Ecclesiasticis obtinet.

XXIII. Quae Romanae Curiae praescribit in appellationibus modum concedendi litteras cum inhibitione, aut sine ea citatorias.

XXIV. Easque nonnisi constito de appellatione legitima, ac tenore sententiae, seu decreti gravantis expediendas fore.

XXV. Appellans ab indebita carceratione, vel tortura, vel excommunicatione in eodem carcere, ac statu manebit, quoad visis actis, aliter decreverit iudex ad quem.

XXVI. Appellationum iudex in secundo gradu Metropolitanus cuiusque provinciae, in tertio Curia Romana est, quae vices Metropolitae gerit in dioecesibus Romanae Sedi subiectis immediate.

XXVII. Romanum vero Tribunal A. C. monitoria super executione litterarum apostolicarum, decretorumque S. Congregationum concedit in primo gradu secundum decreta Urbani VIII. a Benedicto XIV. declarata.

XXVIII. A primo ad tertium iudicem, omisso medio, appellationem vetant leges civiles, et municipales.

XXIX. At iura canonica eam ad supremam Sedem Romanam probarunt, quamvis nonnulli Patrum avertere trasmarinas appellationes studuissent.

XXX. In his Galli etiam Episcopi fuere.

XXXI. Huius regni antiquae leges, et mores indulgebant libertatem appellandi ab Episcopis omisso Metropolitano ad Sedem Romanam, quae regio rescripto adempta nuper est.

XXXII. A tribus conformibus sententiis, vel ab una in rem iudicatam semel transacta appellare licet nemini.

I. Litigatorum quicumque succubuerit, seque gravatum sententia putabit, si volet coram iudice superiore sua iterum iura experiri, debet intra decem dies a promulgata sententia numerandos appellare (1): scilicet exhibere penes acta *iudicis a quo* libellum appellationis, quo breviter exponat latam contra se sententiam, laesionemque iuribus suis factam: deinde concludat, *quod ab eiusmodi sententia sibi adversa provocat, et appellat ad eum iudicem, illudve tribunal superius, et aeque principaliter de nullitate dicit, atque intendens appellationis caussam agere, postulat non semel, sed bis, et iterum instanter, instantius, et instantissime apostolos cum protestatione, quod per se*

(1) *Cap. concertationis 8. de appellat. in VI., et Auth. hodie C. eod. tit.*

non stet eosdem accipere; intereaque nihil, appellatione pendente, innovari, neque ad exequendam ullatenus sententiam procedi, aliter dicit de nullitate attentatorum, omni modo meliori. Sufficit enim uno contextu appellare, et petere apostolos (1).

II. Libello hoc praesentato, visoque, iudex *a quo* fere nil decernit, expectaturus litteras inhibitorias iudicis *ad quem* intra mensem iure communi producendas (2). In utroque sane foro exoleverunt appellationum apostoli (3): puta litterae iudicis, *a quo* interpositam appellationem nunciantes iudici *ad quem*, eamque vel pure admissam, quia legitimam, vel iure merito reiectam, vel iuste reiiciendam, sed reverenti erga Superiorem animo receptam, quas idcirco vel *remissorias*, vel *refutatorias*, vel *reverentiales* invitis latinis nuncupabant.

III. Appellans posthaec iudicem adit superiorem, eique exhibet praecipuum appellationis libellum, una cum sententiae gravantis tenore, eiusve transumpto, postulans transmissionem actorum, litterasque inhibitorias. Iudex autem superior, quoties appellatum a diffinitiva sententia sit, protinus iubet, ut *iudex* a quo *acta omnia intra tot dies transmittat, in ea caussa amplius non procedat, et omnia innovata ad pristinum reducat. Innovata*, seu *attentata* dicuntur, quae vel intra dies decem ad appellandum iure concessos, vel post interpositam appellationem quum ab ipso iudice *a quo*, tum ab adversario collitigatore fiant in vim sententiae, a quo appellans provocaverit; ipso iure irrita, ideoque revocanda (4).

IV. *Inhibitorias* mox litteras hocce decretum continentes rite notificari nedum appellato, seu adversario collitiganti, sed etiam iudici *a quo* appellans curabit, iustamque laboris mercedem scribae solvens pro redigendis in apographum exemplum actis, ea ut clausa, et obsignata intra dies inhibitoriis litteris praefixos reapse transmittantur, efflagitabit. Si vero iudex *a quo* actorum copiam transmittere, seu appellanti tradere clausam, obsignatamque renuerit: eum iudex appellationis ad parendum coget litteris, ut aiunt, *compulsoriis* (5).

V. Appellantis autem negligentia si procrastinetur actorum exscriptio, ac transmissio, appellato instante, decernitur a iudice *ad quem*, quod *appellans infra tot dies procuret transmissionem actorum, alias providebitur super desertione appellationis.* Tum statis diebus elapsis, altero praecepto iubetur, *ut infra tot dies alios praecise, et peremptorie producat copiam actorum, alias dicto termino elapso, appellatio deserta remaneat.* Isthaec praecepta mos tribunalium permittit nedum intra 30, vel

(1) Clementina *quamvis 2. de appellat.*

(2) *Cap. ab eo 6. de appellat. in VI.*, *l. iudicibus C. eod.* Clement. *quamvis eod. tit.*, *et Regni constit. appellationum tempora, Pragm. 1. de appellat.*

(3) Claudius Fleury *Instit. iuris eccles. par. 3. cap. 23.*

(4) *Cap. 1.*, *et 2. de appellat. cap. ut super 4. eod. tit. in VI.*

(5) Constantinus Imp. in l. ne causas 15. C. de appellat. acta omnia ad iudicem appellationis transmittenda iussit. Citationes typis cameralibus impressas, quamvis ab nemine iudicum Romanae Curiae subscriptas vim inhibendi habere post legitimam earum executionem, declaravit, et iussit Bened. XIV. in *const. Romanae Curiae 115. §. 3.*, *et seq. tom. 1. Bullarii.*

XL. dies, verum etiam postea, quum iudici potestas sit eosdem dies, vel contrahendi, vel protrahendi (1). Nam plura impedimenta, longitudo itineris, prolixitas actorum exscribendorum, negligentia scribae, adversarii technae solent plerumque a deserta appellatione appellantem excusare. Actis denique intra tempora condicta non transmissis, monitis, auditisque partibus decernit iudex appellationis *interpositam appellationem fuisse desertam, ac proinde rescribatur Curiae N.*, quod *suam exequatur sententiam, appellatione praedictae non obstante*, vel *inhibitoriis litteris non obstantibus.* Relaxantur inde litterae, ut aiunt, *moderatoriae*, quibus inhibitio dissolvitur, ac dissoluta nunciatur iudici *a quo.* Verum si terminis decursis paulo post sequatur transmissio actorum: auditis denuo partibus arbitratu aequi, et boni viri, adhuc aliquando decernitur, *quod procedatur ad ulteriora in caussa appellationis, exceptione lapsus fatalium non obstante.*

VI. Transmisso ad appellationis iudicem processu, debet appellans iudicium coram eo prosequi intra annum, aut ex caussa biennium (2). Currere hoc spatium incipit a die interpositae appellationis in foro ecclesiastico (3): laico a die aperturae actorum (4). Tempora ista vocitantur *fatalia* appellationis, propterea quod iisdem elapsis, appellatio deserta fato quidem suo pereat: nisi iudex, *ad quem* ea vel protrahere longius, vel breviare ex aequo, et bono moribus id indulgentibus censuerit.

VII. Actis ad se transmissis iudex appellationis ante omnia citat ambas partes ad videndum ea coram se aperiri. Condictoque die, facta eorumdem apertura, quam describet ad rei gestae memoriam caussae notarius: dat sine mora terminum (quoties appellatum a sententia, vel decreto diffinitivo sit) *ad non posita ponendum, et non probata probandum;* aut *ordinarium*, aut *summarium* pro qualitate caussae. Nam appellatio iudicium reducit ad litis contestatae articulum (5).

VIII. Hinc ambo collitigantes novas ex integro facient probationes in nostratibus utriusque fori Curiis eodem fere modo, quo solent in primo iam exposito gradu. Positiones, et articulos ex integro producunt ea continentes facta, quae ad eam ipsam in primo gradu definitam caussam spectant, non ad diversam, et extraneam: alias ut *impertinentes* reiiciuntur, et resecantur. Tum productis hinc inde scri-

(1) Caravita, et Petra *super M. C. ritu 271.* Trid. in *cap. 2. sess. 13. de reform.* statuit, ut appellantibus acta dentur intra 30. dies. Fridericus autem II. Imp. in *const. appellationum tempora tit. de appellat.* edixerat, ut *quinquaginta dierum spatium a die appellationis interpositae habeat appellator; infra quod processum iudicii, et appellationis nostrae Curiae praesentet.*

(2) *L. final. §. illud, et Auth. et, qui C. de temporib. appellat.*, et Alex. III. in *cap. cum sit Romana 5. de appellat.* Idemque Pontifex rescripsit appellantem, qui *per impotentiam* omiserit appellationem prosequi, fore, lapso etiam biennio, audiendum, *cap. ex ratione 8. eod. tit.*

(3) Clement. *sicut 3. de appellationibus.*

(4) Ex M. Curiae Vicariae *ritu 6., et 153.*

(5) *Cap. fraternitatis 17. de testibus, l. per hanc 4. C. de temporibus appellat.* Regni *constit. iurisperitorum appellationes.*

pluris, ac testibus, iisque examinatis proceditur ad publicationem, repulsam, conclusionem, monitionem super expeditione caussae, et citationem ad audiendam sententiam.

IX. Denique diffinitiva profertur sententia, qua dicitur vel *male appellatum*, *et bene iudicatum*, *ac proinde iudex*, a quo *suam exequatur sententiam*; aut *sententiam in primo gradu latam esse confirmandam*, *et exequutioni demandandam*: ea si aequa, et iusta in secundo gradu inventa sit. Vel e contrario *bene appellatum*, *et male iudicatum*, *ac proinde fiat hoc*, *illudve*, et ita vel abrogandam omnino, vel aliqua in parte reformandam, sicuti ex rerum adiunctis aequitas, et iustitia suadebit.

X. Ex hactenus dictis liquet, appellationi a *diffinitiva* sententia in iudicio ordinario, vel a *diffinitivo* decreto in caussis summariis locum semper dari, tam si liqueat ex actis coram iudice inferiore conflatis, quam non de illius gravamine, vel iniquitate: propterea quod ex integro novae fiunt probationes in gradu appellationis (1). Secus vero est in decretis *interlocutoriis*, a quibus tunc suum appellatio locum habet, ubi aliquod ea gravamen, iniuriam, laesionem appellanti irrogaverint. Ius Civile quidem illi tantum gravamini, quod reparare sententia diffinitiva nequeat, appellationis remedium dat (2). Iure at Canonico quodlibet gravamen quum leve, tum grave, etiamsi possit per sententiam diffinitivam reparari, satis est ad appellandum, caussamque trasferendam ab inferiori ad superius tribunal (3). Propterea ex iisdem actis sine alia extrinseca probatione ostendatur oportet gravamen interlocutorii decreti, quo se laesum appellans conqueritur (4).

XI. Itaque iudex *ad quem*, viso libello appellationis ab interlocutorio decreto in primis decernit, quod *Curia N. pro recognitione expositorum gravaminum acta transmittat*, *et per dies tot non procedat*. Iudicis enim officium non impedit appellatio ab interloquutorio, donec ei Superior inhibuerit (5). Deinde trasmissis actis post solemnem eorum aperturam auditis partibus, vel decernit, *quod stantibus gravaminibus*, *caussa remaneat*, *et iudex*, a quo *amplius non procedat*: vel si nullum apparuerit gravamen, *quod rescribatur iudici* a quo, *ut suum exequatur decretum*, *in caussa procedat*, *et iustitiam faciat inhibitoriis litteris non obstantibus:* vel *quod caussa remittatur ad iudicem* a quo, *qui provideat*, ex. gr. *quod intra quatuor dies audiantur partes*, aut *quod rectius citetur*, aut aliud fiat, quod legibus, et stylo consentaneum erit (6).

(1) *Cap. cum appellationibus 5.*, *et cap. Romana 3.* §. *sententias de appellat. in IV.*

(2) *L. 2. D. de appellat. recipiendis*, ibi: *Ante sententiam*, ait Scaevola, *appellari potest*, *si questionem in cvili negotio habendam iudex interlocutus sit: vel in criminali*, *si contra leges hoc faciant.*

(3) *Cap. super 10. de appellat cap. 1.*, *et 3.*, *eod. tit. in VI.*

(4) *Clement. appellantis eod. tit.* (5) *Cap. audita 4. de restit. spoliat.*

(6) Ex formulis, quas tradit Car. Ant. de Rosa in *prax. civ. par. 2. in 2. instant. cap. 1. dist. 2.*, Iuri Canonico innixas in *cap. cum appellationibus 5.*, *et cap. si a iudice 10. de appell. in VI.*

XII. Hinc patet duplicem fere vim inesse appellationi legitimae; *devolvendi* scilicet iudicium ad tribunal superius, et *suspendendi* executionem, aut prolatae sententiae diffinitivae, nulla interiecta mora, aut decreti gravantis ex intervallo, postquam Superioris inhibitio rite sit inferiori nunciata (1).

XIII. At plura sunt adhuc genera caussarum, quae solum *devolvendi* iudicii effectum admittunt, alterum *suspendendi* respuunt in appellationibus. In foro quidem laico leges vetant 1, decreta pro alimentis praestandis ne appellatione suspendantur, quia venter non patitur dilationem (2), 2, super spolii restitutione, ac momentanea possessione (3), 3, in iudiciis arbitrorum ex compromisso (4), 4, in modicis litibus infra duas auri unciam generatim (5), a sententiis vero M. Curiae Vicariae infra ducatos 150. (6), 5, in caussis, ut aiunt, executivis, quae privilegium iure municipali probatum habent paratae executionis (7).

XIV. In Curiis autem ecclesiasticis Benedictus XIV. denegat speciatim appellationi, et recursui *vim suspensivam* in caussis *executionem* citationis, mandati, aliusve provisionis Romanae Curiae spectantibus: in caussis *modicis* valorem scutorum quinque monetae regionis non excendentibus, in aliis quibuslibet post duas conformes continuatas sententias: in caussis *mercedis*, vel diurnae, vel menstruae, aut de *alimentis* futuris, aut de restituendo *deposito*, aut solutione schedulae vulgo dictae *pagherò pèr altri tanti*: aut onerum *cameralium*, vel *communitatis*: aut canonum, et *pensionum* domus: iubens, ut appellatio vim habeat suam in solo *devolutivo* sine praeiudicio legitimae executionis. Addit caussas itidem exceptas *obligationum cameralium*, aut vim cameralis habentium; simul ex privilegio *l. un. C. quando Imperator inter pupillos, et viduas*; eas etiam, quae extra urbem Romam non attingunt valorem *scutorum centum*, ad alium fore iudicem in partibus delegandas (8).

XV. Haud raro turbant, miscentque omnia inhibitionibus maiorum tribunalium abnormibus pugnaces litigatores iis etiam in caussis, quae inferioris iudicis officium non impediri postulant in exequendis appellatione non obstante decretis, praesertim ubi ad ecclesiasticam disciplinam tuendam secundum canones Tridentinos, et pontificios ea pertineant. Ut abusus inde plurimos averteret divini, et humani iuris peritissimus Benedictus XIV., inhaerens suorum Praedecessorum (9) ve-

(1) Bonif. VIII. in *cap. non solum 7. eod. tit. in VI.*
(2) *L. si instituta 27. D. de inoffic. testam.*
(3) *L. un. C. si de momentanea possess. fuerit appellatum.*
(4) Ex supradictis *tit. XI. num. III., V., et XI.*
(5) Ex Ritu M. C. V. 157.
(6) Pragm. *3. de officio S. R. Consili.*
(7) Eas recensibimus infra *tit. XX., et XXI. Al. Ricc. prax. civ. par. 2. tit. 1. cap. un. num. 19.*
(8) Bened. XIV. in *const. Romanae Curiae 115. a §. 8. ad 12 de reform. tribunal. urb. tom. 1.* Bullarii, *et const. ad militantis 48. §. 41. eod. tom. 1.*
(9) Puta decretis S. Congreg. Episc., et Regul. a Clemente VIII. probatis

stigiis, generalem edidit constitutionem saluberrimam *de appellationibus, et inhibitionibus concedendis, vel denegandis* (1). Eaque in primis iussit, *ne deinceps ab executione decretorum S. Concilii Tridentini in omnibus illis causis, et negotiis, in quibus executio eiusmodi Episcopis, et locorum Ordinariis, etiam ut Sedis Apostolicae delegatis ab eodem S. Concilio, vel dictis apostolicis constitutionibus* appellatione, vel inhibitione quacumque postposita, *commissa est, appellatio aliqua in tribunalibus recipiatur* (a Patriarchis, Metropolitanis, Legatis a latere Sedis Apostolicae, et quibuscumque Romanae Curiae iudicibus), *vel inhibitiones, citationes generales, vel speciales cum commissione inserta, monitoria, et alia huiusmodi, per quae dictorum decretorum executio retardetur, aut processus ad ulteriora in eadem executione suspendatur, aut impediatur; quoquo modo concedantur* (2). Et quatenus nunc, *aut in posterum concessa fuerint, nullatenus inhibeant, atque ab Episcopis, aliisque locorum Ordinariis impune sperni possint, quacumque consuetudine, privilegio, aut stylo penitus exclusis..... decernentes, quod.... iuxta caussarum naturam, et qualitatem appellatio, ad quos de iure in solo devolutivo, et sine retardatione, vel praeiudicio legitimae executionis recipi, et admitti possit* (3).

XVI. Species deinde caussarum eiusmodi enumerans declarat, vi, ut aiunt, *suspensiva* omnino carere inhibitiones, quas impetraverint appellantes a decretis episcopalibus, aliorumque Ordinariorum pro *divino cultu* conservando, et augendo, praesertim pro observandis, et evitandis in celebratione *Missae* tam in actu visitationis, quam extra prolatis (4). Tum a decretis cogentibus clericos etiam exemptos qua saeculares, qua regulares, ad publicas *processiones* ad formam constitutionis S. Pii V. (5); et dirimentibus *praecedentiae* controversias inter ecclesiasticas personas quum saeculares, tum regulares in eisdem processionibus, vel funerum comitatu, aut super delatione umbellae, aliisque id genus, aut pro observandis *censuris* etiam episcopalibus, et *festis* diebus (6). Itidem a decretis ad divina in choro persolvenda officia pertinentibus, praesertim ubi tertia pars fructuum quorumlibet

die 16. Octobris 1600., aliisque Congregationis particularis iussu Urbani VIII. prolatis die 5. Septembris 1626., et supradictis declarationibus Benedicti XIII. in *append. Conc. Rom. num. 13.*, tum Gregorii XV. *const. inscrutabili* nonis Februarii 1622.

(1) Bened. XIV. in *const. ad militantis Ecclesiae 48. tom. 1.* Bullarii.

(2) Idem §. 5., et rursus §. 37., ex Pii IV. *const. Benedictus Deus.* Huc pertinet decretalis Innocent. III. in *cap. pastoralis 53. de appellat.*, definiens quod appellatione rescripto delegantis remota ea intelligitur, *quae a Iure non indulgetur expresse: sed si appellans fuerit gravatus iniuste, gravamen huiusmodi per Superiorem poterit emendari.* Quidquid aliter senserit generatim Alexander III. in *cap. super eo 12. eod. tit.* (3) *Ibidem §. 38.*

(4) Ex Trid. *cap. 8. sess. 21. de refor., et sess. 22. in decr. de observ. et evit. in celebr. miss.* Benid. XIV. *loc. cit. §. 6.*

(5) S. Pius V. in *const. etsi mendicantium.*

(6) Ex Trid. *cap. 12., et 13. sess. 25. de Regular.* Bened. XIV. *loc. cit. §. 7.*

in quotidianas distributiones convertatur, quas inter sese dividant assidui, et praesentes duntaxat (1).

XVII. In iis etiam omnibus, quae curam animarum, rectamque Sacramentorum administrationem spectant: praesertim a monitionibus, censuris, et decretis, quae Parochos, aliosque spiritualem curam exercentes, etiam exemplos quum saeculares, tum regulares compellant ad evangelicam concionem dominicis, festisque saltem diebus, plebemque in doctrina fidei erudiendam (2). Itidem quae deputandos ad curam animarum Vicarios etiam perpetuos, et congruam iis portionem fructuum disponant, ubi aliquis plura beneficia curata, vel incompatibilia sit ex apostolica dispensatione adeptus, aut animarum cura fuerit Ecclesiis cathedralibus, aut collegiis, aut monasteriis adnexa (3). Pariter quae in visitandis beneficiis, et Ecclesiis quomodolibet exemptis cum animarum cura perpetuo unitis provideant, ut eiusmodi Ecclesiae reficiantur, in eisque nec animarum cura, nec alia defraudentur officia, utque ab Ecclesiis vetustate, aut inopia collapsis ad matrices, aliasve transferantur beneficia simplicia etiam de iure patronatus (4). A nova vel coadiutorum institutione, vel erectione Parochiarum, vel beneficiorum unione ad inopes parochias (5), vel divisione, ac distinctione parochiarum, quae promiscuos, incertosque fines habeant, earumque institutione in titulum perpetuum (6). A correctione Parochorum, quos vel pravi mores, vel inscitia perniciosos gregi, aut inutiles effecerint, suo privandos officio, vel suspendendos, reservata eis parte fructuum pro alimentis (7). A decretis iure cogentibus Parochos, aliosque animarum curatores ad residentiam (8). Insuper a destinatione Vicarii, aut Oeconomi cum stipendio congruo, ubi parochialis Ecclesia vacaverit; ab indictione concursus, examine concurrentium, ac iudicio Episcopi, et examinatorum in praeelectione dignioris (9).

(1) Bened. XIV. *loc. cit.* §. *29*, ex Trid. *cap. 3. sess. 21.*, *et cap 3. sess. 22. de ref.*

(2) Ex Trid. *cap. 2. sess. 5. de reform.* et Greg. XV. *const. inscrutabili*, idem Bened. XIV. *ibidem* §. *8.*, *et 19.* Huc spectant superius exposita *tit. XII. num. XLIII.*, *XLIV.*, *et XLV.*

(3) *Ibidem* §. *9.*, ex Trid. *cap. 5.*, *et 7. sess. 7 . de refor.*, et Pii V. *const. ad exequendum.*

(4) *Ibidem* §. *10.*, *et 13.* ex Trid. *cap. 8. sess. 7.*, *et cap. 7. sess. 21. de ref.* Animadvertendum vero est hocce *cap. 7. sess. 21.*, saepe dicta censura notatum ideo fuisse, quia laicos tam patronos, quam parochianos ad restaurandas Ecclesias parochiales fructibus earum deficientibus cogendos Episcopis mandat Synodus Tridentina, et Regni mores id regiae Potestati vindicant.

(5) *Ibidem* §. *11.*, ex Trid. *cap 4.*, *et 5. sess. 21.. et cap. 13. sess. 24. de ref.* At ea ipsa, quae modo dicta est, ratione regius Censor signavit duo etiam ista *cap. 5. sess. 22.*, *et cap. 23. sess. 24.*, quae tribuunt Episcopis ius compellendi populum ad necessaria novis Ecclesiarum parochialium rectoribus suppeditanda, atque ad decimas, et symbola pro parochiali congrua.

(6) *Ibidem* §. *16.*, ex Trid. *cap. 13. sess. 24. de ref.*

(7) *Ibidem* §. *12.*, ex Trid. *cap. 6. sess. 21. de reform.*

(8) *Ibidem* §. *14.*, ex Trid. *cap. 21. sess. 23. de reform.*

(9) *Ibidem* §. *17.*, ex Trid. *cap. 18. sess. 24. de reform.*

XVIII. Praeterea a denegata, vel suspensa, vel revocata, vel restricta iis, qui parochiale beneficium non habeant quum saeculares, tum regulares presbyteri, facultate audiendi confessiones saecularium (1), aut praedicandi (2). A denegatione sacrorum Ordinum, vel ascensus ad maiores, tum suspensione a susceptis Ordinibus (3), atque a reiecto, vel adprobato patrimonii sacri, pensionis ecclesiasticae, aut beneficii titulo in promovendis ad sacros Ordines (4).

XIX. A decretis etiam, et provisionibus pro clausura monialium conservanda, aut restituenda, earumque regimine quum spirituali, tum temporali, quaeque ad Capellanos, et officiales ministros etiam Regulares corrigendos, puniendos, amovendos pertinent (5). Quemadmodum, et ea, quae respiciunt erectionem Seminarii pro adolescentibus ad pietatem, sanamque doctrinam erudiendis; taxamque praefigendam super ecclesiasticis fructibus Ecclesiarum omnium etiam Regularium, et exemptorum pro illius substentatione, unionem beneficiorum, eiusque regimen, curam, et administrationem (6). Ab edictis, et statutis de vita, et honestate clericorum suis in officiis continenda (7). Simul a decretis pastoralis visitationis dioecesanae, quod etiam ad Ecclesias exemptas, et beneficia quaelibet, ac monasteria commendata, in quibus non vigeat observantia regularis (8); nec non ad hospitalia, collegia, loca pia, et confraternitates etiam laicorum (9). Tum a sententiis, quae clericos in habitu, ac tonsura non incedentes, et clericalis officii desertores privilegio fori ecclesiastici destituant (10).

XX. Insimul quae publicos coercent mores regularium extra claustra deliquentium, ut a suis puniantur Superioribus intra terminum ab Episcopo praefigendum (11); aut concubinarios quoslibet (12): aliosve crimi-

(1) *Ibidem* §. *15.*, ex Trid. *cap. 15. sess. 23.*, et Clementis X. *const. superna.* Confer huc dicta superiori *lib. II. tit. VIII. num. XLV., et seq.*

(2) *Ibidem* §. *18.*, ex Trid. *cap. 2. sess. 5.*, *et cap. 4. sess. 24. de reform.* Greg. XV. *const. inscrutabili*, §. *ult.*, et Clem. X. *const. superna.*

(3) *Ibidem* §. *23.*, ex Trid. *cap. 1.*, *et 3. sess. 14.*, *cap. 1. sess. 21.*, *et cap. 16. sess. 23. de ref.*

(4) *Ibidem* §. *27.*, ex Trid. *cap. 2. sess. 21. de ref.*

(5) *Ibidem* §. *20.*, *et 24.*, ex Trid. *cap. 5.*, *9.*, *et 10. sess. 25. de Regular.* et Gregor. XV. *const. inscrutabili.*

(6) *Ibidem* §. *34.*, ex Trid. *cap. 18. sess. 24. de reform.* Dummodo abstineant Episcopi beneficia iurispatronatus laicorum sine patronorum consensu, et loca pia laica taxae pro Seminario subiicere, ut ne mores, legesque Regni laedat.

(7) *Ibidem* §. *21.*, ex Trid. *cap. 4. sess. 6. cap. 1. sess. 13.*, *cap. 4. sess. 14.*, *cap. 8. sess. 21.*, *cap. 1.*, *et 8. sess. 22.*, *cap. 10. sess. 24. de reform.* et decretis S. Congr. Episc. iussu Clementis VIII. editis an. 1600.

(8) *Ibid. cit.* §. *21.*

(9) *Ibidem* §. *31.*, ex Trid. *cap. 8. sess. 22. de reform.* Dummodo fines nostro Concordatorum iure novisimo constituti non excedantur, quos iam iudicavi *tit. VIII. a num. XXIII. ad XXXVII.*

(10) *Ibidem* §. *26.*, ex Trid. *cap. 6. sess. 14.*, *et cap. 6. sess. 23. de ref.* Videsis dicta superius *tit. V. num. V., et seq.*

(11) *Ibidem* §. *24.*, ex Trid. *cap. 14. sess. 25. de Regular.*, et Clement. VIII. *const. suscepti muneris.*

(12) *Ibidem* §. *25.*, ex Trid. *cap. 8 sess. 24. de ref. matr.*, *et cap. 14. sess.*

nosos plectunt censura excommunicationis, vel suspensionis, vel interdicti a iure, vel ab homine lata, *nisi appellatio fuerit interposita ex capite nullitatis*, aut e converso ab iisdem censuris ecclesiasticis absolutionem indulgent (1).

XXI. Tandem ubi cogantur ad beneficia ecclesiastica electi, aut praesentati a patronis, antequam instituantur, sese coram Ordinariis examinandos sistere (2). Vel notarii in negotiis, litibus, et caussis fori ecclesiastici ob imperitiam, vel delictum officio suo privantur, illiusve exercitio interdicuntur (3). Vel Oeconomi, et Vicarii Capitulares administrationis suae, quam episcopali Sede vacante obiverint, rationem reddere compelluntur (4). Vel clerici quum saeculares, tum regulares etiam exempti mercedem solvere, aliudve debitum personis miserabilibus (5).

XXII. Quotiescumque in rebus, et personis ecclesiasticis versentur eiusmodi caussarum iudicia, eaque in laicos, eorumque corporales, aut pecuniarias poenas non excurrant, quas mores, legesque Regni non patiuntur: dubitandum utique non est, quin exposita Benedicti XIV. constitutio de moderandis appellationibus suam debeat vim obtinere, non secus, quam Tridentina decreta in usum ab eo revocata. Quandoquidem Curia Capellani Maioris anno 1747. viso eiusdem constitutionis transumpto, quod exhibuit procurator Episcopi Uritani, censuit non denegandum super ea fore, sed suspendendum tantummodo regium placitum, donec nonnullos eiusdem articulos ab huius Regni moribus, regiisque iuribus discrepantes discussisset curatius.

XXIII. Quoniam vero experientia docet, locorum Ordinarios sua non raro abuti iurisdictione in caussis eiusmodi exceptis, formam corrumpendo Tridentinam, et canonicam non sine iniuria, et damno scite censuit idem Pontifex locum tunc esse inhibitionibus, quae vim suspendendi executionem adhuc habeant, ubi patefaciant abusum iudicis inferioris corrigendum ex peculiaribus caussae adiunctis. Propterea ut hinc, et hinc iusti fines custodiantur, statuit, dum appellantes recurrant, et inhibitionem postulent, *litteras citatorias* Curiae Romanae, vel *monitoria cum inhibitione* concedenda non esse: *nisi prius ex facti circumstantiis, in supplici libello a parte recurrente clare, ac dilucide exponendis, et cum aliquo documento semiplene saltem verificandis, eisdem summarie apparuerit casum illum esse de exceptis, et propterea Episcopo, vel Ordinario loci inhibendum esse, ne ad ulteriora procedat. Tunc enim, et non alias, et postquam ipsi iudices, quorum conscientiam hac in parte oneramus, super dicto supplici libello manu sua rescripserint, quod inhibitio concedi potest, libellusque*

25. de ref. Dummodo Episcopi secundum Regni mores, ac leges in laicos poenis tantum spiritualibus animadvertant.

(1) *Ibidem* §. *36.* Hac de re sermo redibit fusior infra *lib. IV.*

(2) *Ibidem* §. *22.*, ex Trid. *cap. 13. sess. 7. de ref.*

(3) *Ibidem* §. *33.*, ex Trid. *cap. 10. sess. 22. de ref.* Dummodo quod ad laicos notarios ius municipale non violetur expositum superius *tit. VIII. n. XIV.*

(4) *Ibidem* §. *35.* ex Trid. *cap. 16. sess. 24. de ref.*

(5) *Ibidem* §. *41.*, ex Trid. *cap. 14. sess. 7.*, *et cap. 5. sess. 14. de ref.*

cum rescripto eiusmodi in actis productus fuerit, diligenter ibidem custodiendus, et asservandus; liceat eorum notariis, seu actuariis litteras citatorias cum dicta inhibitione *expedire, et parti recurrenti tradere, ita tamen, ut in earum calce expresse adiiciatur sequens clausula:* Nos enim attentis iuribus, et supplici libello nobis praesentatis, atque in actis exhibitis sic, ut praefertur, inhibendum esse speciali rescripto mandavimus: *alias litterae eiusmodi sine tali clausula nullam vim inhibendi habeant in casibus praedictis* (1). Nam legibus idcirco indulgetur appellatio, ut *iniquitatem iudicantium, vel imperitiam corrigat* (2), non ut boni, et aequi iudicis officium impediat.

XXIV. Hac ipsa ratione cantum iteratis Pontificum sanctionibus est (3), caussas omnes fori ecclesiastici qua civiles, qua criminales, et mixtas (exceptis maioribus ad Apostolicam Sedem reservatis) in primo gradu coram Ordinariis locorum duntaxat agendas ita esse (4), ut maores quilibet iudices quum Metropolitani, tum Romani eas ad sese nequeant, nisi per legitimam appellationem in casibus, ut supra non prohibitis avocare, aut appellantium immaturis, iniustisve recursibus deferre. Idcirco iudex *ad quem* prohibetur appellationis libellum temere sine delectu admittere, litterasque inhibitorias cuivis dare, nisi antea sibi constiterit ex publicis documentis apud acta sua exhibendis, appellantem intra legitima tempora rite provocasse a sententia inferioris iudicis vel diffinitiva, vel quae vim diffinitivae habeat, vel a decreto gravante, quod non possit per diffinitivam reparari; et nisi tenorem latae iam sententiae, seu decreti diffinitivi, aut gravantis exprimat suis in litteris inhibitoriis: *alias citationes, inhibitiones, processus, et inde secuta quaecumque sint ipso iure nulla*, atque impune *sperni possint* (5). *Quod si appellans asserat sententiae, aut decreti exemplum authenticum culpa iudicis* a quo, *vel notarii, sive actuarii habere non posse, tunc saltem copiam simplicem sententiae, seu decreti in actis producere teneatur, eiusque tenori in litteris inhibitorialibus inserto adiicienda erit, prout adiici volumus, et mandamus*, inquit Benedictus XIV. (6), *in earum corpore expressa conditio:* quatenus tamen tenor insertus vere, et in substantialibus cum originali concordet, eodemque originali praesentes litterae sint in tempore posteriores; alioquin nullae, et irritae censeantur. *Et si secus factum fuerit, inhibitiones aliter concessae nullatenus afficiant.* Si vero ex publico documento, vel testium depositionibus constiterit acta reapse denegata appellanti esse: tunc mandato tradendi acta posse iudicem appellationis adiicere, *ne*

(1) *Ibidem* §. *39.* (2) Ulpianus ait in *l. D. de appellationibus.*

(3) Quas innovarunt idem Benedictus XIII. in *append. Conc. Rom. cit. num. 13.*, et Benedictus XIV. in eadem *const. ad militantis 48.* §. *42.*, *et seq.*

(4) Ex Trid. *cap. 1. sess. 13.*, *cap. 7. sess. 22.*, *et cap. 20. sess. 24. de reform.*

(5) Ait Benedictus XIV. *ibidem* §. 43. in fine, inhaerens decr. S. Congreg. Episc. iussu Clementis VIII. promulgata an. 1600. in *appendice* Conc. Romani Bened. XIII. *num. 13.* Consonat constitutio Innocentii IV. in Conc. Lugdun. *cap. Romana 3.* §. *si vero de appellat. in VI.*

(6) *Ibidem* §. 44.

interim aliquid novi contra appellantem attentetur, decrevit S. Congregatio Episcoporum probante Clemente VIII. (1).

XXV. *Cum a gravamine*, *quod per definitivam reparari nequit*, item censuit eadem S. Congregatio, *puta indebitae carcerationis, vel torturae, aut excommunicationis etiam comminatae, appellatur: nonnisi visis actis*, *ex quibus evidenter appareat de gravamine, appellatio admittatur, aut inhibitio, vel provisio aliqua concedatur.* Sed *caussa appellationis pendente, appellans in eodem*, *quo reperitur*, *carcere permanebit, quoad iudex* ad quem, *visis actis, et caussa cognita aliter decreverit.*

XXVI. Ecclesiasticus appellationum iudex ordinarius in secundo caussarum gradu est cuiusque provinciae Metropolitanus (2), in tertio autem gradu Romanum tribunal A. C., vel pro diversa caussarum qualitate alterum Signaturae Iustitiae, vel Rotae auditorium, vel aliqua sacrarum Congregationum. Graviores caussas, puta de iurisdictionibus, patronatibus, ceteris id genus, iis etiam, quarum valor citra montes ad quigenta scuta auri, ultra montes ad scuta mille; insuper de beneficiis, et pensionibus ecclesiasticis, quae ducatos viginti quatuor auri de Camera excedant, de primis Dignitatibus cathedralium, et collegiatarum, de matrimonii foedere, ac divortio, et nullitate professionis regularis, ad Rotam Romanam in gradu appellationis ab A. C. pertinere, tradit Benedictus XIV: ceteras minores appellari *praelatitias*, quia Praelati Signaturae eas definiunt: spectantes vero ad forum Capitolinum numquam exinde, nisi de consensu partium avocari, exceptis ubi matrimoniorum foedera, et nullitates professionum regularium versantur. Addit matrimoniales ad Rotae auditorium, vel ad S. Congregationem Concilii solum deferri (3). In dioecesibus autem Episcoporum, qui sunt Sedi Apostolicae immediate subiecti, et locis etiam exemptis nullius dioecesis (4) hoc in Regno vices Metropolitani gerunt ipsamet pontificia Romae tribunalia.

XXVII. Cum tribunal A. C. sit executor omnium litterarum apostolicarum vel solus, dum alii dati non sint executores, vel cumulate cum aliis, necnon sententiam omnium a quibuslibet iudicibus tam in romana Curia, quam extra editarum; et consueverit monitoria itidem concedere pro exequendis resolutionibus sacrarum Congregationum: Benedictus XIII. decreta Urbani VIII. declarans, constituit, quod *monitoria in tribunali A. C. super executione litterarum apostolicarum non expediantur, nisi exhibito legitimo documento earumdem litterarum apostolicarum. Quod vero ad sententias, monitoria non concedantur, nisi prae-*

(1) In *cit. append.* Conc. Romani *eodem num. 13. art. 6.*; huiusmodi decreta fore observanda iussit idem Bened. XIV. in *cit. constit. militantis* §. *45.*

(2) Ab Officiali Episcopi ad Metropolitanum appellatur, ex Conc. Lugdunensi sub Innoc. IV. in *cap. Romana 3. de appellat. in VI.* ab Archidiaconis vero, aliisque Episcopi subditis ad Episcopum ipsum, nisi aliud consuetudo invexerit, appellatur.

(3) Videsis *lib. 1. tit. VII. de Metropolit. num. VII.*

(4) Bened. XIV. in *const. iustitiae ac pacis tom. 2.* Bullarii.

vio documento publico. Actuarii caussae cum legalitate Ordinarii, et quod ad decreta Sac. Congregationum exhibeantur copiae subscriptae a Secretario cum sigillo Cardinalis Praefecti, nec possint huiusmodi monitoria super executione sententiarum, vel decretorum aliter expediri, etiamsi sententiae, et decreta publice typis evulgata fuerint, vel in libris impressa referantur, et in dictis monitoriis apponatur clausula, dummodo non vigeat lis adhuc pendens coram iudice competenti super sententia, vel constitutionibus apostolicis, aut decretis S. Congregationum, de quibus agitur (1).

XXVIII. Omisso medio, appellari à primo, ex. gr. ad tertium iudicem, quamvis supremum, Principem quoque, prohibent leges civiles (2). Hoc olim in Regno licebat ab inferioribus Curiis laicis ad M. C. V., omissis Regiis Audientiis appellari (3): id quod vetuit novissima Regis nostri Caroli pragmatica generatim in caussis intra summam ducatorum ducentorum monetae Regni: eodemque iure appellantes a iudicibus Curiarum baronalium prohibentur, omissis iudicibus aliis baronalibus secundarum caussarum, ubi eos ex privilegio investiturae habeant Barones, transilire ad Regias Audientias (4).

XXIX. Canonica vero iura. Ecclesiaeque mores antiquissimi sic probant appellationes ad iudicem Metropolitanum, ut indulgeant, omisso Metropolitano ad Pontificiam Sedem provocare (5). Transmarinas appellationes prisci oderunt Patres Africani plus aequo impatientes episcopalem in ecclesiastica disciplina vigorem comprimi, aut impediri suprema Sedis Apostolicae auctoritate. S. Cyprianus primus omnium conquestus est appellationem schismaticorum Novatiani, et Felicissimi, quos Africana Synodus Episcoporum damnaverat, delatam ad S. Cornelium Papam (6). Antiochena Synodus ab Arianis, seu Eusebianis Episcopis habita in perniciem S. Athanasii appellationes ad Romanam Sedem abiicere non du-

(1) Bened. XIII. in *declarat.* ad decreta Urbani VIII. in *appendice* Conc. Romani.

(2) Impp. Antoninus, et Verus rescripserunt, *appellationes, quae recto ad Principem factae sunt, omissis his, ad quos debuerunt fieri ex imo ordine, ad Praesides remitti*, docet Papirius Iustus in *l. Imperatores 22. D. de appellat.* Consonant Arcad., et Honor. Impp. in *l. addictos 29. Cod. eod. tit.*

(3) Ex M. C. V. Ritu 52.

(4) Ex Regia Prag. 14. Martii anni 1738.

(5) Alex. III. in *cap. si duobus 7. de appellat. Si duobus*, ait, *coram suo iudice litigantibus, alter ad nostram, alter ad sui iudicis audientiam super eodem negotio appellaverit:* acta coram inferiori Metropolitano gesta valere, *nisi iudex idem cognoverit eum ad audientiam Romani Pontificis appellasse.* Consonant. Innoc. III. in *cap. sollecitudinem 14. eod. tit.*, et Innoc. IV. in *cap. 1. §. unic. eod. tit. in VI.*

(6) S. Cyprian. *ep. 59.* ad S. Cornelium, quam laudat Fleury *lib. 7. hist. eccl. num. 8.* At Synodus Carthaginensis ann. 402. quum Pelagium, et Coelestium damnasset, pontificiam suae sententiae confirmationem petiit, epistola synodica ad Innocentium I. data, inquiens: *Hoc itaque gestum sanctae charitati tuae intimandum duximus, ut statutis nostrae mediocritatis etiam Apostolicae Sedis adhibeatur auctoritas pro tuenda salute multorum*, ex *ep. 9.* inter S. Augustini epistolas.

bitavit (1). Mox Concilium Milevitanum II. sanxit appellantes ab Africanis suorum, vel Episcoporum, vel Primatum iudiciis ad transmarina fore a communione separandos (2). At praevaluit sententia sanior aliorum Patrum, quam firmarunt exempla clariora, et synodicae auctoritates, supremum Romani Episcopi Primatum profitentes (3). Nam Melchiades quarto saeculo Caecilianum Episcopum post episcopale de eo iudicium, innocentem diffinitiva sententia declaravit (4). S. Basilius ad Episcopum Romae scribendum censuit, ut auctoritate sua comprimeret turbolentos (5). S. Athanasius, Dionysium Alexandrinum a Papa absolutum caussa cognita tradit (6). Apollinarem haereticum episcopali Cathedra deiectum a S. Damaso fert Sozomenus (7). Hispani Patres Concilii Toletani I. anno 400. decreverunt sese in communionem Paternum Episcopum recepturos, quando id Sedes Apostolica rescripsisset (8). S. Ioannes Chrysostomus ad Innocentium I. appellavit ab exilii damnatio-

(1) Syn. Antioch. an. 363. circ. *can. IV. XI. XII. XIV., et XV.*

(2) Conc. Milevit. 2. *ann. 416. can. XXII. Placuit, ut presbyteri, diaconi, vel ceteri inferiores clerici in caussis, quas habuerint, si de iudicio Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant: et inter eos, quidquid est, finiant, adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quod si ab eis provocandum putaverint, non provocent, nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates Provinciarum suarum. Ad transmarina autem* (puta Romam) *qui putaverit appellandum, a nullo inter Africam in communionem recipiatur.*

(3) Videnda quae dixi *lib. 1. tit. XII. de Summo Pontifice num. XIV.* Secundo Ecclesiae saeculo, an Marcion Ponticus ab Episcopo patre suo damnatus ob stuprum, ad Sedem Romanam appellasset a sententia excommunicationis, disputat N. Alexander in *hist. saec. 2. cap. 5. dissert. 2. art. 3.* Id vero liquet ex S. Epiphanio *haer. 42.*, quod Marcion ipse ab Ecclesia expulsus patris sui optimi senis, et Episcopi sententia, *clam secessit, ac Romam post Hygini Papae obitum se contulit . . . . . , et seniores adiens, qui ab Apostolorum discipulis edocti adhuc supererant, ut in communionem admitteretur, ab iis frustra petiit. Cur me,* inquit, *recipere noluistis?* Responderunt illi: *nobis iniussu venerandi patris tui istud facere non licet.* S. Irenaeus *lib. 3. cap. 3.*, ideo Romam recurrisse Marcionem, ait, *quia potentior erat Romanae Ecclesiae principatus.*

(4) Optatus Milevit. *lib. 1. Caecilianus* (inquit) *omnium supra memoratorum sententiis innocens est pronunciatus, etiam Miltiadis sententia, qua iudicium clausum est.*

(5) S. Basil. *epist.* ad Athanasium. *Sic visum nobis est,* ait, *consentaneum scribere ad Episcopum Romae, ut iis, quae apud nos sunt, prospiciat, exploret, statuatque, ut quoniam non facile ex Concilii universi decreto mitti ad nos aliqui possint ex iis Episcopis, qui ad Occasum Ecclesiae praesunt, ipse auctoritatem suam interponat, et pro potestate eligat viros idoneos cum imperio, qui dirigere possint eos, quorum ingenia flexuosa, et distorta turbas apud nos cient.*

(6) S. Athanasius *lib. de sent. Dionysii Alexandrini* scribit: *quos Pentapolitanae Ecclesiae Romam venisse, ut accusarent apud Papam Dionysium Alexandrinum, quem Papa caussa cognita absolvit, ut constat ex epistola de Synodo Ariminensi.*

(7) Sozomenus *lib. 2. cap. 8.*

(8) Conc. Tolet. I. *ann. 400. in collect. Labbaeana.*

ne (1). S. Ambrosius brachium Romani Pontificis in clericos incontinentes, et Nicolaitarum sectarios imploravit (2). Quid plura? Synodus Sardicensis quasi oecumenica appellationes probavit, et canonicas agnovit a cunctis Episcoporum iudiciis ad Romanam Sedem, supremum universae Ecclesiae Tribunal (3). Sardicenses hos canones, velut Nicaenos dixit Zosimus, dum Apiarium presbyterum ab Africana Synodo, et Episcopo Siccensi gradu, et communione submotum Papa Zosimus restituendum decrevit, et Faustinum Episcopum suum a latere legatum misit in Africam, ut caussae cognitionem susciperet, decretamque restitutionem exequeretur. At propria confessione convictus criminum Apiarius in Africana Synodo coram Legato pontificio, in qua interfuit S. Augustinus, spe cecidit sua, Patresque Africani Papam Epistola synodica rogarunt, ne amplius in communionem acciperet excommunicatos ab eis (4). Gradus inde in hierarchia coordinatos Archiepiscopi, Primatis, Patriarchae sub uno omnium Capite in Petri Cathedra sedente norunt omnes (5). Mox frequentiores abusus appellationum querelas Patrum exciverunt eo spectantes, ut corrupta appellationum disciplina reformaretur, sed canonicus mos provocandi a pravis inferiorum iudiciis ad supremum Ecclesiae Pastorem vim suam haberet immotam (6).

(1) Palladius *in vita* S. Ioannis Chrysostomi. Sed Theophilus Alexandrinus in Constantinop. Synodo reiecisse appellationem B. Chrysostomi fertur a Sozomeno *lib. 8. cap. 16.*

(2) S. Damianus id refert.

(3) Conc. Sardicense *can. 1., et 4.* Socrates *lib. 6. hist. eccles. cap. 4.* tradit in omnibus controversiis fidei, aut Iuris ecclesiastici decretis Romanae Ecclesiae ubique semper adquievisse catholicos universos. Anthimum Constantinopolitanum ab Agapito Papa damnatum, suaque Sede pulsum, antequam synodus Episcoporum iudicium de eo ferret, ostendit epistola Agapiti ipsius ad Petrum Hierosolymitanum in collect. Labbaeana: et Mennam Constantinopolitanum a Vigilio Papa fert Nicephorus *lib. 17. cap. 26.* Ad B. Gregorium M. appellavit Hadrianus Thebarum Episcopus, quem damnaverat Ioannes primus Iustinianae Episcopus, ex *epist. 7.*, *et 8. cap. 2.* eiusdem Pontificis.

(4) Ex *ep.* synodica Patrum Africanorum ad Coelestinum 1. Zosimi, tum Bonifacii successorem. *Deprecamur*, aiunt, *ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis accipere.... ne in sua provincia communione suspensi a tua Sanctitate vel festinato, vel praepropere, vel indebite videantur communioni restitui. Presbyterorum quoque, et sequentium clericorum improba refugia, sicut te dignum est, repellat Sanctitas tua.*

(5) Ex canonibus a Gratiano collectis praesertim *C. 2. qu. 6.* Huc pertinet canon 33. vulgo Apostolorum: *Cuiusque gentis Episcopus oportet scire, quinam inter ipsos primus sit, haberetque ipsum quodammodo pro Capite.* Inde factum, ut praerogativas Metropolitarum, et Primatum acri studio nonnullae gentes tueri conniterentur.

(6) S. Bernardus *lib. 3. de consider. cap. 2.* ad Eugenium III. inquit: *Appellatur de toto mundo ad Te, et quidem in testimonium Primatus tui... Quousque non evigilat consideratio tua ad tantam appellationum confusionem, atque abusionem? Praeter ius, et fas, praeter morem, et ordinem fiunt. Non locus, non modus, non tempus, non caussa discernitur, aut persona. Praesumuntur*

XXX. Galliarum Episcopi, pluresque ipsorum Synodi cum studuissent iamdudum appellationes transalpinas eliminare (1): eas tamen in maioribus praesertim caussis omnino avertere non potuerunt. Mox ut invaluit nova Ecclesiae disciplina, se quoque permiserunt imperio Alexandri III., obsequentes pontificiis eiusdem litteris, quae speciatim indulgebant nonnullis Gallorum libertatem appellandi posthabitis eorumdem statutis synodicis, iudicesque pontificios ipsis dabant. Id ostendit decretalis epistola ipsius Alexandri III. ad Senonensem in Gallia Archiepiscopum (2). *Quaesitum est a nobis*, Pontifex ait, *ex parte tua: si alicuius caussa delegatis iudicibus, sublato remedio appellationis committitur, et litteris apostolicis altera pars munita, quibus ei generaliter est indultum*, ut libere sibi liceat appellare, *in vocem appellationis proruperit, an eius in eadem caussa debeat appellationi deferri? Inquisitioni tuae taliter respondemus, quod eius hac in parte appellatio non debet admitti, postquam est caussa iudicibus* appellatione remota *commissa: quia generale mandatum derogat speciali.* Haec igitur decretalis patefacit suffugium appellationis Gallis antiquo iure antea non permissum absque litteris indulti pontificii, seu protectionis apostolicae (3).

XXXI. Ad nostram quod attinet peculiarem disciplinam, saeculo XII. constitutum est ab Hadriano Papa cum Rege Gulielmo, ut in caussis ecclesiasticis libertas regnicolis esset appellandi ad Ecclesiam Romanam (4). Eo abhinc tempore appellationes a Curiis dioecesanis consueverunt saepius ad Romana tribunalia omisso medio, quam ad Metropolitanos deferri arbitrio partium. Coepta vero appellationum iudicia criminalia coram Metropolita Compsano, quum Muranus suffraganeus, invitis appellantibus Romam transferre non semel studuisset, interea detrectans imperatam sibi ab eo transmissionem actorum, suos ut subditos sic adigeret ad deferendum appellationes, ipsiusque ferendum sine remedio asperitates: Rex iussit rescripto ad Curiam Capellani Maioris dato die 14. Iunii 1755. (5), ut litteris Romanae Curiae po-

leviter, passim, plerumque, et nequiter.... antidotum versum in venenum... Usurpatoriae sunt huiusmodi omnes, non subvenientes in necessitatibus, sed opitulantes iniquitatibus. Easdem querelas exposuit ipsemet S. Bernardus *ep.* 178. ad Innocentium II.

(1) Balutius in *praefat. ad* Ant. Augustinum *de emendat. Gratian.* pluribus adstruit per octigentos annos Synodos Galliae non permisisse transalpinas appellationes; tum processu temporum eos in maioribus caussis recursum ad Sedem Apostolicam tolerasse.

(2) Alexand. III. in *cap. 1. de rescriptis.*

(3) Huiusmodi sensum explicant Ianus Acosta, et Franciscus Florens in recitato *cap. 1. de reseriptis*, aliorum interpretum commenta diversa ut inania, et futilia deridentes.

(4) Ex *art. 1. concordiae* inter Hadrianum, et Regem Guillielmum an. 1156., quam excripsi *lib. 1. tit. X. num. 2. lit. b.*

(5) Ex actis Curiae Capell. Maior. pro D. Petro Priore recurrente contra episcopalem Curiam Muranam an. 1755. Verba rescripti sunt huiusmodi: *salva siempre la libertad segun las mismas leyes de apelar al Metropolitano.*

posthabitis, quae institutam coram Metropolitano appellationem inde averterent, officiumque metropoliticum in ea definienda impedirent, Episcopus ad Metropolitanum sua transmitteret acta, servaturus perpetuo in aliis etiam caussis libertatem subditorum appellandi secundum leges, et canones ad Metropolitanum.

XXXII. Ut vero finis esset appellationibus, utroque Iure Civili, et Canonico constitutum est nemini licere a tribus sententiis conformibus appellare (1) neque ab una, quoties appellationi, aut pars renunciaverit expresse, aut latam sententiam semel acceptaverit, aut neglexerit intra decem dies appellationem rite obiicere (2). Alias mox formas iudiciorum perscrutemur.

TIT. XVIII.

De summario processu.

I. Iudicare summatim, vel de plano, simpliciter, sine strepitu, et figura iudicii fere idem sonat, ac summarie.

II. Iudicii summarii formam usu vigentem expressit, ac tradidit Clemens V. in Concilio Viennensi.

III. Huius initium usque ad termini probatorii decretum nil fere discrepat ab initio processus ordinarii.

IV. Cautio sola expensarum cum iuramento calumniae, nisi petatur, probe omittitur, et feriarum exceptio non impedit cursum huius processus.

V. Decreto probatorii termini, quod scilicet capiatur summaria informatio, testes habeantur pro citatis, et recipiantur vel coram ipsomet iudice, vel per scribam caussae, distinguitur in primis ab ordinario summarium iudicium.

VI. Utraque tamen pars citari omnino debet ad videndum iuramenta testium adversarii sui.

VII. Et alteri altera suam offerre depositionem super positionibus praesentandis, et interrogatoria si velit, exhibet in foro sacro super adversarii articulis, non secus quam in iudicio ordinario.

VIII. Post examen testium decernitur facultas *percontandi acta, quae vim habet decreti publicationis.*

Consonare videtur Alex. III. in *cap. si duobus 7. de appellat.* Honorius III. in *cap. dilecti filii 66. eod. tit.* Nisi Papa avocaret ad se caussam, Inn. III. in *cap. ut nostrum 56. eod. tit.*

(1) Iustinian. in *l. un. C. ne liceat tertio provocare*, Honorius III. in *cap. sua nobis 65. de appellat.* Clemente 1. *de sent., et re iudic.*

(2) *L. fin. §. ult. C. de temp. appell.* Nov. 23. *cap. 1.*, unde sumpta est Auth. *hodie C. de appellat.*

IX. Repulsae deinde terminus , alterutra, vel utraque parte postulante , datur.

X. Alius praeterea restitutionis in integrum , si eum quis ea fruens postulaverit.

XI. Tum partibus acta scrutatis post facultatis decretum, iisque monitis , et auditis fit decretum diffinitivum , sententiae ritibus omissis.

XII. Hoc parti , quae succubuit , nunciato, expectantur decem dies, intra quos ea, nisi nullitates , vel restitutionem in integrum , reclamationem , vel appellationem obiecerit , transit in rem iudicatam , et executioni rite mandatur.

XIII. Summario huiusmodi iudicio procedi posse in caussis beneficiorum , matrimoniorum , decimarum , usurarum statuit canonicus Clementinarum textus usu fere non receptus.

XIV. Lex autem civilis usu vigens illud indixit in caussis alimentorum , possessionis bonorum ex Carboniano edicto, et ventris praegnantis, et libertatis inofficioso testamento legatae.

XV. Super ineundis contractibus pupillorum, minorum , Ecclesiae , aliorumque id genus.

XVI. In probationibus ad futuram rei memoriam necessariis.

XVII. In recuperanda , vel adipiscenda possessione.

XVIII. In emergentibus post rem iudicatam quaestionibus , et exceptionibus eam , vel impedientibus , vel moderantibus , in actione ad exhibendum , et de submersis navibus.

XIX. In retractu , seu iure congrui.

XX. De vilibus personis , vel rebus modicis aureos duodecim non excedentibus.

XXI. Et quoties Princeps , vel Pontifex notionem summariam alicuius negotii speciatim imperaverit.

XXII. Et ubi ex natura caussarum res urgeat, ut caussa cito expediatur.

I. Paullo brevius ordinario *summarium* iudicium in utroque foro ecclesiastico , et laico usitatum inde dictum videtur , quod Pandectarum leges notionem iudicibus multoties mandarunt *summatim* (1). Idipsum vero eo sonat vox , quod in Clementinis constitutionibus , et subsecutis Pontificum , et Principum rescriptis data potestas iudicandi *de plano , simpliciter, sine strepitu, et figura iudicii* (2).

(1) Ulp. in *l. si quis 5. §. si vel parens D. de liberis agnoscendis*, *l. Carbonianum 3.*, *§. caussae 4.*, *D. de Carboniano edicto*, *l. si quis libertatem 7. D. de petit. haeredit. l. a divo Pio 15.*, *§. si rerum 5. D. de re iudicata*, aliisque locis inferius indicandis.

(2) Clemens V. in Conc. Vienn. *cap. dispendiosa 2. de iudiciis*, *et cap. saepe contingit 2. de verb. signif.* in Clementinis.

II. Integram huiusce summarii processus formam, ut nunc est, adamussim expressit Clemens V: *saepe contingit, quod caussas committimus,* ait (1), *et in earum aliquibus* simpliciter, et de plano, ac sine strepitu, et figura iudicii *procedi mandamus . . . hac in perpetuum valitura constitutione sancimus, ut iudex, cui taliter caussam committimus, necessarie* libellum *non exigat*, litis contestationem *non postulet, tempore etiam* feriarum *ob necessitates hominum indultarum a iure procedere valeat: amputet* dilationum *materiam, litem, quantum poterit, faciat breviorem*, exceptiones, *et appellationes* dilatorias, *et frustratorias repellendo: partium, advocatorum, et procuratorum contentiones, et iurgia, testiumque superfluam multitudinem refroenando. Non sic tamen iudex litem abbreviet, quin* probationes *necessariae, et* defensiones *legitimae admittantur.* Citationem *vero, ac praestationem* iuramenti de calumnia, *vel malitia, sive de veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commissionem huiusmodi intelligimus non excludi. Verum quia iuxta petitionis formam pronunciatio sequi debet: pro parte agentis, et etiam rei, si quid petere voluerit, est in ipso litis exordio* petitio *facienda, sive in scriptis, sive verbo, actis tamen continuo (ut super quibus* positiones, *et* articuli *formari debeant, possit haberi plenior certitudo, et ut fiat diffinitio clarior) inferenda. Et quia* positiones *ad faciliorem expeditionem litium propter partium confessiones, et* articulos *ad clariorem probationem usus longaevus in caussis admisit: nos usum huiusmodi observari volentes, statuimus, ut iudex sic deputatus a nobis (nisi aliud de partium voluntate procedat) ad probandum simul utriusque* terminum *dare possit, et ad* exhibendum *omnia acta, et monimenta, quibus partes, uti volunt in caussa post dationem articulorum* diem certam, *quandocumque sibi videbitur, valeat assignare. eo salvo, quod ubi remissionem fieri contingeret, pro testibus producendis possint etiam* instrumenta *produci, assignatione huiusmodi non obstante.* Interrogabit *etiam partes, sive ad earum instantiam, sive ex officio, ubicumque hoc aequitas suadebit.* Sententiam *vero* diffinitivam (citatis *ad id licet non peremptorie partibus*) *in scriptis, et* (prout magis sibi placuerit) stans, *vel* sedens *proferat, etiam (si ei videbitur)* conclusione *non facta, prout ex petitione, et probatione, et aliis actitatis in caussa fuerit faciendum.*

III. Cum altera, quam nostis, ordinaria procedendi forma conferamus hanc oportet, ipsam ut accurate speculemur. Initium litis ad terminum usque probatorium in utraque ferme unum, idemque est. Nam petitionem qualemcunque suam actor *primo libello* non aliter in summaria, quam ordinaria caussa exponit, eumque adversae parti *notificari* iudex in primis decernit, ut ea in ius rite vocetur. Si contumax adesse iudicio spreverit reus, incusatis in eum *contumaciis*, ad instruendum processum, et necessarias probationes perget sola pars actoris, singulos actus absenti ad valvas Curiae nunciatura. Si autem citatus venire in iudicium non abnuat, ea ipsa reponet libello actoris, quae tradita iam sunt in cursu iudicii ordinarii, easdemque obiiciet *exceptiones*

(1) In *cit.* Clement. *saepe contingit 2. de verb. sign.*

quum generales, tum speciales, et dilatorias, et peremptorias, quas suae putaverit defensioni ex rerum adiunctis congruere. Mox *mutuae* partium *postulationes*, et replicationes, ambabus auditis, a iudice discutiuntur, provisuro, sintne *adimplendae*, an *reiicindae*, an *reservandae ad merita caussae*. Et ubi alterutra partium sese interlocutionibus gravatam senserit, ad eas abrogandas utitur, et *contrario imperio*, et *remediis nullitatum*, *ac restitutionis in integrum*, et *appellationis*, *aut reclamationis*. Frustrantes palam exceptiones dilatorias perinde in summariis, ac ordinariis caussis debet iudex aequa lance resecare.

IV. Sola vix *cautio expensarum* inter exceptiones dilatorias ea est, quam nisi reus expresse postulaverit, in utroque foro actor indemnis omittit sine ullo summarii processus vitio (1); in foro praeterea ecclesiastico *iuramentum calumniae* non petitum (2), secus ubi petatur (3). Exceptio quoque *feriarum*, quod non impediat summarium iudici cursum, palam est ex ipso textu Clementinae, moribusque nostris: nisi dubia erit forma iudicii, donec termino ad probandum ea explicetur.

V. Praecipuam sane, certamque notam differentiae adfert probatorii termini decretum his verbis conceptum : *Capiatur summaria informatio super omnibus hinc, inde praetensis, testes habeantur pro citatis, et recipiantur*, vel *coram ipso iudice*, vel *per scribam caussae*, vel *per N.* aliquem scilicet iudicis arbitrio deputandum examinatorem. Hoc decreto duae iudicii ordinarii resecantur solemnitates: scilicet *citatio testium*, *et nota suspectorum* in eligendo examinatore. Ambobus porro litigatoribus consuevit in summaria informatione concedi licentia suos ad examen testes non citatos vocare, ac producere, ubi eos pro citatis habendos iudex pronunciaverit. Id autem si tacuerit in decreto termini, tunc citandi omnino ii sunt iussu iudicis ab eius famulo : nam testis rite non citatus, vel pro citato non habitus fere suspectus est, ac seductus a producente praesumitur, non secus, quam ultroneus (4).

VI. Antequam termini decretum partibus nuncietur, scriba caussae, aliusve datus examinator uno, eodemque tempore ambas partes requiret ad videndum iuramenta testium adversorum, scilicet ad calcem eiusdem decreti haec fere scribit : *Requiratur pars* ex *adverso ad videndum iurare testes. N. examinator electus*. Nam quorumvis testium depositiones, quae adversario non citato recipiantur, invalidae omnino sunt, nullamque faciunt in iudicio probationem (5).

VII. Terminum ita datum una cum *requisitoria*, ut aiunt nostri, ad *V. I. T.* convento reo actor nunciaturus insimul *offert*, ita ut fit in processu ordinario, depositionem suam, eamque partis adversae super positionibus in quavis parte iudicii praesentandis reservat : et vicissim *reus* oblatam *acceptat* depositionem, ipsamque si velit excipere, antequam testes examinentur, speciatim petet super positionibus praesen-

(1) Bald. in *Auth. generaliter C. de iudiciis num. 17.*
(2) Ex *cap. 1.*, §. *de iuram. calumniae in VI.*
(3) Ex recitatis verbis eiusdem Clementinae *saepe contingit.*
(4) *L. quae omnia* §. 1. *De procuratoribus*, *et can. illi qui* 4. *C.* 3. *qu.* 5.
(5) Ex alias citato *cap. in nomine Domini* 2. *de testibus.*

tandis, offerens uno, eodemque tempore suam: electum praeterea examinatorem eiurare, ut suspectum poterit, alium non suspectum postulans. Posthaec in *mutuis* partium *positionibus, et articulis* in utroque foro exhibendis, atque *interrogatoriis* etiam in foro ecclesiastico usitatis ea ipsa geruntur, quae in processu ordinario usuveniunt.

VIII. Mox absoluto examine testium utriusque partis, decernitur *facultas*, fit nempe decretum, quo datur collitigantibus facultas percontandi, et inspiciendi depositiones testium, et acta omnia, quae ideo publicantur. Decretum itaque *publicationis* in iudicio ordinario, id ipsum in summario dicitur *facultas*, non re, sed nomine tenus diversa.

IX. Dein una, vel utraque partium postulante, datur *terminus ad repulsam* testium (1), velut necessariam naturali iure defensionem in quibuslibet iudiciis qua ordinariis, qua summariis (2): nisi eam quis aperto calumniandi, morandique iudicii studio postulaverit in caussis praesertim summariis parvi momenti iudicium ordinarium praeparantibus, in quo poterit falsitas testium adhuc emendari, et corrigi (3). Nam recitata Clementina in summariis caussis brevitatem commendat, quae *probationes, et defensiones* necessarias nil avertat, dum resecandas iubet *exceptiones, dilationesque frustratorias*. Decernitur inde *facultas*, ubi accepta iam repulsae testimonia fuerint, ut ea valeant ambae partes percontari.

X. Cui vero litigantium ius indulget beneficium *restitutionis in integrum*, ipse vel ante, vel post repulsam testium, novum eiusmodi beneficii *terminum* postulare non impeditur, ut defectivas principalis termini probationes, ubi opus erit, reficiat, et suppleat (4). Eoque rite decurso, et compilato, acta itidem pubblicantur alio *facultatis* decreto.

XI. Mox acta postquam ambo partium patroni scrutati sint, eaque

(1) Ex *cap. licet causam 9. de probationibus*, ubi Episcopo Ariminensi rescripsit Innocentius III. in summario retinendae possessionis iudicio inter Ecclesiam Ravennatem, Communitatemque Faventiae, ut procuratori Ecclesiae mensis terminum indulgeret *ad reprobationem testium*. Hac in decretali Emm. Gonzalez recte notat *tit. f. num. 4.*. in iudiciis etiam summariis admitti repulsam testium. Simul Honorius III. in *cap. licet dilectus* 49. *de testibus*, quum examen testium ad repulsam ab altera, vel utraque parte petitam iusserit, videtur et Cuiacio, et Gonzalez initio commentarii ad istud *cap.* locutus de summaria quoque possessionis caussa. Gregorius IX. etiam in *cap. praesentium* 2. *de testibus in VI.* in caussa ibidem summaria de possessione subiectionis Prioratus rescripsit, ut delegatus apostolicus *ad reprobandos testes partis alterius in caussa principali productos* examinaret partis adversae testes super articulis eorum crimina, et singula iis obiecta detegentibus. Usum repulsae in summariis nostratibus iudiciis tradunt. Regens de Rosa in *prax. civ. decr. par.* 1. *inst.* 1. *ord. iud. cap.* 6. *dist.* 2. *num.* 39. *et* Leonardus Riccius *par.* 3. *prax. civ. lib*, 1. *cap.* 19. *num.* 18.

(2) Afflictus *dec.* 351 *num.* 3 *et* 8.

(3) Ex *cap.* veniens 38 *de testibus*, et S. R. Consilii sententia apud Afflictum *loc. cit. num.* 7. *et* 8., Regens de Rosa *ibid. num.* 38., et Riccius *ibid. num.* 10.

(4) Ex *l. minor* 36. *D. de minoribus*, Reg. de Rosa *loc. cit. par.* 2 *inst.* 2. *ord. iud. cap.* 2 *num.* 3.

ad notarium caussae rediverint, sine alio intervallo *monentur partes ad dicendum* iura sua *pro expeditione caussae*. Tum auditis plene partibus oretenus, et scripto, earumque rationibus aequa lance libratis, et mature perpensis, iudex diffinitivo decreto quaestionem dirimit, quo reus conventus vel absolvitur, vel damnatur pro variis caussarum meritis, et cuiusque primi libelli tenore (1). Solemnitas quum praefationis, tum iudicis pro tribunali sedentis, quae in postrema iudicii ordinarii adhibetur *sententia*, in *diffinitivis* autem summarii *decretis* omittitur, differentiam inter utriusque formas totam statuit, praeterea nullam in conceptis verbis reum vel absolventibus, vel damnantibus (2).

XII. Prolatum ita decretum, ut rite notificetur ei, qui succubuit, curabit victor, expectaturus decem inde dies, ut sciat, utrum pars adversa obiiciet interea *nullitates*, aut novam postulet audientiam beneficio *restitutionis in integrum*, aut *reclamet*, vel *appellet;* an silens ipsa tacite consentiet illud transire in rem iudicatam. In prioribus enim casibus discutiantur oportet obiecta iuris remedia, vel instruatur appellationis iudicium: in posteriori ad exequendum decretum eo ipso ritu proceditur, quem nostis in executione sententiae ordinariae servari.

XIII. Caussas istiusmodi breviata forma diiudicandas investigare nunc operae pretium est. Quatuor in classes generatim eae distribuuntur: scilicet in summarias *a Iure Canonico*, et *Iure Civili*, in summarias *ab homine*, et *a natura caussarum*. 1. *A Iure canonico* summarias vulgo putant caussas *beneficiorum*, *matrimoniorum*, *decimarum*, *usurarum:* quia textus Clementinarum fert, quod in eiusmodi caussis *procedi valeat* de cetero *simpliciter*, et *de plano*, ac *sine strepitu*, et *figura iudicii* (3). At glossa inibi ad verbum *beneficii*, recte monet, si agatur de proprietate Ecclesiae, puta si de existentia patronatus, aut libertate Ecclesiae, seu beneficii controversia sit inter patronum, et Episcopum, vel de iurispatronatus pertinentia inter compatronos: non esse tunc locum constitutioni Clementinae. Nam consueto fori ecclesiastici stylo, eoque vetustissimo, datur in talibus beneficiorum caussis terminus ordinarius pro verificando titulo, legitimaque quasi possessione iurispatronatus non aliunde adquisiti, quam ex fundatione, et dotatione beneficii, vel constructione Ecclesiae: alias non admittitur beneficiariorum praesentatio, et nominatio, quam fecerit patronatus petitor seu assertor, neque ab eo praesentati canonicam obtinebunt institutionem (4): sed liberam vacantis Ecclesiae, beneficiique litigiosi collationem faciet Episcopus, istumque morem Archiepiscopalis Curia Neapolitana servat (5). In aliis etiam caussis matrimoniorum, decimarum,

(1) Reg. de Rosa *cit. par.* 1. *inst.* 1. *ord. iud. cap.* 7.

(2) Hinc licet intelligere vim illius clausulae *de plano procedere*, quam exposita lex Clementina in pontificiis rescriptis, et constitutionibus, iudicium summarium imperantibus adiici solitam praemonet. Nam *summarie* procedens iudex non opus habet pro tribunali sedere, ubi decretum promit diffinitivum, secus in sententia litis ordinariae proferenda.

(3) Ex *Clement. dispendiosam de iudiciis.*

(4) Ex Trid. *sess. 25. de reform. cap. 9.*

(5) Sicuti fert Aloysius Riccius *decis. 153. num. 47.*

usurarumque terminum ordinarium ad probanda incumbentia adhuc impertiri sum in ea diu expertus. Dicendum ergo est cum citata glossa *ibidem* verbo *valeat*, Clementinam istiusmodi constitutionem ea in re non praeceptivam, neque obligatoriam fuisse, sed arbitrariam, dato iis verbis *procedi valeat* iudicibus arbitrio procedendi summarie, invitis quoque partibus, si maluerint ipsi ita procedere: vel mea quidem sententia hanc eamdem Clementinam usu non receptam fuisse dic potius, quam contraria consuetudine abrogatam, quum indulto summarii processus arbitrio, videantur idcirco non usi iudices in praedictis magni momenti caussis, quod eae pleniores postulent natura sua probationes.

XIV. *Iure* autem *Civili* permultae quidem caussae iudicio summario definiuntur. In primis quae filiorum, parentumve agnitionem, et alimenta spectant (1). 2, Mortuo item parente si filium quis impuberem defuncti esse negaverit, summarie fiet cognitio ad possessionem bonorum parentis ex Carboniano edicto concedendam (2): scilicet ad favorem impuberis pupilli, tutore postulante, summario iudicio decernet possessionem bonorum, reservabitque iudex ordinariam quaestionem status post pubertatem, ita si pupillo expedire magis censuerit. 3, Caussam bonorum possessionis, quae nomine ventris praegnantis a defuncto relicti petatur in favorem posthumi nasciturі, esse quoque summatim finiendam, respondit Iureconsultus (3). 4, An iudicium de inofficioso testamento caussae liberali sit praeponendum: scilicet quum servus libertatem ex testamento, quod esse inofficiosum liberi conquerantur, relictam postulet, summatim existimandum iudici concessit Pius Imperator (4).

XV. 5, *Aliqua si sit controversia, an stipulatio, an satisdatio interponenda sit, nec ne, ipse Praetor debet super ea re* summatim *cognoscere, et cavere iubere, aut denegare*, inquit textus (5). Hinc profluxisse mos videtur, quod summaria capiatur informatio, quotiescumque petitur decretum *expedit* super contractibus pupillorum, minorum, Ecclesiarum, Collegiorum, absentium, aut nasciturorum.

XVI. 6, Cum testes, quibus nunc posset aliquis probare contractum sub conditione initum, quia senes, vel non regressuri, vel morituri timeantur non superesse, quo tempore conditio extiterit, summatim fiet

(1) *L. si quis 5. §. si vel parens D. de liberis agnoscendis: si vel parens* (ibi ait Ulpianus) *ergo neget filium, idcirco alere se non debere contendat, vel filius neget parentem, summatim iudices oportet super ea re cognoscere: si constiterit filium, vel parentem esse, tunc ali iubebunt: ceterum si non constiterit, nec decernent alimenta.*

(2) *Summatim ergo, cum petitur ex Carboniano edicto bonorum possessio debet Praetor cognoscere*, ait idem Ulp. *in l. 3. §. caussae D. de Carboniano edicto.* Huc non pertinet secundum Senatus Consulti Plautiani caput, de partu agnoscendo, qui post divortium edatur: sed Senatus Consultum temporibus Hadriani promulgatum, quod ad partus agnitionem constante matrimonio editi, *l. sive contra 3. §. 1. D. de liberis agnoscendis.*

(3) *L. 1. § si ea D. de ventre in possess. mittendo.*

(4) Teste Ulpiano in *l. si quis libertatem 7. D. de petitione hereditatis.*

(5) Ex *l. 1. §. fin. D. de praetoriis stipulat. l. si is a quo 3. D. ut in possessionem legator., et l. cum res 1. D. de damno infecto.*

probatio Iure quum Civili (1), tum Canonico (2). Praxis inde manavit examinandi testes ad futuram rei memoriam, et petitoris cautelam, parte ex adverso citata ad dicendum, quare ipsi, vel senes, vel infirmi, vel in longinqua profecturi examinari non debeant: atque ad videndum eorum iuramenta. Si tamen adversa pars antea non citetur, quia absit: ei debent intra annum depositiones eiusmodi testium notificari, vel cum ea lis contestari; alias nullam in eum deinde facient probationem (3).

XVII. 7, In possessoriis etiam caussis summarie proceditur (4): puta si de recuperanda, vel adipiscenda possessione agatur. Secus de interdicto retinendae possessionis summariissimo, de quo in sequenti mox dicam titulo.

XVIII. 8, Coram iudice rem iudicatam exequente quaestio super rebus pignori captis, vel sequestro datis emergens summatim examinatur ex Ulpiani textu (5). Quin omnes exceptiones post sententiam sive emergentes, sive incidentes, quae ad illius executionem impediendam, vel moderandam pertinent, summaria cognitione discuti debent (6). Huiuscemodi sunt *nova conventio*, *satisfactio*, atque *interesse tertii*, puta eius, qui contendat executionem non in rebus debitoris iam condemnati factam, sed in rebus alienis. Animadvertendum heic obiter, novam conventionem, et satisfactionem allegari ad impediendam sententiam hodie non posse (7), nisi debitor ita excipiens exhibuerit in continenti publicam scripturam, vel partitam banci, ut aiunt, vel privatam creditoris schedulam a Notario publico subscriptam, unde qualitates dictarum exceptionum probabiles ostendantur. 9, In actione ad exhibendum, quae reivindicationis iudicium antecedat, locum quoque habet summaria cognitio (8). 10, De submersis navibus, ut *levato velo*

(1) In Pauli textu in *l. Aquilia 41. D. ad l. Aquiliam.* Pomponius item in *l. si quis 23. §. fin. de heredibus instituend.*, ait, *caussae cognitionem adiectam propter eos, qui sine dilatione peregre essent, vel aegritudine, vel valetudine ita impedirentur, ut in ius produci non possent.*

(2) *Cap. quoniam frequenter 5. ut lite non contestata.*

(3) Ex Regni *constit. probationum sub tit. de probat.*

(4) Illico *quidem possessio ei, a quo est ablata, reddatur*, textus ait in *l. meminerint 6. C. unde vi.* Consonat *in l. naturaliter 12. §. 1. D. de adqu. vel amitt. poss.*

(5) Ulpian. in *l. a divo Pio 15. §. si rerum D. de re iudicata.*

(6) *L. 2. C. ad legem Corneliam de falsis*, Auth. *quae supplicatio C. de precib. Imperatori offerendis, et cap. suscitata 6. de integrum restitut.* Bartolus in *extrav. ad reprimendam ver. summarie.*

(7) Ex *novissima Pragmat. 14. Martii an. 1738. §. 1. art. 15.*

(8) Ulp. in *l. hac actione 1. §. si sciendum 9. D. ad exhibendum. Iudex igitur*, ait iurec., *summatim debebit cognoscere, an eius intersit: non an eius res sit, et* sic *iubere*, vel exhiberi, *vel non, quia nihil interest. Plus* dicit Iulianus, *etsi vendicationem non habeam, interim posse me agere ad exhibendum, quia mea interest exhiberi, ut puta si mihi servus legatus sit, quem Titius optasset: agam enim ad exhibendum, ut Titius optet, et sic vindicem, quamvis exhibitum ego optare non possim.*

caussa agnoscatur, decreverunt Imperatores Honorius, et Theodosius (1): hoc est summarie, secundum Bartoli interpretationem (2).

XIX. 11, In caussis retractus, seu iuris congrui tam ex consuetudine Neapolitana, quam ex Friderici consuetudine *sancimus*, quoties necessaria erit factorum probatio, termino ea summario facienda est. Quum vero iudex non necessariam existimaverit probationem, via executiva sine termino probatorio procedet cum solis peritorum relationibus ex citata Pragmatica anni 1738. (3).

XX. 12, In caussis vilium, vel personarum, vel rerum summarie item proceditur, quas etiam fore sine scripto decidendas Iure communi constitutum est (4). Hoc in Regno modici valoris caussae putantur infra duas uncias, seu duodecim aureos (5): quae ideirco summarie cognoscuntur (6) ex Ritu M. C. V. statuente, quod in talibus caussis appellati ° ad effectum devolutivum, non suspensivum detur, quemadmodum dari solet in cunctis summariis. Verum infra duos augustales, scilicet carolenos triginta sine scripto iudicatur oretenus, sine aliqua omnino iudicii figura (7). Iudicis aequi, et boni arbitrio qualitatem personarum inspecturi aestimandam minorum caussarum summam putat glossa (8).

XXI. Summariae *ab homine* sunt, quas aliquando suprema Potestas vel Principis, vel Pontificis cognoscendas iubet summarie, de plano, sine strepitu, et figura iudicii (9). Id plura comprobant exempla, in quibus rescripto supremi Legislatoris ordinaria caussarum iudicia versa sunt in summaria, beneficio dispensationis regiae, vel pontificiae.

XXII. *A natura caussarum* tandem summariae sunt, in quibus actionem peremptura dilatio est, et quoties res urget, ut caussa cito expediatur. Ulpianus (10) docet ex certis iisdem caussis celeritatem deside-

(1) In *l. de submersis f. C. de naufragiis.*
(2) Bartolus in *Extravag. ad reprimendam verb. summarie.*
(3) *Cit. Pragm. anni 1738. § 1. art. 12.*
(4) Novella 17. *cap. 3. Nov. 83. in princip. Auth. nisi breves C. de sent. ex breviculo* (alias ex *periculo*) *recitandis*, *l. quoties 13. C. de privilegiis scholarium.*
(5) Modicas caussas, et minores usque ad quinquaginta solidorum summam haberi censuit textus in *l. 1. C. de defensor. Civit.* Iustin. autem Novel. 15. *cap. 3.* extendit defensoribus facultatem iudicandi in caussis omnibus pecuniariis usque ad aureos trecentos, uti modicis, minoribusque. Ulp. ex rescripto Hadriani loquens de pannicularibus damnatorum in *l. divi Hadriani D. de bonis damnatorum* refert leves annulos censeri, qui non excedunt rem quinque aureorum. Paullus in *l. si oleum 11. §. fin. D. de dolo malo* actionem doli minime dandam respondit, quum modica summa sit usque ad duos aureos. Quo tamen in textu Cuiacius monet iurec. scripsisse usque ad duo millia sextertium, quae quigentos aequarent aureos. Ulpianus in *l. nisi dolo 3. D. si cui plus §. quamvis* docet in minutis alimentorum legatis cautionem heredis favore non praestari usque ad summam decem aureorum.
(6) Ey ritu *M. C. V.* 257.
(7) Constit. regni *dilationes tit. de dilation.*
(8) Glossa in *cit. auth. nisi breves C. de sentent. ex breviculo recitandis.*
(9) Clement. *saepe de verb. sign.*
(10) Ulp. in *l. ne quis 1. D. de fer.*, *et dilation.*

rantibus , scilicet si res tempore peritura sit, cogi poterimus per tempus feriaticum messis, vindemiaeque ad Praetores venire. Idemque Iureconsultus (1) addit alias caussarum species diebus feriaticis petractari : puta, *ut tutores , aut curatores dentur , ut officii admoneantur cessantes* (qui nempe tutelam recusant) , *excusationes allegentur , alimenta constituantur, aetates probentur, ventris nomine in possessionem mittatur , vel rei servandae caussa , vel legatorum , fideive commissorum , vel damni infecti: item de testamentis exhibendis, ut curator detur bonorum eius , qui an heres extiturus sit , incertum est : aut de alendis liberis , parentibus , patronis : aut de adeunda suspecta hereditate: aut, ut aspectu atrox iniuria aestimetur, vel fideicommissaria libertas praestanda.*

TIT. XIX.

De summariissimo processu.

I. Huius forma specialis post terminum ad probandum in calce primi libelli brevissimum, et testium depositiones, citato collitigante acceptas, illico postulat decretum diffinitivum.

II. Usurenit in caussis retinendae possessionis, vel lite pendente, vel ad vitandam turbationem.

III. Mandatum de manutenendo , seu conservanda possessione isto ritu expeditur in foro ecclesiastico : in profano autem citius, ad calcem scilicet primi libelli

IV. Regale praesidium vigore capitulorum Regni hac ipsa forma in clericos concedimus in Regio Consilio, aut Camera S. Clarae.

V. Et in utroque foro simul purgantur attentata, et fiunt legitimationes personarum.

I. *Summariissimum* iudicium, uti genus complectitur processus *executionis :* uti species peculiarem habet formam quum a *summario* , tum ab *executivo* diversam.Nam posthabita exceptionum discussione,quae probatorium in ordinatoriis, et summariis caussis terminum antecedunt, datur, viso vix primo libello, terminus ad probandum brevissimus. Testes citata parte adversa ad videndum eos iurare examinantur. Eorumque acceptis, visisque depositionibus, repulsa omnino silente, iudex decernit extemplo, quod iustum ex ea vel levissima probatione putaverit.

II. Frequens est ista brevissimi iudicii forma in interdicto retinendae possessionis, vel lite pendente, vel ad futuram, quae immineat, tur-

(1) Idem iurec. *in l.* 2. *D. eodem,* ex oratione Marci Imp. in Senatu recitata.

bationem praecavendam, vitandamque. Quoties enim dubia res sit, uter ex litigantibus possideat, ne ii se ultro, citroque interturbando ad arma prosiliant, decerni ab ipso litis initio solet, *quod capiatur informatio super possessorio summariissimo*. Vel *quod in biduo capiatur informatio ad finem providendi, quis lite pendente sit in possessione manutenendus* (1). Tum de ea ex prolatis testimoniis constito, mandatur, *manuteneri possessorem in ea*, addita inhibitione, *ne ei a quocumque vis inferatur*.

III. Quum timeat aliquis se sua in possessione turbatum iri; iudicem adit postulando, ut eius auxilio, brachioque in illa conservetur. Quod pragmatici appellant *mandatum de manutenendo*, vel *conservatorium* vel *mandatum conservatoriale*. Istud clericis in foro ecclesiastico non conceditur, nisi ante constiterit summariissime de legitima comparentis possessione (2). In foro tamen laico plerumque impertitur sine ullo documento, aut pobatione, et ne contradictore quidem citato. Nam in calce libelli continuo rescribitur, quod *comparens non turbetur de facto in possessione, in qua reperitur, donec aliter fuerit provisum*. Vel quod *libellus intimetur parti ex adverso, et interim comparens non molestetur de facto in possessione, in qua reperitur* (3).

IV. Regale praesidium vigore quinque Regni capitulorum (4) in S. Regio Consilio S. Clarae, praevio rescripto Regis, vel Regalis Camerae S. Clarae per viam extraordinariae cognitionis tam contra laicos, quam eclesiasticos vim inferentes conceditur, citatis antea per edictum omnibus interesse habentibus, ut clerici tamquam voluntarii actores iura sua proferre valeant, dein summariissime probata possessione, spolio, et violentia (5).

V. Purgationem attentatorum, et legitimationem personae summariissimo cognoscendam iudicio, sine repulsa testium, monet M. de Afflictis (6). Quia praeiudicium interlocutione summarissima forsan illatum reparari utique potest in plenario proprietatis iudicio sine appellationis, vel in integrum restitutionis beneficio.

(1) Capic. *dec. 55., et 96.*, Capic. Latro *dec. 101.*, Regens de Rosa in *prax civ. etc.* Vindiciarum nomine iud cium istud Romani appellabant, Petr. Greg. *Syntagm. iur. lib. 21., cap. 9., n. 13.*, Pomp. Ictus in *l. 2, §. initium D. de origine iuris* memoriae tradit, quod Brutus primus Romae Consul vindicias dixisset secundum libertatem in persona Vindicii Vitelliorum servi. *Momentanea* possessio appellatur in *l. momentanei 3. C. qui legitimam personam*, et *l. 8. C. unde vi*. Ab Hispanis *interdictum interim*. A Gallis *recredentia*, uti monet Claudius Fleury *par. 3. Instit. iur. canon. cap. 5. num. 5.* itemque *caussa novitatis*, ex traditis a Petro Gregorio *loc. cit.* A Germanis decretum *provisionale* Fachin. *lib. 8. controv. cap. 15.*

(2) Ex Pii V. constit. *inter illa 117. §. mandata*, Petrus Ridolphin. in *praxi iudiciaria par. 2. cap. 12.*

(3) Regens de Rosa in *praxi civ. cap. 10. num. 17., et 42.*, ibique Riccius *num. 8.*

(4) Dixi ea iam *tit. V. num. XVIII.*

(5) Staiban. *lib. 1. resol. 39.*, et Rovit. super Pragm. *de conservatoriis*, Sanfelic. in *prax. sect. 30.*

(6) Afflict. *dec. 351. num. 1., 2., et 3.*

TIT. XX.

De processu executivo

I. Quae paratam habent sine mora executionem instrumenta publica, obligationes penes acta, bancales apochae, et litterae cambii, executivum in debitores processum postulant.
II. Hic speciatim usuvenit in liquidatione instrumenti membranei via Ritus M. C. Vicariae.
III. Et quoties incusantur obligationes penes acta.
IV. Aut apochae bancales.
V. Aut litterae cambii.
VI. Aut obligationes in forma R. Camerae Apostolicae.
VII. Aut taxae in publicis libris census, et publicorum onerum rite descriptae.
VIII. Concursus creditorum hanc etiam iudicii executivi formam fere exigit.

I. Inter summariissimi species iudicium connumeratur *executivum*. Hoc tamen vocabulo speciatim dicitur, in quo nec petitio in scriptis, nec probatio testium, nec sententia condemnationis, vel decretum diffinitivum sit, sed executio duntaxat liquidorum contractuum, et scripturarum, quae paratam habere solent executionem: ut sunt *publica instrumenta*, *obligationes penes acta*, *apochae*, ut aiunt, *bancales*, *litterae cambii* contestando denunciatae, id genus aliae (1).

II. In primis itaque *liquidatio* criminalis *instrumenti via Ritus M. C. V.* ita fit. Creditor ipse non per procuratorem, sed per sese absque libello exhibet instrumentum auctographum in membrana, seu charta pergamena: ritu sollemniori conscriptam *guarantigia* (2) vallatum, pu-

(1) Leonard. Ricc. in *prax. par. 2. in praeludio num. 4.*

(2) A solemni Quiritium stipulatione parum differt *guarantigiae* usus noster, quippe quae inducitur ex mutua contrahentium confessione, et sponsione servandi pacta etiam inita coram Notario publico, et iudice ad contractus, testibusque rogatis ad instrumenti stipulationem, praevia ipsius Notarii interrogatione. Quamobrem in singulis instrumentis clausula finalis adiicitur: *pro quibus omnibus observandis* etc. in qua vis *guarantigiae* continetur, et exprimitur, Conf. Roccus *lib. 2. resp. 9. num. 11.*, Cancer. *var. resol. par. 2. cap. 3;* de Luca ad Praef. de Franchis *observ. 66. num. 5.* Instrumenta ad formam Ritus liquidanda, statim ac fuerint exhibita, debent scribae notificare Fisci Patrono, et Procuratori pro poena fiscali, ex Pragm. 7. de off. Mag. Iust. §. 4. Tum §. 6. abolentur decreta, quod *fiat depositum*. Et §. 7. citatis appellantibus, antequam compareant in M. C. V. et provisionem exhibentibus, quod *fiat* verbum in S. C. non impeditur liquidatio, nisi praestiterint cautionem parendi decretis Sacri Consilii, et se personaliter sistant.

rum, et liquidum, quod caussam, debiti legitimam contineat. Eoque per iudicem viso, expeditur citatio debitoris peremptoria, ut personaliter compareat creditori suo responsurus super instrumenti praesentati tenore. Mox debitore post citationem nunciatam comparente, vel ob contumaciam absente, iudex pro tribunali sedens creditorem ipsum personaliter de crediti veritate interrogat, et continuo debitorem, si adsit, de veritate debiti. Auditisque amborum responsionibus, praevio iuramento, confectam pronunciat liquidationem instrumenti, statimque debitori iubet, ut solvat debitum, et poenam, intereaque a palatio non discedat, vel vinculis mancipetur. Qui si appellet, non impeditur interea realis executio, nec personae in carcerem detrusio (1). Non enim auditur suis in exceptionibus debitor post eiusmodi liquidationem instrumenti, nisi in vinculis, vel facto deposito.

III. *Obligationes penes acta*, quae scilicet ab actorum magistro sit praevio mandato iudicis conscripta, creditor intra decem annos, ex quo solutionis dies venerit, sine aliquo scripto libello coram eodem iudice comparens oretenus incusat, ut aiunt pragmatici, contra debitorem suum ex ea liquidum, de facie ad faciem obligatum, pro certa debiti quantitate: statimque expediuntur litterae executoriales realiter, et personaliter contra debitorem ipsum non citatum; cuius exceptiones quaelibet ad impediendam executionem post eiusmodi incusationem non audiuntur penitus, nisi ante facta reali solutione (2). Elapsis tamen decem annis, vel si in alia Curia obligatio, quae incusatur, accepta sit, aut si contra defuncti debitoris heredes (3) incusetur: tunc citatio ad dicendam caussam, quare incusari non debeat talis obligatio, praecedat necesse est: atque intra indictos citatione dies debitor legitimas exceptiones si probabiles obiecerit, auditur extra vincula, et sine deposito (4). Similiter qui praevio iudicis *mandato* scripto se obligaverit non discessurum e palatio, vel domo sua, vel civitate, sed inibi loco carceris permansurum sub condicta tot aureorum poena:

(1) Leonard. Rice. in *cit. prax. par. 2. tit. 1. cap. 27.*

(2) Ex saepe cit. pragm. *an. 1738. §. 1. art. 13.* Insuper Prag. 44. de off. Mag. Iust, quam edixit Comes de Miranda Prorex an. 1587., cautum §. 1., *ut obligationes stipulatae in tribunalibus habeant paratam executionem, et quod per Iudices non possint fieri decreta, quod* praestita cautione per debitorem de solvendo debitum, et poenam, supersedeatur in accusando obligationes ipsas, *quando venit, et cessit dies solutionis*, sub poena unciarum centum. Tum §. 2., quod *novae conventiones, aut satisfactiones, quando allegantur in iudiciis, debeant esse adeo lucidae, et claraе, quod nulla penitus indigeant declaratione, alias non admittantur a iudicibus, magistris actorum, et scribis sub poena duc. 50.* Tum §. 3., quod allegans satisfactionem, et non probans incurrat in poenam ducatorum duodecim, applicandam pro medietate Fisco, et pro alia medietate parti. Quodque in eamdem poenam duc. 12. incurrat Procurator, qui allegat novam conventionem. Et §. 4., et ult. quod in eamdem poenam duc. 12. incurrat, qui facta executione comparet esse executum in bonis alienis, et illud non probaverit.

(3) Qui in alterius locum succedunt, iustam habent ignorantiae causam, an id, quod peteretur, deberetur, ait Gaius in *l. qui in alterius 42. D. de reg. Iur.*

(4) Petra *super ritu 128. num. 19.*

si abibit inde iniussus, ad poenam spreti mandati persolvendam executive cogitur. Fisco scilicet instante, alta praeconis voce primum vocatur in condicto vel palatii, vel domus, vel civitatis loco obligatus, seu sub mandato detentus: eoque tunc non comparente in tali perquisitionis actu, duo super ea re testes examinantur: deinde sine ulla condemnationis sententia mandatum expeditur executivum pro constituta poena spreti mandati exigenda (1).

IV. *Apocha bancalis* ea vulgo dicitur, qua debitor obligationem suam scripto professurus initio scripturae mandat alicui ex mensis argentariis, quas *Banca publica* nostri appellant, ut solvat certam pecuniae quantitatem creditori suo pro certa debendi caussa, licet debitor ipse in eo Banco depositam non habeat pecuniam. Apocham istiusmodi una cum libello postquam creditor praesentaverit, debitor citatur vel personaliter, vel in Curia illius Notarii, qui eam fecerit authenticam, in ea si pactum citationis in tali Curia adiectum sit expresse. Citatur, inquam, ut *recognoscat infra tot dies apocham, et solvat;* vel ad *videndum iurare testes* apodixarios in apocha subscriptos, vel *ad videndum fieri manus comparationem*, quae eamdem subscripsit. Post apocham sic *recognitam*, aut expresse a debitore, qui eamdem esse veram asseruerit, aut tacite per illius citati contumaciam, vel *verificatam* per testes apodixarios rite examinatos, aut per subscripti debitoris manus comparationem, aut denique per documentum banci publicum: illico sine alia mora relaxantur litterae executoriales, post quas debitor nequit amplius audiri, nisi in vinculis constitutus, vel facto deposito (2). Idipsum de stylo, et consuetudine in Curiis etiam ecclesiasticis observatur (3).

V. *Litteris cambii*, seu thesseris collybisticis acceptatis, et protestatis inolita fori consuetudo viam quoque tribuit exequutivam (4); quum ita postulet publica commercii utilitas (5). Itaque postquam mandatarius cambii litteras ad sese data acceptaverit, diemque acceptationis in calce illarum conscripserit, si pecuniam numerare condicto die distulerit: instante creditore fit per Notarium publicum petitio pecuniae eidem mandatario, eodemque tempore actus protestationis de mora eiusdem in loco destinatae solutionis. Tum praesentantur iudici tales litterae una cum actu protestationis: iisque visis, debitore nil citato expeditur extemplo mandatum exequutivum contra mandatarium ipsum, qui eas acceptavit (6). Si tamen mandatarius eas non acceptaverit, creditor pecuniam suam a mandante, qui litteras collybi dedit, repetiturus,

(1) Caravita *super ritu 44., et 158.*

(2) *Pragm. 36. de offi. Proc. Caesar.* §. 2., *et prag., an. 1738.*, §. 1. *art. 13.*

(3) Aloysius Riccius *dec. 142g.*, et Altimari *rub. g. qu. 28.*

(4) Card. de Luca *disc. 22. de cambiis.*

(5) *Pragm. 11. et seq. de cambiis.* Obiter hic animadvertendum litteras cambii realis directi, atque indirecti, vel obliqui tantum esse iure probatas, quum cambia sicca, tamquam foeneratitia damnaverit meritissime S. Pius V. *in bulla 118.* §. 2.

(6) Mausonius *de caussis exequutivis qu. 5. n. 17.*

exhibebit eas originaliter una cum partita banci, solutam mandanti pecuniam ostensura : et ita sine alia solemnitate, vel probatione, mandatum obtinebit exequutivum. Secus si ex partita banci numeratio pecuniae non constiterit, quum non numerata pecunia tunc praesumatur: eo casu numeratio audito mandante, qui scriptas dedit litteras colliby, probanda erit, antequam mandatum relaxetur exequutivum (1).

VI. *Obligatio in forma Reverendae Camerae Apostolicae* viam quoque executivam obtinet in foro ecclesiastico, et potissimum in tribunale R. Nuntiaturae Apostolicae, dummodo cameralis obligationis clausula sit scripturae alicui paratam ex seipsa executionem habenti adiecta, quippe quae privatis scripturis, quam ipsae non hebent, expeditam executionem dare non potest. Quod ad istius exequendae formam, exhibetur una cum libello scripta obligatio cum clausula camerali. Citatur exinde debitor ad confitendum debitum, et solvendum. Qui potest intra citationis terminum vel evidentem, vel incontinenti probabilem aliquam exceptionem ex tribus tantum opponere, scilicet falsitatem, novam conventionem, et satisfactionem, aut aliquam ex ipso contractus ventre ut aiunt, seu ex ipsa obligationis cameralis scriptura orientem. Nulla si talis, sed alia quaevis obiiciatur exceptio, aut si citatus debitor ad excipiendum, non comparuerit : ad relaxationem mandati executivi realiter, et personaliter devenitur. Etenim, ut recte monet Genuensis (2), nec Tribunal R. Nuntiaturae Apostolicae, nec locorum Ordinarii possunt in obligatum clausula camerali debitorem censuras infligere, sed solus Auditor Camerae Apostolicae in Curia Romana (3).

VII. Ex libris census vulgo *catasti*, collectarum, tributorum, functionum fiscalium, publicorumque onerum, si publica ii auctoritate confecti sint; item ex breviario debitorum, quod ex iisdem libris publicis tabularius, seu officialis ad id deputatus extraxerit, debitores sine ulla iuris solemnitate, aut mora coguntur realiter, et (nonnisi bonis deficientibus) personaliter ad solvendum publicis exactoribus quantitates inibi praescriptas (4). Idque in toto Regno servari, monet Mansonius (5). Eodem iure contra ecclesiasticos huius Regni, tam saeculares, quam regulares, qui renuant, vel morentur laicis exactoribus persolvere ratam onerum Universitatis legitime taxatam a publicis eiusdem Deputatis cum interventu deputatorum utriusque Cleri vigore novissimae legis Concordatorum, et instructionum Regiae Camerae Summariae, postquam facta iam sit census publicatio, Episcopus, aliusve loci Ordinarius visa vix nota debitorum rite exscripta, relaxare statim debet mandatum execu-

(1) Videsis Leonard. Ricc. in *cit. prax. tom. 2. lib. 2.*

(2) Marc. Ant. Genuensis *in prax. Curiae Archiep. Neapolitanae cap. 117.* Videsis quae infra dicentur *lib. IV. tit. XVIII. num. XLIV.*

(3) Videndus ad id Gallesius *de obligat. camerali qu. 1. ad 4.*, Gallemart. in Trid. *cap. 20. sess. 24. de reform. in remis. lit.* t, haec habet : *Auditores Camerae caussas obligatione camerali firmatas in partibus existentes avocare posse, etiamsi extra curiam contraxerint, et licet pendeant coram Ordinariis.*

(4) *L. 1., toloque tit. C. de exactoribus tributorum.*

(5) Mansonius *qu. 6., num. 31. Leonard. Ricc.* . . . .

tivum cum facultate procedendi per quoscumque quoad executionem realem tantum. Alias in eo expediendo si moram fecerit, vel renitens fuerit Dioecesanus, aut si suam ipsemet Dioecesanus quotam exsolvere detrectaverit, Metropolitanus, vel Tribunal mixtum publicis exactoribus ob id recurrentibus brachium impertitur, seu licentiam exequendi realiter tantum, vigore Concordatorum (1), reservato Regiae Camerae Summariae cognitione gravaminum, exceptionumque, quae in census taxam obiiciantur.

VIII. Concursum, et gradationem creditorum super universa vel decocti debitoris, vel hereditatis iacentis bona fieri executivo iudicio, monet Regens de Rosa (2). Dum sane tres simul creditores communem debitorem in ius vocaverint, eiusque suspectum, ac deficiens esse dixerint patrimonium: fit illico sequestrum omnium illius bonorum, datur Curator, et citantur per edictum omnes creditores. Dein statim ac liqueat ex publicis scripturis de singulis creditis, legitimaque cuiusque creditoris persona, de quibus sigillatim fecit caussae Actuarius relationem, dein gradatione per iudicem ordinata, bona debitoris sub hasta venduntur, et satisfit ordine singulis. Si tamen quis creditum suum liquidis scripturis non ostenderit, eius petitio ad iudicium ordinarium remittitur examinanda.

TIT. XXI. et ULT.

De processu praeceptivo.

I. Ubi duo, vel tria de solvendo praecepta executionem praecedunt, iudicium tunc dicitur praeceptivum.

II. Primo scilicet solutio vigore pacti executivi, quod liqueat, intra certos dies indicitur, secundo, eoque postremo additur clausula urgentior cum effectu, praecise, et peremptorie solvat.

III. Si tria fiant praecepta, in secundo quod solvat cum effectu, *solum tunc dicitur.*

IV. Post peremptorium terminum expeditur mandatum executivum, quod personis conspicuis antea ostenditur.

V. Celeritas tamen huius processus legitimis exceptionibus, et remediis plerumque retardatur, quas oportet, partibus auditis discutere.

VI. Quoties pactum executivum liqueat ex publico instrumento papyraceo, usuvenit haec iudicii forma.

VII. Et in exigendis censibus liquidis, et consuetis: in repetenda vero sorte, ac rescissione cantractus censualis non item.

VIII. Adsistentiae iudicium porro est ordinarium.

IX. Pro ea in ecclesiastico foro usuvenit Salvianum interdictum.

X. Constituti clausula in creditorem transfert naturalem, et veram possessionem.

(1) *Concordata cap. 1. art. 9.*

(2) Regens de Rosa in *prax. civ. decret. cap. 1. num. 31., et 91.*

XI. Precarii vero clausula relinquit asininam debitori possessionem, creditore veram, et legitimam detinente.

XII. Legata ex testamento, vel codicillo iudicium exigunt praeceptivum.

XIII. Simul, et dotalia instrumenta.

XIV. Et sententiae diffinitivae.

XV. Et significatoriae contra debitores Fisci, vel Ecclesiae.

XVI. Et libri mercatorum bene compacti, et probe custoditi.

XVII. Privatae autem scripturae quaelibet hoc in Regno iudicium fere ordinarium postulant, nisi fiant liquidae ex debitorum confessionibus.

I. Ad executivas caussas accedunt etiam aliae, quae praemissis duobus, tribusve de solvendo praeceptis, unde *praeceptivi* iudicii nomen defluxit, expeditam, citamque obtinent executionem.

II. Quandoquidem ubi creditor una cum libello publicam, liquidamque scripturam protulerit, iudex praecipit, *quod debitor conventus in biduo, vel intra tot dies solvat petitori debitas pecuniae quantitates vigore instrumenti in actis exhibiti, et pacti executivi in eo adiecti, alias providebitur.* Postquam primum hoc praeceptum debitori personaliter nunciatum erit, iste si extra locum iudicii degens non respondeat, nec procuratorem suum ad excipiendum constituerit: accusatis consueta forma contumaciis, non personaliter amplius, sed per edictum ei alterum peremptorium enunciabitur praeceptum. Si tamen in loco iudicii adsit, nullamque pro sese exceptionem probabilem contra petita obiecerit, elapsis primi praecepti diebus secundum, illudque peremptorium in foro laicali praeceptum edicitur, *quod idem conventus debitor in alio biduo, vel intra tot alios dies cum effectu praecise, et peremptorie solvat creditori petitas pecuniarum quantitates vigore instrumenti, alias exequatur.* Duo enim, et non plura praecepta fiant, ut debitoribus liquidis, iubet regia Pragmatica (1).

III. Antea in utroque foro tria usu vigebant praecepta, quae in Curiis ecclesiasticis adhuc servantur. In istis itaque ante peremptorium secundo praecepto decernitur, *quod intra tot alios dies cum effectu solvat, alias providebitur, quod exequatur.*

IV. Lapsis peremptorii praecepti diebus expeditur mandatum executivum realiter, et personaliter, cuius vi reapse compellitur debitor ad satisfaciendum vel captura, et venditione pignorum, vel persona in carcerem detrusa. Vix autem nobilibus, et conspicuis viris indulgeri ex aequitate solet, ut mandatum executivum eis *ostendatur per diem ante*, quam fiat armata manu executio.

V. Celeritatem nihilominus huiusce processus praeceptivi saepenumero retardant exceptiones legitimae, ac probabiles, eae praesertim, quae ex ventre scripturae publicae prodeunt, itemque gravamina in cunctis iudiciorum speciebus frequentissima contrarii imperii, nullitatum,

(1) *Citat. Pragm. an. 1738. §. 1. art. 11.*

restitutionis in integrum, et appellationis: de quibus nisi rite cognoscat, consuetasque interlocutiones pronunciet iudex, contra fori stylum agere, iniuriamque in iure dicundo facere putabitur. Unum praeterea hic superest animadvertendum, quod cavit saepe dicta regia Pragmatica (1): ut nimirum libellus contrarii imperii contra primum solummodo praeceptum duos intra dies omnino debeat opponi, nec ullatenus post secundum, aut peremptorium admittatur: cetera tamen legitima gravamina secus, quae quidem salva fore, ubilibet ea rite obiiciantur, edixit eadem regia constitutio (2).

VI. Hac iudicii praeceptivi forma utimur, quotiescumque de pacto, ut aiunt, executivo liqueat per instrumentum publicum in papyro etiam, seu charta ex maceratis lini panniculis praeparata exscriptum (3). Communi quidem iure Romanorum inspecto publica instrumenta paratam non habent executionem (4). Iustinianus idcirco mandavit, ut utraque litigantium pars ab iudice perinde requiratur ad perscrutandam prolati instrumenti fidem, atque ad videndum iurare testes ex adverso (5). Nam nisi tabellio, testesque in instrumento subscripti veritatem instrumenti in iudicio comprobaverint, si superstites fuerint, vel per notarum, signorum, literarumque comparationem periti alii testes illis cum tabellione demortuis fidem dederint instrumento publice confecto: istud ad iuridicam non sufficit probationem (6). Quemadmodum, et Gordianus ante rescripserat, solemnem iudiciorum ordinem, moremque fore servandum ei, qui pacto stipulatione convento, obfirmatoque agit (7). Idipsum Iure Canonico cautum putant DD. Nam Alexander III. (8) vivam vocem testium inscriptorum desiderat in scriptis authenticis; qui si decesserint, tunc probari ea scripta posse per authenticum, si adfit sigillum, vel per comparationem manus publici notarii, qui ea ipsa confecerit. Et quodvis authenticae scripturae exemplum, nisi in praesentia partium antea sit collatum cum originali de mandato iudicis, nullius est fidei (9). Hoc tamen in Regno *guarantigia* in singulis instrumentis adiici solita, nimirum mutua contrahentium confessio coram iudice ad contractus, Notario publico, tribusque testibus, et solemnis sponsio

(1) *Eadem Pragm. loc. cit.*

(2) Antiqua insuper Pragm. *un. de exceptionibus*, Rex Ferdinandus an. 1477. constitutum, ut *quicumque exceptionem* solutionis, transactionis, iurisiurandi, *vel* pacti de non petendo *opposuerit, et eas, vel aliquam ipsarum non probaverit, saltem semiplene, in decem tarenis pro qualibet exceptione huiusmodi opposita, et non probata condemnetur . . . . . , et ultra poenam praedictam in expensis pars non probans condemnetur.*

(3) Sanfelic. *in prax. sect. 28. num. 14.*, *et dec. 212. lib. 2.*

(4) *L. in exercendis 15. C. de fide instrum.* Nam *in exercendis litibus* (rescripsit Constantinus M.) *eamdem vim obtinent tam fides instrumentorum, quam depositiones testium.*

(5) *L. iudices 18. C. eodem.*

(6) *Novella 73. in auth. coll. 6. tit. 2. de instrum. cautela, et fide.*

(7) *L. si pacto 14. C. de pactis.*

(8) Alex. III. in *cap. scripta 2. de fide instrum.*

(9) Ex *epist.* divi Gregorii M. *in cap. 1. eod. tit.*

cum iuramento de *observandis omnibus* inter sese *conventis*, facit, ut plena publico instrumento sit fides sine alia extrinseca probatione, donec aliter viva voce testium ostendatur in iudicio. Praesentia enim *iudicis ad contractus* supplet solemnitatem iudiciariae instrumentorum comprobationis, additque pactis coram eo conventis vim confessionis iudicialis, quae paratam parit executionem (1).

VII. Hac ipsa ratione fit, ut *contractui censuali* celeris etiam detur executio realiter tantum per bina, seu trina praecepta (2): dummodo de censu liqueat, vel de possessione illum exigendi ex publico instrumento, vel ex actis argentariorum, quae vulgo dicuntur *partite di Banco*. Hinc si census debitor morosus, vel titulum ostendi petat, vel vitiosam, nullumque esse contenderit, vel quidvis aliud obiecerit: impertiri solet *terminus ordinarius super deductis*, *non impedita interim solutione canonum*, *vel tertiarum*. Volens autem creditori sortem, seu census capitale pretium repetere vigore *legis commissoriae*, nimirum pacti de rescindendo contractu ob canones non solutos, vel conditionem non impletam, vel ob falsam hypothecam, aliave spreta conventa, debet antea primo libello postulare contractus censualis rescissionem, debitoremque damnari ad solvendum capitale, una cum tertiis decursis. Impertitur terminus *ordinarius* ad probandum incumbentia, eoque rite compilato, decernitur, *quod debitor conventus infra tot dies solvat tertias decursas*, *alias providebitur super petita rescissione contractus*. Tum altero praecepto, *quod intra tot alios dies cum effectu praecise*, *et peremptorie solvat*, *alias fiat petita rescissio contractus*. Dein reo in contumacia, moraque solvendi perseverante, post factam pro expedienda caussa monitionem diffinitive decernitur, quod *rescisso contractu damnetur N. ad solvendum creditori ducatos tot capitalis, una cum tertiis usque ad litem contestatam decursis. Verum si intra viginti dies solverit tertias*, *supersedeatur a solutione capitalis: alias dicto termino elapso, exequatur decretum tam pro capitali*, *quam pro tertiis* (3). Et ubi renuerit, debitor istas solvere tertias, ad poenam quoque ducatorum quinque pro quolibet centenario favore Fisci exsolvendam damnatur (4).

VIII. *Adsistentiae* iudicium cumulari saepe solet in rescissione contractuum censualium. Id ubi fiat, atque in ordinario termino actor probaverit bona in calce primi libelli adnotata *fuisse*, et *esse in bonis*, et *de bonis* debitoris, qui sese instrumento publico, et solemni hypotheca seu generali, seu speciali obligasset: in sententia reum conventum damnante ad solvendum debitum una cum decursis foenoribus additur, et haec clausula: *pro quibus praestetur adsistentia super bonis in iudicio deductis cum facultate vendendi*, *vel adiudicandi in*

(1) *L. 1. C. de confessis*, *et l. si debitores D. de re iudicata.* Ut enim probe cecinit Ovidius: *Non est confessi caussa tuenda rei.*

(2) Ex Pragm. 1., *et seq. de censibus*, Leon. Riccius in *cit. prax. tit. 4. cap. 1. num. 8.*

(3) Reg. de Rosa in *prax. civ. cap. 12. num. 75.*

(4) Ex Pragm. *an. 1738.* §. 1. *num.* 16.

forma. Ceterum ubi contra tertium possessorem petitur *adsistentia* vigore instrumenti *guarantigia*, clausulisque solemnibus praediti: dubium non est, quin iudicium sit *ordinarium*, in quod creditor probare omnino cogitur bona, super quibus *adsistentiam* postulat, nedum *fuisse in bonis*, et *de bonis* debitoris tempore obligationis; verum etiam *possideri* ab eo, qui in ius vocatur, tempore motae litis, et praesentis iudicii cursu (1). *Adsistentiam, et appretium*, ait lex Pragmaticarum (2), *contra tertium possessorem pro executione instrumenti, continentis* obligationem bonorum, pactum de capiendo *cum* constitutione precarii *peti posse, et per iudicem concedi absque aliqua discussione contra principalem facta* (3), *aliis concurrentibus, quae de iure necessaria sunt in adsistentiae, vel hypothecariae caussa, declaramus* (4).

IX. In Curiis autem ecclesiasticis fere non usurpatur iudicium *adsistentiae*, quam laica lex tulit: eam nisi alicubi constitutio Synodi dioecesanae, vel probata consuetudo acceptavit (5). Sed vigent pro ea *interdictum Salvianum*, *actio Serviana*, *vel quasi serviana*, remedium *l. fin. C. de adquirenda possessione*, cetera pro pignoribus, et hypothecis interdicta legitima Iuris communis.

X. E re nata clausulas *constituti*, et *precarii* explicemus. *Constitutum* contrahit, qui soluturum spondet, quod ipse, vel alius debet quomodolibet, suamque ipsius voluntatem sese obligandi quibuslibet verbis declarat (6). Per clausulam *constituti* proptera Iureconsulti in comperto habent nedum transferri civilem, ac fictam, sed etiam naturalem, realem, veramque possessionem, non secus, atque per corporalem traditionem (7). Iura enim probant, et hunc modum transferendi possessionem solo animo, verbis tamen expressis declarato sine corporali traditione. *Itaque si in fundo sis, et tamen nolis eum possidere: protinus amittes possessionem. Igitur amitti, et animo potest, quamnis adquiri non potest. Sed etsi animo solo possideas, licet alius in fundo sit, adhuc tamen possides*, ait Paulus (8). Hinc intelligitis,

(1) Reg. de Rosa *loc. cit. num.* 107. (2) Pragm. 1. *de adsistentia*

(3) Quum *l. hoc si debitor C. de pignoribus* agi contra tertium possessorem, nisi discusso antea patrimonio principalis debitoris, prohibeat: communi huic iuri derogavit municipalis Pragmaticarum lex.

(4) Pragm. 2. *de appellationibus* Ritum M.C.V. 259, *quod a decreto super* adsistentia *affirmativo* non appelletur *ad effectum retardandae executionis*, observari iubet: post executionem vero factam in gradu appellationis revocandae adsistentiae arbitrium dat. Nullitatis vero beneficium ex iisdem actis dignoscendum indulget ad retardandam quoque executionem.

(5) Synodus Caputaquensis, quam Episcopus Caraffa in terra Laurini celebravit, *ritu 95.*, *ut adsistentiam* municipali iure laicorum institutam clerici quoque in ecclesiastico foro obtinerent, constituit. Episcopalis itidem Curia Nuceriae Paganorum ex vetusto eam stylo indulget suos in subditos.

(6) Ex toto *tit. D., et C. de constituta pecunia.*

(7) Faber in Cod. *lib. 7. tit. 7. de acqu. poss. def. 39.*, Gaitus *de credito cap. 4. quaest. 7. num. 799.*, *et quaest.* 11. *num.* 1289., Tiraquell. in *tract. de constituto.*

(8) Paull. in *l. possideri 3. §. 6.*, *et 7. D. de adqu.*, *vel amitt. possess.* Consonat Papinianus in *l. peregre 44. §. 2. D. eodem.*

cur constituens translata a se in alium possessione rei suae eam exinde detineat non amplius suo, sed alieno nomine. *Quod meo nomine possideo*, ait Celsus iureconsultus (1), *possum alieno nomine possidere: nec enim mutto mihi caussam possessionis, sed desino possidere, et alium possessorem ministerio meo facio. Nec idem est possidere, et alieno nomine possidere, nam possidet is, cuius nomine possidetur.* Hoc est alium possessorem constituo in re mea per simplex constitutum, eiusque veri possessoris nomine rem ipsam detinebo, sed non possidebo. Potest igitur *constitutum* definiri non aliud esse, nisi contractus accessorius tradens animo verbis expressis declarato plenam, realem, naturalemque possessionem rei venditae, donatae, vel quomodolibet alienatae, non corporalem duntaxat, quam vulgus *asininam* appellat.

XI. Clausula *precarii* vero magis declarat corporalem, et asininam, constituto retentam sibi possessionem esse alienam, non suam ipsius, qui declarat eam detinere *precario* nomine ad libitum constitutorii, novique legitimi, et veri possessoris ad libitum istius, et quoadusque istimet libuerit. *Quod autem scriptum est*, ait Paulus iureconsultus (2), *apud veteres*, neminem sibi caussam possessionis posse mutare, *credibile est de eo cogitatum, et qui corpore, et animo possessioni incumbens, hoc solum statuit, ut alia ex caussa id possideret: non si quis dimissa possessione prima, eiusdem rei denuo ex alia caussa nancisci velit.*

XII. Ad *legata* sive profana, sive pia persolvenda vigore de testamenti, aut codicilli iudicio praeceptivo sine praevia condemnationis sententia heredes in diem compelluntur (3).

XIII. *Capitula coniugalia*, seu dotalia *instrumenta*, quamvis privatim conscripta, si Notario publico ad conservandum utraque pars tradiderit; obtinent ea quoque viam executivam per trina, nunc bina praecepta (4).

XIV. *Sententia diffinitiva* in iudicio ordinario super actione personali prolata quod executioni per trina, vel bina etiam praecepta demandetur intra annos triginta, iam superius admonui (5): quibus elapsis executio praescribitur (6).

XV. *Significatoriae* contra debitores Fisci per Regiae Camerae Summariae Rationales expeditae litterae duobus etiam, olim tribus praeceptis executionem ferunt praeceptivam (7): eamque non suspendit, neque impedit revisio rationum, nec appellatio, nec recursus: sed solummodo nullitates intra sex dies per capita rite obiectae, quae quoadusque discutiantur, executio cessat significatoriarum. Idem servatur in exequendis significatoriis contra Universitatum administratores, vel contra Uni-

(1) Celsus in *l. quod meo 18. D. de adqu., vel amitt. poss.*
(2) Paull. in *l. qui bona fide 19. §. un. D. eodem.*
(3) Reg. de Marinis *lib. 1. ref.* 241., Merlin. *cent. 2. contr.* 197. *num.* 26., Vivius *lib. 3. dec. 464.*, ceteri.
(4) L. Riccius *to. 2. prax. civ. cap. 1.* in fine.
(5) Hoc *lib. tit. XVI. num.* 1. *et* 2., Carleval. *lib.* 1. *de iudiciis tit. 3. disp.* 1. *num.* 25.
(6) Afflictus *dec. 245. num.* 12.
(7) Ex *l. abstinendum 2. C. quorum appellationes non recipiantur*, et Pragm. 37. §. 2. *D. de off. Proc. Caesaris.*

versitatem ipsam expeditae per Rationales ab ea deputatos (1). Quemadmodum, et iis id genus litteris per Rationales Ecclesiarum, Extauritarum, piorumque Locorum laicalium expeditis cum interventu ecclesiastici Deputati ex Concordatis an. 1741. (2), et quotidianis tribunalis Mixti decretis.

XVI. *Libris mercatorum* bene compactis, et probe custoditis, in quibus quotidie describuntur singula data, et accepta, consuetudo totius Italiae plenam tribuit fidem tam pro scribentibus, quam contra eos. Hinc dummodo omnis extrinseca ab iisdem libris absit suspicio fraudis, aut corruptionis, et e contrario iustam debendi caussam ostendant manifesto: debitor exinde apparens ad solvendum iudicio compellitur praeceptivo (3). Secus erit, si suspicione fraudis aliqua laboret vel mercator ipse, vel scriptor, vel custos tabularius, vel ipsa forma libri ex dissoluto chartarum nexu, aut aliqua scripti rasura, corruptione, interpolatione, vel si nulla ex libro caussa debendi iusta pareat. Nam docente Pomponio Iureconsulto, *nuda ratio non facit debitorem:* ut puta quod donare libero homini volumus, licet referamus in rationes nostras debere nos, tamen nulla donatio intelligitur (4). Libros mercatorum Ripae urbis Romae cum libris proxenetarum concordes plene probare, executionemque paratam habere instar obligationum cameralium, constituerunt Paulus III. (5), Pius IV., et V. (6), Gregorius XIII. (7).

XVII. Pro coronide advertendum in his regiis tribunalibus Neapolitanis scripturas quaslibet privatas executionem non sortiri, nisi factis in termino ordinario probationibus, et post latam sententiam diffinitivam, quotiescumque duas auri uncias excesserit petitio creditoris. Quum enim recitata Pragmaticarum lex (8) paratam tribuerit executionem *litteris cambii*, *et apochis bancalibus* tantum, eamque *alberano* etiam recognito denegaverit: consequens est, ut via executiva sit ceteris omnibus privatis scripturis, *chirographis*, *syngraphis*, *antapochis*, *apochis* eo magis deneganda. *Alberanum* nostrates appellant *Syngrapham*, quam scilicet plures una paciscentes privata manu subscripserint (9). *Apocham* vulgus perperam accipit pro confessione debitoris in favorem creditoris scripta, quae rectius a Iureconsultis appellatur *antapocha*: quum receptio debiti a creditore conscripta beneficio debitoris apud eosdem Iureconsultos dicitetur *apocha* (10). Itaque nonnisi post allegatam, et rite probatam crediti veritatem dant neapolitana tribunalia

(1) Ex Pragm. 5. §. 2. *de administr. Universitat.*, et Pragm. 5. *de appellationibus.* Reg. de Marinis *ad* Reverter. *dec.* 218.
(2) Concordata *cap. 5. art. 3.*
(3) L. Riccius *lib. cit. cap. 2. et 3.*
(4) Pompon. in *l. nuda ratio 26. D. de donationibus.*
(5) Paul. III. *const. 45. to. 1.* Bullar.
(6) Pius IV.
(7) Greg. XIII. *const. cum alias 88. to. 2.* Bull.
(8) Pragm. *63. de offic. Proc. Caesaris.*
(9) Ex *l. plures*, ibique *gl. C. de fide instruum.*
(10) Gothofred. in *tit. C. de fide instrum.*

mandatum executivum contra debitorem vel *alberano*, vel alia *scriptura privata* obligatum (1). Sed in Curiis Regni inferioribus via praeceptiva primum decernitur, ut *reus conventus intra tot dies recognoscat scripturam in actis exhibitam, et solvat petitam summam.* Deinde si debitor vel vere chyrographum recognoverit, vel in recognoscendo eo fuerit contumax, mandatum executivum solet relaxari (2). Stylus iste in modicis caussis tolerabilis est, at vero in aliis maioribus corrigendus, atque in ordinem, quem superiora urbis capitis tribunalia servant, redigendus, Satis haec de iudiciis civilibus.

(1) Ex *l. consentaneum C. quomodo, et quando iudex.*
(2) Ex traditis a Mausonio *qu. 5. concl. 2. num. 39.*

Finis Libri III.

INDEX

TITULORUM

LIBRI III.

Praefatio de iudiciis . . . . . pag. 3

Tit. I. *De origine iurisdictionis ecclesiasticae, forique sacri* 4

Tit. II. *De statu primaevo iurisdictionis ecclesiasticae.* 23

Tit. III. *De progressu iurisdictionis ecclesiasticae, varioque fato ex antiquis, novisque legibus, et canonibus* 30

Tit. IV. *De foro competenti, et incompetenti* 58

Additiones de foro competenti 67

Tit. V. *De personis ecclesiasticis foro Ecclesiae subiectis* 69

Tit. VI. *Quibus in caussis clerici foro laico pareant* . 90

Tit. VII. *De caussis fori ecclesiastici etiam in laicos.* . 108

Tit. VIII. *De caussis olim ecclesiasticis ad forum laicum avocatis* 137

Tit. IX. *De ordinario, et proprio cuiusque foro ecclesiastico* 181

Tit. X. *De prorogatione, et variatione fori* 191

Tit. XI. *De promisso, et arbitrio compromissariorum iudicum* 202

Tit. XII. *De exemptionibus Regularium, eorumque foro.* 215

TIT. XIII. *De foro exemptorum saecularium, et nullius dioecesis* 254
Additiones de Regulis Iuris 326
TIT. XIV. *De ordine iudiciorum civilium in utroque foro vigente* 329
TIT. XV. *De ordinario processu civili* 334
TIT. XVI. *De executione sententiae, reique iudicatae.* . 358
TIT. XVII. *De appellationis iudicio.* 362
TIT. XVIII. *De summario processu* 379
TIT. XIX. *De summariissimo processu.* 388
TIT. XX. *De processu executivo* 390
TIT. XXI. *De processu praeceptivo.* 394

3091